
37
45 D
24





# DECRETA AUTHENTICA

CONGREGATIONIS

# SACRORUM RITUUM

NUNC PRIMUM EX ACTIS EJUSDEM S. CONGREGATIONIS COLLECTA

CONTINUATIO APPENDICIS.

COMPLECTITUR DECRETA

Ab anno 1826. ad 1848. — A num. 4472. ad num. 4906.









ROMAE

TYPIS S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCXLIX.

# INDEX DECRETORUM

# DECRETA AUTHENTICA

## CONGREGATIONIS SACRORUM RITUUM.

## APPENDIX III.

4472 RAVENNATEN.

Dum Summus Pontifex S. M. Pius VII. ad privilegia, quibus nonnulla Canonicorum Collegia cohonestata fuere, praestitutis legibus continenda IV. Nonas Julii anni 1823. Apostolicam edidit Constitutionem, ut S. R. C. Decreto diei 27. Augusti 1822. super declaratione usus Pontificalium robur, ac firmitas accederet, Reverendissimus Archiepiscopus Ravennas Antonius Codronchi, qui nuper fato cessit, universum eorumdem usum Dignitatibus, et Canonicis suae Metropolitanae Ecclesiae ratus est inhibere; donec peculiaria sua jura, juxta recensiti Decreti placitum, in Sacram eamdem Congregationem perpendenda deducerent. Etsi vero horum studium in id potissimum contenderet, ut quam citissimè hujuscemodi negotium Sacri Consessus judicio expenderetur, ne sacrae functiones consueto nitidiori, nobiliorique aspectu, ac decentia fraudarentur: vicissitudines tamen etiam incendii, queis Capituli Tabularium saepe laboravit, rem omnem ad novissimum Ordinarium coetum distulere, qui ad Vaticanum pridie Nonas Maii hujus anni coactus fuit. Expensis Privilegiorum momentis in authenticis apographis, et authographis desumptis numero adscriptorum, Emi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi unanimi in voto fuere, expectandum esse novum Archiepiscopum. Divina protegente gratia ipsam Ravennatem Ecclesiam, quae ex testimonio Innocentii Papae III. quasi Primogenita est Apostolicae Sedis, novo illo excitato Archipraesule Summi Pastoris judicio Dignitati huic pari invento, extemplo Capitulum Metropolitanae SSmo Domino Nostro Leoni XII. Pont. Max. humillime supplicavit, ut de plenitudine potestatis, vel Emo Card. Falzacappa Ponente, vel R. P. Secretario accedente informatione, et voto Rmi Archiepiscopi in Curia, causam hanc discutiendam committere dignaretur. Sanctitas Sua, precibus benigne inclinata sub die 20. Septembris hujus anni Congregationem particularem statuit, designavitque Emos Praefectum de Somalia, laudatumque Ponentem, qui una cum R. P. Pescetelli S. Fidei Promotore, R.D. Frattini ipsius Sacr. Congr. Assessore Coadjutore, meque infrascripto Secretario super re decernerent. Octavo die scilicet IV. Kal. Octob. coadunata penes Emum Cardinalem Praefectum particulari hac Congregatione, audito voto Rmi Archiepiscopi in Curia scriptis pandito; iterum expensis allatis rationum momentis, collatisque consiliis, unanimi voto statuendum decrevit

*Quoad Palmatoriam, affirmative juxta privilegium, et laudabilem consuetudinem*, nempe = *ea uti possint Dignitates, et Canonici Metropolitanae Ravennatium in Civitate, universaque Dioecesi in omnibus*

*Ecclesiasticis functionibus ; dummodo aliquis non assistat ex S. R. E. Cardinalibus, vel Archiepiscopus .*

*Quoad Mitram serico-damascenam affirmativè , dummodo dissimilis sit in textura ab illa Reverendissimorum Cardinalium , et quoad Processionem SSmi Corporis Christi serventur strictim Decreta in Anicien.* 13. *Junii* 1682., *et in Urbinaten.* 29. *Januarii* 1752. *in reliquis servetur Decretum Archiepiscopi Farsetti die* 24. *Decembris* 1727., *ac* 2. *Januarii* 1728. , *atque expediantur Literae Apostolicae in forma Brevis , si Sanctissimo Domino Nostro placuerit* = (a) .

(*a*) Paucis est opus, ut quisque videat , planeque intelligat per Apostolicas Literas *Decet Romanos Pontifices* felic. recordat. Pii VII., de quibus latius in *Imolen* , infra relat. derogatum nullatenus fuisse juribus , ac privilegiis, quibus aliqua Capitula decorabantur , praeter expressa in eadem Constitutione, eaque proinde firma consistere , quibus ditata Ravennatensis Metropolitana Ecclesia eminet, atque inter celebriores cùm vetustate tùm dignitate distinguitur. Ignorare id nequit qui in ecclesiastica historia hospes non sit , et peregrinus . Usque ab Ecclesiae primordiis suam habuit institutionem, et nacta est Antistitem S. Apollinarem a Petro Apostolorum Principe Romae consecratum , illucque missum , ut eam regeret , et gubernaret . Interim optimus Pastor per Aemiliam discurrens ab nefario Idolorum cultu plurimis revocatis, et ad humilem Christi sequelam adductis , Ravennam tandem reversus glorioso martyrio cursum consummavit. Ita *in martyrologio romano ad diem* 23. *Julii*. Successores habuit nonnullos multa sanctitate praestantes, quos inter speciali mentione dignus est *Sanctus ille Petrus* coelitus datus , qui ob auream eloquentiae vim *Chrysologi* pronomine meruit nuncupari . Merito igitur *Innocentius III.* Ravennatensem Ecclesiam appellavit *quasi primogenitam* Apostolicae Sedis , aliique plures ex Romanis Pontificibus verbis amplissimis commendarunt . Sed ne antiquiora quaeramus exempla , quod longum nimis , ac laboriosum foret ; satis esse puto recentissima felic. recordat. *Benedicti XIII.* ac *Pii VII.* elogia referre . Siquidem ille datis Literis in forma Brevis die 19. Augusti 1727., eam appellavit *Metropolitanam istam tot conspicuis meritis vetustae , recentisque memoriae illustrem Ecclesiam etc.* Alter vero in similibus Literis datis sub die 23. Junii 1819. eam appellat *vetustissimam Ravennatensium Ecclesiam , quam a primis Christianae Fidei temporibus celebratam multis , praeclarisque nominibus etc.*

Non autem hic est animus singula percensere privilegia , honorificentias , ac praerogativas , quibus omni aevo fuit cumulatum , et gaudet Ravennatensis Metropolitanae Capitulum ; neque , ut hoc praestem , mei fert instituti ratio . Satis est animadvertere ejusdem Metropolitanae Dignitates, atque Canonicos honoribus plurimis , usu Pontificalium , atque Insigniis fuisse decoratos , vel beneficentia , et auctoritate Romanorum Pontificum , vel longaeva consuetudine , cujus origo inter tenebras antiquitatis omnino latet , et frustra adlaboraret, qui eam

Quibus omnibus per me infrascriptum S.R.C.Secretarium, SSmo Dno Nostro LEONI XII. Pont. Max. relatis, SANCTITAS SUA, particularis hujus Conquaereret invenire. Verum etsi tam nobilis, insignisque Ecclesiae Capitulum dum prodiit praefata Constitutio *Decet Romanos Pontifices* de amplioribus, praeter illa quae in eadem enumerantur, et declarantur permissa Pontificalium usum habentibus, de sibi collatis privilegiis, et praerogativis quae illustria sunt; et non pauca minime dubitaret; nihilominus paruit Archiepiscopo praecipienti, ut latae legis in obsequium ab eorundem usu cessaret, ac interea sua jura expendenda in S. R. C. deduceret, simulque ostenderet non esse comprehensum sub regula generali, bene vero ad eorum classem pertinere, quae sub clausula praeservativa, *si quae vero Capitula veniunt*, et excipiuntur. Praestitum hoc fuit in ordinario Conventu habito *pridie Nonas Maii* 1826. In hoc autem visum est Patribus Emis ampliare judicium, non quod ancipites essent de bono postulantium jure, sed quia tunc temporis Ravennatensis Ecclesia suo erat viduata Pastore, ideoque esse cunctandum duxerunt, quousque novus eidem daretur Antistes, qui et audiri posset, et Sacrae Congregationis decreta exequi, quaecumque demum ea forent. Ideo statim ac Archiepiscopali illi Sedi *SSmus Dominus Noster Leo XII. Pont. Max.* novum dedit Archiepiscopum, instaurata fuit instantia; et, ne in longum nimis protraheretur decisio, omnem solicitudinem posuit novus Antistes, ut antequam ad sibi commissam Ecclesiam accederet, definitivum hac super re judicium postularet. Quamobrem Sanctitas Sua precibus annuens, ejusdem Causae cognitionem Congregationi particulari commisit, quae sub die 28. *Septembris anni* 1826. definivit Ravennatense Capitulum a generali lege esse excipiendum, utpote comprehensum sub praefata clausula praeservativa, ac propterea manutenendum esse in possessione, et usu privilegiorum, quae privative eidem concessa, optimoque jure acquisita communia non sunt aliis Capitulis, Dignitatibus, Canonicis, Rectoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis Pontificalium usum habentibus. Ne tamen ex generali, simplicique responsione ulla posset oriri dubietas, aut controversia, opportunum duxit specifice duo declarare, videlicet *licere usum Palmatoriae in Civitate, universaque Dioecesi, in omnibus ecclesiasticis functionibus*, apposita tamen exceptione, et limitatione = *dummodo aliquis non assistat ex Cardinalibus, et Archiepiscopus* = Item sancivit = *licere adhibere Mitram* (non simplicem, hoc est lineam) sed *serico-damascenam*, addita declaratione, *dummodo dissimilis sit in textura ab illa Eminentissimorum Cardinalium*, ac praeterea jussit quoad *Processionem Corporis Christi, ut serventur strictim decreta in Anicien. et in Urbinaten.*, quae jubent *ne in hac processione caput Mitra tegatur*. In reliquis sancivit, *ut servetur decretum Archiepiscopi Farsetti die* 24. *Decembris* 1727. *et* 2. *Januarii* 1728. Non erant necessario exprimenda, quae in praefatis Decretis enumerabantur privilegia Metropolitanae Capitulo speciatim concessa, aut immemorabili, legitimaque inducta consuetudine compro-

gregationis sensum, et Decretum adprobavit, et confirmavit; itaque in Metropolitana Ravennatium Ecclesia, ac per Civitatem, et Dioecesim servari jussit; Literasque Apostolicas in forma Brevis super re expediri mandavit. *Die 4. Octobris* 1826.

4473. IMOLEN.

Inter Ecclesias, quae singularibus cohonestatae Insigniis, et Pontificalium usu donatae, Imolensis adnumeratur, quae ab S. M. Pio VII. variis privilegiis clementer, peramanterque fuit insignita per Literas Apostolicas in forma Brevis expeditas V. idus Maii 1816. Quoniam autem tùm Decreto S. R. C. edito VI. Kalendas Septembris Anni 1822. tùm ejusdem Summi Pontificis Constitutione lata IV. Nonas Julias Anni 1823. declaratum fuit §.28. quod in dubiis super hujusmodi concessionibus Sacra haec adiretur Congregatio; ac si quae Capitula amplioribus, praeter ea, quae enunciato in Decreto recensentur, privilegiis se aucta fuisse arbitrarentur, peculiaria sua

bata. Ac praeterea in iisdem ita clare, distincteque enumerantur tam quae in sacris actionibus licite retinenda, et servanda sunt, quam modus in exercitio adhibendus, et circumstantiae, quibus occurrentibus unius, alteriusve praerogativae usus coercendus; ut nihil superesset, aut moderandum, aut declarandum, aut abolendum: Antedictae autem particularis Congregationis Rescriptum approbavit, confirmavitque SSmus Dominus Noster Leo XII. die 4. Octobris ejusdem anni 1826.

Quae huc usque dicta sunt, quaeque adnotaveram in *Imolen.*, potius quam ad utriusque decreti dilucidationem, servire possunt, et debent ad docendum, Capitula, Dignitates, Canonicos, Rectores etc., qui ampliora privilegia, praeter enumerata in generali decreto, et subsequenti Apostolica Constitutione, vel habent, vel habere arbitrantur, ne ad placitum, sacra Congregatione inconsulta, in eorumdem usu continuare praesumant, sibique usurpare declaratorium judicium, quod apertis verbis eidem Sacrae Congregationi reservatum est sub ea clausula = *si quae vero Capitula amplioribus, ac praeter hujusce decreti instituta privilegiis se aucta fuisse arbitrentur, peculiaria haec jura in Sacram Congregationem perpendenda deducant, ut, quod ex canonicarum sanctionum prescripto visum fuerit, opportune decernatur*. Exemplo sint ipsis *Capitula Ecclesiarum Ravennatensis*, et *Imolensis*, quae licet illustria, clara, nullique exceptioni obnoxia haberent monumenta, quibus bonum jus tueri possent, ac talia, ut ignorem, num aliud sit, non dicam amplioribus, sed saltem aequalibus ditatum, nihilominus praecepto obsequentes ab specialium indultorum usu, et exercitio cessarunt, eaque subjicerunt Sacrae Congregationis examini. Si quae sunt igitur Capitula, Dignitates, Canonici, Rectores etc. majoribus praerogativis, ac honorificentiis gaudentes, sciant, non ipsis licere in eorumdem exercitio continuare, nisi id fieri posse Sacra Congregatio declaret, et jubeat post institutum eorumdem privilegiorum examen. Vide etiam adnotationem subjectam *decreto Neritonen. sub num.* 4464.

haec jura ad ipsam Congregationem perpendenda deducerent; extemplo Imolensis Cathedralis Capitulum recensitis Decreto, et Constitutioni reverenter obtemperans ab ampliorum privilegiorum usu omnino se abstinuit, arreptaque occasione supplicem Sacrorum Rituum Congregationi exhibuit Libellum una cum Brevi concessionis, quo quid ipsi in usu privilegiorum liceret opportune decerneretur (*a*).

(*a*) Juvat hic recolere ea, quae adnotata fuerunt ad Decretum Sac. Congregationis in Causa *Neritonen.* die 5. Martii 1825. legendum in hac collectione *sub num.* 4464., in quo declaratum fuit, quomodo intelligenda sit clausula praeservativa apposita Decretis ejusdem Sacrae Congregationis *sub die* 27. *Augusti* 1822. *et in Constitutione Apostolica = Decet Romanos Pontifices IV. Nonas Julii anni* 1823. *a fel. record.* Pii VII. adprobatis, et confirmatis ad effectum eliminandi corruptelas, et abusus, qui inoleverant in quibusdam Cathedralibus, Collegiatis, aliisque Ecclesiis, et Personis arbitrarie, ac ad proprium commodum, decusque amplianiibus aliqua privilegia ipsis concessa circa usum honorificum Insignium, ac exercitium Pontificalium, eadem revocando ad formam juris, enumerando, quae per eadem privilegia licent, et quae non item. Praefata quippe clausula declaratum fuit per generales leges in Decretis, et successiva Constitutione contenta = *nullum inferri praejudicium Capitulis, si quae sunt amplioribus privilegiis decorata* = Sed quoniam evenire facile poterat, ut nonnulli perperam interpretando hanc exceptionem, et praeservationem, eadem abuterentur censentes sibi licere morem sequi, et honorificentias in Decretis, et Constitutione minime expressas, (pervertendo sensum, vel aucupando verba, eaque ad placitum studiose trahendo) sibi usurpare, ac si essent speciali indultu; vel immemorabili consuetudine roborata; ideo, ne id accideret, provide consultum fuit, adjectamque conditionem; ut, si quae sunt, aut esse putantur hujusmodi peculiaria privilegia *in Sac. Rit. Congregatione deducantur, ad effectum opportune decernendi, quod ex Canonicarum Sanctionum praescripto visum fuerit*. Quum autem praefata clausula praeservativa modo supra relato tenenda, servandaque sit: ideo Imolensis Cathedralis Ecclesiae multis nominibus nobilioribus adnumerandae Dignitates, et Canonici, quos per Literas in forma Brevis expeditas die 11. Maii 1816. fel. record. *Pii VII.*, qui eamdem Ecclesiam gubernavit Antistes, et etiam post Summum adeptum Pontificatum, universaeque Ecclesiae regimen ad plures annos retinere voluit, privilegiis amplissimis decoravit, et auxit, licet de iisdem, utpote expresse indultis, et singillatim enumeratis, deque eorumdem firmitate dubitandum minime foret; nihilominus latae legi reverenter obtemperantes, religioni sibi duxerunt suppliciter a Sacra Congregatione declarationem postulare, qua licite possent honorifica adhibere insignia, et Pontificalia diebus modisque (a quibus post latam Constitutionem cessaverant) exercere. Quoniam igitur in praefatis Apostolicis Litteris *Pii VII.* omnes enumerantur honorificentiae, et privilegia, quibus ditati sunt Imolensis Cathedralis Eccle-

Et Eīni PP. sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum coacto sub infrascripta die, ad relationem Eīni, et Rīni D. Cardinalis Falzacappa Ponentis, exquisito prius voto Eīni, et Rīni D. Card. Archiepiscopi Imolen. Episcopi, auditaque sententia alterius ex Apostolicarum

siae Canonici, et Dignitates, itemque modus, et tempora, quibus permissum est iisdem uti; ideo Sacrae Congregationi haesitandum non fuit, et ad aequam postulationem respondit = *Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, ad formam privilegii licere Capitulo Imolensi uti Pontificalibus in omnibus ad formam Literarum in forma Brevis expeditarum* =.

Unum tamen est, de quo dubitari adhuc posse videtur; num scilicet fuerit concessum, utpote in praefatis Literis specifice non expressum, hoc est privilegium Presbyteri assistentis praeter alios Ministros in Missa pontificali. Siquidem nonnemo putabit dubiam rem esse, et in utramque partem disputari posse. Si literaliter, et stricte accipienda sunt, quae in Apostolicis Literis enumerantur, certe videtur Presbyter assistens nullatenus comprehensus in indultu, cum nulla fiat ejusdem mentio in tam specifica privilegiorum enumeratione, proptereaque censendum non illud concessum, quod expressum non est. Et revera ipsi Canonici, et Dignitates Imolensis Ecclesiae post editam saepedictam Constitutionem *Decet Romanos Pontifices etc.* de hujusmodi privilegio utpote non expresso, merito dubitarunt: nam, ut refert Vicarius Generalis in sua informatione = *Canonici in executione Literarum Apostolicarum Pii VII., annuente etiam tunc temporis Cardinali Episcopo Rusconi, usi quidem sunt Pontificalium privilegio in singulos annos, et statis diebus usque in praesens: verum omnia ad concessionis literam intra statutos fines perfecerunt, neque sibi aliquid vel usurpare, vel ampliare ausi sunt*. (Quae sequuntur attende) *Si unus excipiatur Presbyter assistens, qui Canonico celebranti, praesente etiam Episcopo, ad Altare cum Pluviali in Missa semper adhibitus est, quamvis de eo nullum faciant verbum Literae Apostolicae supramemoratae, rati forsan hoc esse in ipso Pontificalium privilegio generaliter inclusum* = Quamobrem idem Vicarius postquam suam aperuit sententiam, et Votum, videlicet = *Capitulum, et Canonicos penitus manutenendos in privilegio, quo legitime honestati sunt*, = Tandem concludit, suas adjungendo preces, ut et etiam = *Si fieri poterit quoad Presbyterum assistentem, amplietur indultum* =. Ex his clare patet Capitulum; et Canonicos, imo et ipsum Vicarium generalem informantem, Votumque suum aperientem, incertos saltem fuisse, num revera Presbyter assistens, si non expresse, tacite saltem juxta mentem concedentis haberi possit indultus: secus pro declaratione, non autem pro nova concessione postulassent.

Contra vero quum in praefatis Apostolicis Literis, inter alia, quae Dignitati, aut Canonico pontificaliter celebranti cum indulto adhibendi Faldistorium conceduntur, expressum habeatur; quod et Ministrum de candela, seu palmatoria habere libere, et

Coeremoniarum Magistris scriptis pandita, praeloque cusa, omnibus maturè diligenterque perpensis, atque ad trutinam revocatis, rescribendum cen-

licite, possit, et valeat, non abs re erit putare, quod per Ministrum de candela intelligi debeat Presbyter assistens; quia reipsa is ille est, qui in Pontificalibus (non in Throno, sed in Faldistorio etiam celebrandis) palmatoriam sustinet, et ad opus ministrat. Praeterea quis credere posset id conforme esse menti concedentis? Qui enim indulsit indumenta pontificalia sacris actionibus respective convenientia, videlicet Mitram, Crucem pectoralem, Annulum, Sandalia, Caligas, Chirothecas, Tunicellas, Dalmaticam, Faldistorium, censeri potest concessisse quoque sub nomine *Ministri de Candela* Presbyterum assistentem: eoque magis, quia idem Presbyter assistens (per usum vel abusum, de quo non est hic disputandi locus) alicubi in celebrioribus festivitatibus a celebrante, etiam si simplex sit Sacerdos in solemni Missa solet adhiberi. Quinimmo ipsa Sacra Congregatio in una *Nullius Altamurae* ad quaesitum = *An Dignitates Ecclesiae S. Nicolai Missam solemniter celebrantes, Presbyter assistens debeatur cum Pluviali?* Sub die 23. Septembris 1713. respondit. Affirmative (num. 3713. ad 1.) Alia fuisset responsio, longeque diversa, si hujusmodi assistentia uni dumtaxat deberetur Episcopo. Nonne autem potior militat ratio in casu nostro, in quo agitur de Dignitatibus, et Canonicis Cathedralis Ecclesiae, pluribus honorificentiis, praerogativis, ac privilegiis decoratis, et auctis? De Canonicis inquam, et Dignitatibus, non ut caeteri Sacerdotes, celebrantes, sed pontificaliter Sacrum peragentibus?

Ac tandem, ut praeteream caetera, quae afferri possent, addam hic argumentum negativum ex iisdem Apostolicis literis desumptum. In his expresse recensentur, quae indulta non sunt, et omnino interdicuntur Dignitatibus, et Canonicis pontificalia exercentibus. En verba = *Praecipiendo mandamus ne Dignitas, vel Canonicus celebrans ullo modo praesumat pontificalibus indumentis ad Altare, aut in Choro indui, vel trina benedictione populum benedicere, seu cum forma episcopali*: Pax vobis: *salutare, vel pastorali baculo uti .... in processionibus Corporis Christi Mitram in capite gestare.... aut Mitra in aliis, praeter quam in supradictis Collegialibus functionibus, uti valeat* =. Sed hisce exceptionibus, limitationibus, declarationibus non adnumeratur Presbyter assistens; quamobrem per negativum hoc argumentum confirmari posse videtur, quod supra diximus, videlicet per Ministrum de candela ex concedentis mente intelligi posse Presbyterum assistentem. Haec sunt, quae tam pro affirmativa, quam pro negativa sententia afferri possent. Negativam autem sequutus egregius caeremoniarum Magister pro Voto requisitus in sensu est, quod indultis privilegiis illud adnumerandum non sit Presbyteri assistentis. Ait enim = *Quod vero spectat ad Presbyterum assistentem, quo in Pontificalibus huc usque usi sunt, praesente etiam Episcopo, quoniam nec in Apostolicis Literis conceditur, nec per aliquam consuetudinem, confirmationem, quae omnino deest, adprobatur, putarem*

suerunt. = *In Voto Magistri Caeremoniarum ad formam Privilegii* = *Licere* nimirum *Capitulo Imolensi uti Pontificalibus in omnibus ad formam Literarum Apostolicarum in forma Brevis expeditarum*. Et ita rescripserunt *die* 16. *Decembris* 1826.

*esse revocandam*, *ne eam confirmando dum Constitutionem ipsam pro viribus protuemur*, *vel eam infirmare aliquo modo videamur*, et id quidem merito, ut infra sum ostensurus.

Quoniam autem Sacra Congregatio licet pro ampliatione indulti requisita, quatenus in Literis Apostolicis comprehensum non censeret, simpliciter respondit = *Licere Capitulo Imolensi uti in omnibus ad formam Literarum in forma Brevis expeditarum*, quin verbum addiderit relate ad Presbyterum assistentem, nonnemo forte erit qui in quaestionem verti posse existimet; num, et quae sit vera intelligentia generalis Rescripti, et dubitandum fore arbitretur, num Sacra Congregatio negaverit ampliationem, et extensionem Indulti ad Presbyterum assistentem, an potius voluerit rem in Apostolicis Literis non expressam, et forte obscuram, in suspenso relinquere. Quid igitur in hac ambiguitate sentiendum? Ego quidem, si quid promere licet, in sensu sum, quod verba Rescripti *licere Capitulo uti Pontificalibus in omnibus ad formam Literarum Apostolicarum*, stricte accipienda sint, quodque Sacra Congregatio Voto adhaeserit Caeremoniarum Magistri, qui insinuaverat admittendam non fore petitionem pro Presbytero assistente, ideoque nullum addere voluerit per declarationem, aut interpretationem, aut concessionem privilegiis enumeratis in Literis Apostolicis Pontificis Pii VII., eoque magis, quia finis, et objectum petitionis erat non ampliatio indulti, sed simpliciter declaratio dubii, num privilegia Cathedrali Imolensi concessa sustinenda forent, utpote contemplata in clausula praeservativa Apostolicae Constitutionis *Decet Romanos Pontifices* addita generali Decreto super moderatione indultorum.

Neque argumenta supra relata, quae in oppositum afferri possent, tanti sunt ponderis, ut in sensum contrarium meum animum inflectere valeant. Etenim Presbyter assistens uni debetur Episcopo, nec confundi debet cum Ministro de candela; duae quippe sunt diversae personae, duo diversa officia: quamobrem si in Apostolico indultu expresse nominatur Minister de candela, sed non aeque Presbyter assistens, nemo erit, qui non intelligat, unum fuisse concessum, non item alterum. Eoque magis, quia multo honorificentior est Presbyteri assistentis praesentia, quam Minister de candela. Eidemque munia multa sunt propria, quae simplici Ministro de candela non conveniunt. Id verum adeo est, ut dubitatum quandoque fuerit, num celebranti Suffraganeo coram suo Metropolitano competeret Presbyter assistens. Ita in *Aquilejen*. proposito dubio = An Suffraganeus celebrans *in Ecclesia Aquilejae* ( ubi interveniunt Patriarcha, et Canonici Aquilejae ) *debeat*, *ultra Diaconum*, *et Subdiaconum Canonicos*, *habere alium Canonicum pro assistente?* Sacra Congregatio sub die 7. Augusti 1627. respondit: *Debere* ( in hac Collectione num. 554. ad 2. ) Locum non habuis-

Super quibus omnibus , et singulis , facta postmodum SSmo Dno Nostro Leoni XII. Pont. Max. per me infrascriptum S. R. C. Secretarium relatione . Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Rescriptum in omnibus adprobavit , et confirmavit . *Die 20. supradicti Mensis , et Anni* .

4474. GANDAVEN.

Nuntiatum est PP. Sacror. Rit. Congregationi praepositis , aliquibus in Ecclesiis Dioeces. Gandaven., in administratione Sacramentorum , nonnulla invaluisse , quae praescriptis in Rituali regulis adversantur , nec tam facile , per eos quibus Ecclesiarum cura demandata est , eliminari valerent , idcirco supplici libello dubia quaedam exposuerunt , ut ex Sacrae hujus Congregationis responsis quid retinendum , quidve repudiandum sit probe cognoscant . Sunt autem .

set quaesitum , nisi de licito , aut illicito dubitatum fuisset . Abbatibus quidem statis diebus pontificaliter celebrantibus in Throno convenit Presbyter assistens , quia in Decreto generali fel. record. Alexandri VII. hujusmodi privilegium concessum legitur : aliis vero Presbyteris quacumque dignitate fulgentibus Pontificalium usu ditatis haud debetur , nisi expresse declaratum sit . Haud prodest Decretum Sac. Congregat. in causa supra relata Collegiatae *Nullius Altamurae* : forte enim illi favebat , aut speciale privilegium, aut antiquissima consuetudo , cujus latebat origo. Quod si alicubi in solemnioribus festivitatibus , praeter Diaconum , et Subdiaconum Presbyter pluviali indutus assistit , id fit per abusum , nullo praetextu cohonestandum , imo prorsus reprobandum , et abolendum . Quis vero non videt in lubrico versari , et fallax esse argumentum alterum desumptum ex potioribus honorificentiis , quibus Pontifici placuit decorare Capitulum . Duo quippe notanda sunt . Primum : Principi liberum esse , qua vult in parte juris relaxare rigorem . Secundum : Privilegia minime posse pro lubitu extendi ad non expressa .

Tandem nullatenus prodest argumentum alterum , quod negativum est , quippequia in parte postrema Apostolici Brevis necessario ea erant enumeranda , quae forte per abusum pedetentim facile poterant , vel falsa interpretatione , et arbitraria extensione introduci : at non aeque opus erat speciatim inter excepta recensere praesentiam Presbyteri assistentis; nam si expresse in indultu nominatur Minister de candela , non item Presbyter assistens , ut eo in loco fieri debuisset , si concedens , et hunc etiam indulgere voluisset , facile quisque intelligit eumdem minime in privilegio fuisse contentum .

Quae cum ita sint in ea me sententia confirmo , quod per Sacrae Congregationis Rescriptum minime censeri potest ampliatum privilegium ad non expressa in Literis Apostolicis , ac propterea Dignitatibus , et Canonicis Imolensibus Pontificalia celebrantibus non licere habere praeter Diaconum, et Subdiaconum , etiam assistentem Presbyterum , ideoque sine ejusdem praesentia posse , imo debere pontificalem Missam celebrare , nisi benigna Pontificis largitione novum hujusmodi privilegium jam indultis accedat .

I. Facti species = Rector Ecclesiae reperit in Ecclesia sua consuetudi-
„ nem renovandi Panem pro Sacrificio Missae, et Communione Fidelium
„ singulis tribus mensibus tempore hyemis, tempore vero aestivo solitum
„ confici pro sex mensibus : hinc quaeritur.

1. = An, attenta consuetudine, Rector licite consecrare possit species a
„ tribus mensibus tempore hyemis, vel a sex mensibus in aestate confe-
„ cta? (*a*)

(*a*) Consuetudines laudabiles, et rationabiles servari licite possunt, quamvis plane non conveniant cum regulis contentis in Caeremoniali Episcoporum, Rituali Romano, aliisque liturgicis Codicibus. Quod si utraque destituantur qualitate, omnino tollendae, et eliminandae sunt, ac ad formam legum S. R. C. exigendae. Id profecto accidit relate ad dubia, quae Sacrorum Rituum Congregationi pro decisione delatae fuerunt a Parochis Gandavensis Dioecesis. Omnia fere, etsi ab iisdem legibus difformes ritus exhibeant, non alio innituntur fundamento, si illud excipias, quod originem, causamque ab una dumtaxat consuetudine trahit. Sed istiusmodi consuetudo tantum abest, ut dici possit rationabilis, et laudabilis, quin imo potius, ut detestabilis corruptela habenda sit, ac proinde omnino reprobanda, et damnanda, etiamsi longissimi temporis observantiam ostentaret. Jure igitur Eñi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, singulis respondentes propositis dubiis, id omne reformandum esse decreverunt, quod perperam, et contra legem, Ecclesiaeque disciplinam, sub consuetudinis praetextu, huc usque gestum est.

Et revera ad praesens dubium quod attinet, nemo est, qui non sciat pro quibusdam conficiendis, aut conferendis Sacramentis parandam, ac adhibendam esse materiam designatis ritibus, precibus, ac caeremoniis, a quibus vetitum est declinare, praeterquam in Sacramento Baptismatis, pro quo conferendo, si necessitas urget, ac imminentis mortis periculum, non opus est adhibere aquam solemni ritu sacratam, sed sufficit simplex, et elementaris. Feria V. in Coena Domini sacra ab Episcopo, magnoque ministrorum, et caeremoniarum apparatu conficiuntur olea, quae in posterum per integrum sequentem annum adhiberi debent, nec amplius uti fas est veteribus, quae comburenda sunt. Quin imo si quis, deficientibus recenter sacratis antiquis utatur (puta in Extrema Unctione) actus erit illicitus, non tamen invalidus. De hoc tamen opportunior redibit disserendi occasio in sequentibus enodandis dubiis : interest modo cohibere sermonem ad illud, quod praesens dubium requirit, et refertur ad materiam Sacrificii, praecipue vero pro eo conficiendo, et in particulis asservando ad Communionem Fidelibus administrandam. Quilibet panis vel fermentatus sit, vel azimus corruptioni obnoxius est, si diuturno tempore reservetur, praesertim vero si in Arca, vel alia custodia obseratus retineatur. Et quamvis fermentatus magis ac citius, quam azimus ad corruptionem pergat, nihilominus azimus etiam alterationem patitur. Nolo hic immorari in quaestione : num facilius sit, quod citius in aestivo, quam hyemali tem-

2. = An casu, quo Rector, sive Pastor Ecclesiae praxim illam appro-

pore corruptio eveniat, vel e contra; mihi sufficit, quod sine ullo discrimine, et distinctione inter varias anni tempestates, non liceat ad Communionem Fidelium adhibere particulas, vel a sex, vel a tribus mensibus reservatas, quia uno, vel altero temporis interjecto spatio, facile possunt sacrae species corrumpi, quod omnino vitandum est. Idcirco sacrae, quibus utimur, leges jubent frequenter renovandum esse Sacramentum ad evitandum corruptionis periculum. Et quamvis, ut supra notatum est, citius fermentatum corruptioni obnoxium sit; difficilius tamen in azimo caepta corruptio ex visus sensu cognosci potest; quapropter, ne servatae particulae caepta jam, sed non visu cognita corruptione adhibeantur, easdem frequenter renovari necesse est. Quo enim difficilius corruptio solo intuitu cognosci potest, eo major adhibenda cauthela est, ne id contingat. Nostrum Romanum Rituale ideo praecipit = *SSmae Eucharistiae particulae frequenter* (Parochus) *renovabit, Hostiae vero, seu particulae consecrandae sint recentes, et ubi eas consecraverit, veteres prius distribuat, vel sumat. tit. de SSmo Eucharistiae Sacramento* §. *SSmae etc.* Clara est lex; sed quoniam Rubrica tempus, intra quod particulae renovandae sunt, non declarat; aliquis forte putabit, quemque suo pro lubitu facere id posse, dummodo de corruptionis periculo certe non constet. Equidem perperam; primum enim, non spectandum est, quod certe de periculo constet, sed periculum praevenire oportet: dein vero advertendum, quod si particularum renovatio relinqueretur in privatorum arbitrio, ut et interpretatio dictionis *frequenter*, illud perquamfacile accidere malum posset, quod, ne fiat, diligentissime curandum est. Praeterea quod generice innuit Rubrica, nec satis clare praecipit, aliis ex fontibus singulariter, nec obscure desumitur. De renovanda enim Sacra Eucharistia habetur Decretum Concilii Turonensis apud Reginonem *lib.* 1. *de ecclesiasticis disciplinis cap.* 70. Ibi legitur: *ut de tertio in tertium diem semper mutetur, illa a Presbytero sumatur, et alia, quae eodem die consecrata est, in locum subrogetur, ne forte diutius asservata mucida, quod absit, fiat*. Rigida forte nimis hujusmodi sanctio videbitur. Non intercedo: neque in expendenda ea sanctione, quae particularem Ecclesiam respicit, est animus me velle immorari. Quae fuerit, et modo sit universalis Latinae Ecclesiae disciplina quaerendum est, nec ab ea declinandum. Audiendus Barruffaldus ad supra notatum Ritualis locum = *Praecipit Rubrica nostra, ut frequenter renoventur particulae, ne in Pyxide, et in Tabernaculo clausae corrumpantur, et sic Sacramentum amplius non adsit, quia, corruptis panis speciebus, cessat esse Corpus Christi. Ista frequentia D. Carolus act.* 4. *decrevit, ut octavo quoque die ad summum esse intelligenda. Martenius* de antiquis Ecclesiae ritibus *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 3. infinita propemodum affert testimonia, quibus comprobat constantem esse disciplinam Ecclesiarum renovandi particulas semel in hebdomada, vel saltem ad summum de quindecim in

„ bet , nec velit eam relinquere , alii Sacerdotes in eadem Ecclesia inser-

quindecim dies . In Concilio Mediolanensi IV. Provinciali, et capite, cui titulus = *quae ad SSmum Eucharistiae Sacramentum pertinent a S. Carolo Borromaeo* statutum est = *ut octavo quoque die renovetur Eucharistia , et quidem ex Hostiis non ante viginti dies ad summum confectis* . Idem saepe alibi confirmat , et praesertim in Instructionibus de ipso Eucharistiae Sacramento . Sic enim , inquit , = *eas* (Eucharistiae particulas) *octavo quoque die ad summum renovabit ... Hostiae autem adhibeantur recentes , et a viginti diebus ad summum confectae* = . Quod autem non ultra octavam diem particulae pro Communione Fidelium reserventur , expressè mandant passim non recentes modo Synodi , verum etiam antiquiores , praesertim *Rotomagensis anni* 1072. *Can.* 6. *et Londinensis anni* 1257. *Can.* 2. *etc.*

Haud ignoro apud Graecos Eucharistiam in Coena Domini consecratam usque ad annum reservari consuevisse , quia apud eos invaluit opinio, quod Eucharistia in Coena Domini consecrata majoris foret efficaciae . Verum *Innocentius IV.* in Literis Apostolicis ad Legatum in Regno Cypri super ritibus Graecorum hunc errorem proscripsit , et reservationis licentiam ad quindecim dies cohibuit . Quamvis vero etiam *Clemens VIII.* Constitut. *SSmus* 31. Augusti 1591. Eucharistiae reservationem non ad octo cohibuerit, sed ad quindecim usque dies protrahi posse declaraverit, notandum *primo* est eam Constitutionem latam fuisse super ritibus *Italo-Graecorum. Secundo* constantem disciplinam omnium Ecclesiarum esse, ut non ultra hebdomadam hujusmodi fiat renovatio . Habemus etiam Sac. Rit. Congregationis Decretum in *Conchen.* 3. *Septembris* 1662., quo idipsum praecipitur = *In renovatione, quae quolibet octavo die fieri debet de Augustissimo Eucharistiae Sacramento, consumi debet tùm Hostia , tùm etiam particulae , quae existunt in Tabernaculo post sumptionem Sanguinis ante purificationem etc.* ( Vide collect. num. 2450. ad 3. ) Quod si ad quindecim dies protrahatur renovatio , non id reprobandum , culpaeque vertendum , quia hoc intra breve tempus haud formido, quod sacrae species corrumpantur. Secus nec *Clemens VIII.* tempus hoc pro Italo-Graecis determinasset .

Ex his , quae hactenus sunt disputata , recta consequitur , quod si non licet renovationem Sacramenti ultra octo , vel ad summum ultra quindecim dies differre , multo minus fas erit permissos transgredi terminos , et Fidelibus distribuere particulas a sex vel tribus mensibus consecratas . Si Concilium Turonense supra laudatum voluit , ut de tertio in tertium diem Hostiae renovatio fieret , ne diutius asservata mucida evaderet ; quomodo ferendum erit , ut particulae reconditae maneant ad longissimum tempus trium, vel etiam sex mensium , intra quod non solum timenda , sed forte etiam jam inducta censenda erit specierum alteratio , et corruptio ? Omnino igitur proscribenda , et damnanda erat consuetudo, de qua in dubio , et jubendum Parochis Civitatis , et Dioecesis Gandavensis , ut , eliminata corruptela , ad Ritualis Romani Rubricas sese omnino conforment, veluti Sac. Rit. Congregatio omnino fa-

„ vientes , possint tuta conscientia in hoc Pastori obsecundare , utendo praefatis speciebus ? (*b*)

II. Facti species = „ In Parochiis ruralibus, ubi longum faciendum est „ iter , plerumque portatur SSmum Sacramentum Eucharistiae ad aegrotos , „ eisque administratur cum Stola super vestem communem absque Cotta , „ sive Superpelliceo „ . Quaeritur propterea .

1. = An praxis illa , ubi invaluit , et Ordinarii locorum non contradicunt , retineri possit ? Et si negativè , quaeritur . (*c*)

ciendum praeceptivè decrevit .

(*b*) Si illicitum est Parochis, et Rectoribus Ecclesiarum Dioecesis Gandavensis reservare particulas pro Communione Fidelium ad tres usque , vel etiam, quod magis est, ad sex menses ob gravissimam illam rationem, quod infra tam longum tempus potuerint corrumpi , licet , non alterato colore et externa superficie , integrae videantur , quod nonnisi fallaci sensu visus percipitur, cui proinde fidendum non est; quum inducta corruptio sit, quin oculis pateat , haud poterunt Sacerdotes, qui hoc non ignorantes (ut praesens dubium supponit) easdem, sacram Communionem refici petentibus, distribuere . Eadem quippe militat pro utrisque ratio . Nam , si , ut in praecedenti responso declaratam fuit, damnanda est consuetudo ad longum , et ultra praefinitum tempus reservare particulas , nemini consequenter fas erit easdem Hostias , ac particulas tamdiu reservatas ad Fidelium Communionem adhibere . Igitur vel Parochus , vel Rector ille sit , qui communicat, vel extraneus Sacerdos, qui ad Ecclesiam celebraturus accedit , haud potest id facere, quod ex intrinseca causa damnatum est , et substantialiter praeceptivis , ac omnino servandis Rubricis , Apostolicis Constitutionibus , Decretisque S. R. C. opponitur, quibus districte praecipitur, ne ultra octo , aut ad summum quindecim dies renovatio Sacramenti protrahatur, ne periculum immineat, vel sit distribuendi particulas jam corruptas . Neque vero in re tam gravi licitum, vel illicitum ullo modo pendere potest ab approbatione , vel improbatione , consensu , aut dissensu Rectorum, et Parochorum. Non enim agitur de re , quae uno , alterove modo fieri possit , sed de Eucharistiae distributione, quae non amplius adest, sed adesse cessat sub speciebus, quae corruptionem subierint . Ac propterea non expectanda certa inceptae corruptionis signa , sed ad avertendum malum satis est periculum , ideo determinatum est tempus faciendae renovationis . Igitur responsio data ad praecedens dubium afficit aeque Rectores , et Parochos , ut etiam Sacerdotes , qui non ignorant pravam , et Rubricis contrariam consuetudinem , quae viget in Dioecesis Gandevensis Ecclesiis. Si Sacr. Congregationis mandatis ( quod absit , ut futurum credam ) aliquis sit ex iisdem Rectoribus , et Parochis , vel Sacerdotibus, qui adhuc in retinenda reprobata, ac damnata consuetudine persistere velit , sciat gravi reatu fieri obnoxium . Quod enim est intrinsece illicitum , nullo modo , nullo sub praetextu , nullo colorato motivo licitum evadere potest .

(*c*) Si omnia , quae Ritualis Romani Rubricae servanda jubent adamus-

2. = An saltem Sacramentum extremae Unctionis cum Stola tantum ad-

sim tenenda sunt, multo magis ab iisdem non est recedendum, quae respiciunt Sacramentorum administrationem. Altera autem ex generalibus regulis, quae sub titulo *de iis, quae in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt*, altera est, quae sequitur = *in omni Sacramentorum administratione Superpelliceo sit indutus* ( Parochus, aut Sacerdos quilibet, qui administrat ) *et desuper Stola ejus coloris, quem Sacramenti ritus exposcit* = .. Quae regula exceptionem dumtaxat patitur in Sacramento Poenitentiae ministrando, quia facile contingere potest, ut, aut pro re nata tempus non suppetat sumendi Superpelliceum, et Stolam; vel alia intercedat rationabilis accidentalis causa dispensationis, et excusationis. Sed de hac generalis regulae exceptione quaerendum modo non est, quum quaestio omnis in eo sit, an retineri possit praxis, ubi invaluit, deferendi ad infirmos, eisque administrandi SSñum Eucharistiae Sacramentum cum Stola supra Vestem communem sine Superpelliceo. Ad hunc reprobandum abusum satis esset regula generalis, cujus supra mentio facta est: verumtamen alia est Rubrica specialis *de Communione ministranda infirmis*, in qua sic legitur = *Deferri autem debet hoc sanctum Sacramentum ab Ecclesia ad privatas aegrotantium domos decenti habitu superposito, mundo velamine, manifeste, atque honorifice etc.* Decentia autem haec quoad habitum non ad Vestis cujuscumque usualis, et communis minorem, vel majorem pulchritudinem, elegantiam, decus referri debet, sed ad illam, quae ecclesiasticorum indumentorum propria est, quaeque Sacramentorum administrationem decet, eique ex praefata generali regula convenit, necnon sacro Ministro Sacramentum deferenti. Nova non est hujusmodi Vestium differentia, imo antiquissima, nec repudianda illorum sententia est, qui censent in ipsis Ecclesiae primordiis, Apostolicisque temporibus duplicem fuisse Vestem, aliam scilicet ad communem usum, aliam ad ministerium, et officium. Sed modo non interest de hoc disputare. Vel Vestium distinctio fere ab Ecclesiae exordio repetenda sit, vel aliquando post fuerit inducta, certum tamen est, eamdem esse multa antiquitate praestantem. Sed qualis esse debeat decens hic habitus infra a Rubrica declaratur. = *Ubi vero convenerint, qui Eucharistiam comitaturi sunt, Sacerdos indutus Superpelliceo, et Stola, et, si haberi potest, Pluviali albi coloris, Acolythis, seu Clericis, aut etiam Presbyteris* ( si locus ferat ) *Superpelliceo pariter indutis comitatus etc.* Superpelliceum igitur, et Stola in praecepto sunt, Pluviali vero in arbitrio, et more. Neque sit quispiam, qui aucupando verba, et eorumdem pervertendo sensum, interposita illa dictione ( *si locus ferat* ) abutatur, et ad Sacerdotem Sacramentum deferentem referat id, quod respicit dumtaxat Pluviale, Acolythos, Clericos, aut etiam Presbyteros comitantes, quos Rubrica exoptaret ( insinuando, non precipiendo ) Superpelliceo indutos incedere. Quod si ecclesiastico hoc indumento optat Rubrica indutos esse Sacerdotes, aut Clericos comitantes, suspicarine possumus, fas esse consue-

„ ministrari possit ? „ (*d*)

III. Facti species = Sacerdotes Curam animarum exercentes pro sua com-„ moditate apud se in domibus suis retinent Sanctum Oleum Infirmorum „ · Quaeritur .

tudinis praetextu non adhiberi Superpelliceum a Sacerdote Sacramentum deferente , quamvis praeceptiva sit prima Rubricae pars , quae eumdem respicit ; directiva vero , et facultativa pars altera , quae ad Sacerdotes, et Clericos comitantes refertur ? Praeterea , erit forte nonnemo , qui reponat , non haec omnia semper,et necessario esse in praecepto , et excipiendum esse casum, in quo locus fiat alicui indulgentiae non sumendi Superpelliceum, si nempe longius , aut difficilius iter obeundum sit , ut in dubio proponitur . Errat quammaxime qui ita opinatur ; quippe casum hunc Rubrica non praeterit , imo modum in eo servandum praescribit . En verba = *quod si longius , aut difficilius iter obeundum sit , et fortasse etiam equitandum , necesse erit vas , in quo Sacramentum defertur , bursa includere , et ita ad pectus alligare , atque obstringere , ut neque decidere , neque Pyxide excuti Sacramentum queat* = ex quibus Rubricae verbis colligitur, modum dumtaxat praescribi , quo Sacramentum decenter deferatur, ne vel decidat, vel Pyxis excutiatur : quoad Superpelliceum , et Stolam nulla fit limitatio , aut exceptio. Quod siquando longiūs est iter, et difficilius, dispensandum Parochum voluisset Rubrica a delatione Superpellicei , et Stolae , hic erat locus apposite id adnotandi. Hoc notatum non video ; igitur in hoc contemplato casu per istam Rubricae declarationem, nihil detractum est alteri supra relatae , quae jubet Superpelliceum,et Stolam assumendam a Parocho, vel quoque Sacerdote Viaticum deferente , et ministrante. Si mei ita ferret Instituti ratio , longe plura addere hic possem , sed brevitati consulturus, quae dixi satis esse arbitror , ut evincam S.C. proposito dubio respondendo *negative , et , eliminata consuetudine , servetur Ritualis Romani praescriptum*, eidem Rubricae adhaesisse,ejusdemque sensum declarasse .

(*d*) Eadem responsio convenit alteri huic dubio . Rubrica namque ordinem , ritumque praescribens in administratione Extremae Unctionis servandum , vult omnino decenter ministrari, ideo vestes, quae a Parocho, vel Sacerdote ministrante adhibendae sunt , tales sint oportet , ut ad debitam reverentiam , rectamque tractationem conducant , praesertim vero omittendae non sunt, dum eas signanter Rubrica designat , et adhiberi jubet . Haec autem nedum principio expresse praecipit , datque regulam generalem de Superpelliceo, et Stola coloris convenientis adhibendis in omnium Sacramentorum administratione , ut supra notatum est , verum etiam speciatim agens de Sacramento Extremae Unctionis = *deinde* , ait , *posito oleo supra Mensam , Superpelliceo , Stolaque violacei coloris indutus, aegroto Crucem pie deosculandam porrigit , mox etc.* = En praescriptum praeter Stolam etiam Superpelliceum. Cur autem servanda , et non potius damnanda consuetudo , seu potius corruptela Extremam Unctionem administrandi sine Superpelliceo ? Exci-

pio casum positivae necessitatis. Dura quippe videtur sententia Layman. *tractat.* 8. *cap.* 8. *num.* 1. relat. a *Barbosa*, qui dicit, *non licere, etiam in casu necessitatis, administrare hoc Sacramentum, non adhibitis Vestibus ab Ecclesia praescriptis*. Certe casus necessitatis a multis excusat, veluti refert, et monet *Barruffaldus ad Ritual. Roman. tit.* 27. *num.* 44. At casus necessitatis dari potest, quin tempus suppetat sumendi vestes pro hoc Sacramento administrando praescriptas. Quid autem si longum, ac difficilius ineundum sit iter? Eritne causa sufficiens, quae ab usu praescriptarum Vestium excuset? Minime gentium. Rubrica casum praevidit, eidemque consuluit, et, dum modum servandum quoad circumstantiam itineris indixit, nullam aliam limitationem posuit, aut moderationem quoad reliqua. En Rubrica. = *Quod si longum est iter peragendum, aut etiam aequitandum sit .... res cum oleo sacculo, aut bursa inclusum .... ad collum appendat, ut commodius et securius perferat* =. Quae quidem ad circumstantiam itineris dumtaxat sunt referenda, non ad caetera, quae circa Sacramenti administrationem versantur. Rubrica igitur, quae sine ulla exceptione, limitatione, aut moderatione adhiberi jubet Superpelliceum, et Stolam, servanda omnino est, et ab ea nullo sub expiscato praetextu declinandum. Ideo usus contrarius, sive potius abusus, ubi viget, est eliminandus.

(*e*) Accidit saepenumero, ut Ecclesiastici etiam viri, quin servent praescriptas leges, consulantque decentiae quoad Sacramentalia, resque sacras, proprie potius commoditati inserviant. Id profecto accidit in Gandevensi Dioecesi (*et utinam ibi dumtaxat*), ut Parochi, ne aliquid incommodi sentiant et accedere cogantur ad Ecclesiam, ubi Sacrum infirmorum Oleum servandum est, apud se in propriis domibus illud retineant. Equidem fateor Ritualis Romani Rubricam rigorose locum non adsignare pro sacris custodiendis oleis, sed quod expresse non jubet, tacite tamen designatum intelligitur, et, ex contextu aliisque Rubricae locis, declaratum videtur esse Ecclesiam. Vult enim, ut *haec vascula* (sacra olea continentia) *in loco proprio, honesto, et mundo sub clave, et tuta custodia asserventur etc.* Quis autem *decentem, honestum, et mundum locum* extra Ecclesiam a Rubrica consideratum fuisse putabit? Praeterea quod lex aperte non dicit, universalis omnium Ecclesiarum constans disciplina declarat. Nam ubique Ecclesia locus est, in quo Sacra Olea asservantur; at varius est locus pro iisdem custodiendis. Ideo nonnullis in Ecclesiis consueverunt reponi in custodia prope Altare majus, sed seorsim ab illo; in aliis servabantur in custodia sacrarum rerum, quam Sacristiam, sive Sacrarium, et Secretarium vocant; alii tandem intra ipsum, vel saltem prope Fontem baptismalem, ut in promptu sint Chrisma, et Oleum Cathecumenorum, dum infantes baptizandi deferuntur. Quovis autem in loco ex memoratis Sacra Olea custodiantur, semper, ac solemne cuique fuit summa cum reverentia eadem servare, et custodire in Ecclesia. Et quoniam longe decentius esset adhibitis luminibus assidue ar-

IV. Facti species = „ Sacra Olea in Coena Domini benedicta trasmittuntur ad Decanos Foraneos, qui ea distribuunt Pastoribus suorum Districtuum. „ Quaeritur.

dentibus eadem asservari; propterea, ut plures monent, hac de re Scriptores, communisque est Ecclesiarum praxis, praestat post vel prope Altare, in quo reconditur SSñum Sacramentum Custodiam collocare; illae quippe, quae ratione SSñi Sacramenti ardent lampades, custodiendis etiam reverenter sacris oleis possunt inservire. In hoc tamen non insisto, quia, licet deceat lampadem ardere, ubi sacra olea asservantur, decentia tamen minime secumfert obligationem, et praeceptum. Haud praetereunda sunt quae *S. Carolus Borromaeus* ecclesiasticae disciplinae post Tridentinum Concilium Restaurator, et Assertor eximius quoad rem hanc sapienter constituit pro sua Mediolanensi Ecclesia. In III. Provinciali Concilio, et praecise in capite de iis quae ad sacramentalia, et Sacramenta pertinent, statutum lego, *ut sancti Chrismatis, et sancti Cathecumenorum Olei* (idem intelligendum de altero infirmorum) *vascula non alibi, sed in Ecclesia religiose adserventur in Ciborio, aliove ejusdem Ecclesiae certo constituto loco, quem Episcopus comprobaverit*. Hic autem *Ciborium*, ne forte accipias pro Tabernaculo, in quo SSñum Sacramentum adservatnr, sed intelligi debet pro Custodia separata, clave claudienda. Clare id patet ex alio ejusdem Provincialis Concilii loco, ex capite scilicet *de iis, quae ad SSñum Eucharistiae Sacramentum pertinent*, in quo statuitur, ut Tabernaculum pro sacra Eucharistia asservanda vacuum sit. En verba = *Omnino Sacra Eucharistia cum suo vase in eo dumtaxat servetur, aliud praeterea nihil*. Synodus etiam Ferrariensis expressius locum designat, in quo oleum infirmorum decenter, et cautò sit custodiendum = *Fenestellam propriam, atque ad hoc unice praeparatam habere debet sanctum Oleum infirmorum, quam nonnulli vocant Armarium. Propria ista debet esse haec fenestella in parte Ecclesiae ad cornu Evangelii, seu in quo adsit Tabernaculum cum SSña Eucharistia.* Atque id est universaliter receptum; et bene stat, quia frequenter accidit, ut, dum Viaticum infirmo deferendum est, Oleum etiam infirmorum pro sacra unctione deferendum sit; quemadmodum expedit, ut prope baptismalem Fontem custodiantur cùm Chrisma tùm Oleum Cathecumenorum, quia adhiberi debent in sacro ministrando baptismate.

Quod si in Pontificali Romano praecipitur, ut juxta sacrorum Canonum dispositionem sacra olea custodiantur, utque Episcopus diligenter curet, ne Presbyteri in iis cauto custodiendis negligentes sint: si Custodiae locus designatur, vel in Ecclesia, vel in Sacrario: si eadem Custodia clave est claudenda, *ne*, ut praecipit Rituale Romanum, *ab aliquo nisi Sacerdote temere tangatur, aut eis sacrilege quispiam abuti possit, ut nulli* (ita in Pontificale) *sub pretextu medicinae, vel maleficii tradere praesumant* fas ne erit privata in sua domo, ut Parochi oleum infirmorum detineant? Si ita fiat, dici ne poterit reverentiae, et decentiae satis pro-

1. = „ An Decani distributionem differre possint usque post Dominicam „ in Albis ? „ (*f*)

visum ? Dici ne poterit sic custodiri, ut nullum sit periculum , quod a laicis tangatur , aut quod, absente Parocho , sacrilege aliquis illo abuti non possit ?

Eoque magis quia idem Rituale Romanum praecise agens de oleo infirmorum , illud custodiri praecipit *in loco nitido , et decenter ornato* , ad quae verba notat Barruffaldus *hoc oleum suum habere debet repositorium separatum a quocumque alio loco , nam neque in Fonte baptismali , neque in Tabernaculo , neque in Reliquiarum Sacrario , custodia reponi debet* . Hujusmodi locum in Ecclesia ponit , apteque distinguit ajens, *debet esse .... in pariete Ecclesiae ad cornu Evangelii Altaris majoris , seu in quo adsit Tabernaculum cum SSma Eucharistia .... ejus altitudo a terra sit quanta sufficiat ad commode eam* ( fenestellam , quae custodiam claudit) *aperiendam , sine ope vel scalae , vel suppedanei .... ostiolum habeat ex ligno , quod bene claudat cum sera , et clave .... et subtus literis majusculis haec verba legantur* : SANCTUM OLEUM INFIRMORUM .

Eritne igitur vel nunquam , vel aliquando licitum sacrum oleum domi retinere? *Passerinus cap.9.num.*102., quem sequitur *Barbosa*, non bene agere putat Parochum dubitantem de nocte se fore pro infirmo periclitante vocandum , si Vespere ferat oleum ad suum cubiculum , ut vocatus expeditior procedat ; vel si de nocte reversus ab administratione Sacramenti , oleum non reponat in consueta fenestella , seu repositorio Ecclesiae , sed retineat in cubiculo usque mane : verumtamen gravis eum piaculi minime damnandum putat , dummodo non adsit scandalum , vel periculum irreverentiae . Mei Instituti ratio non fert , ut in hac sententia discutienda immorer . Dato autem , quod in casu proposito infirmi periclitantis liceat Parocho per unam noctem , vel partem noctis Sacrum Oleum domi retinenere , ut promptius accurrat ad illud morituro ministrandum , ex hac generalis regulae limitatione recta consequitur , ab regulae observantia sine urgentissima necessitate recedendum non esse , proindeque illicitum fore unica tantum commoditatis ratione Sacrum Oleum domi retinere .

Quoniam vero in casu proposito agitur de consuetudine Parochorum , qui pro sua commoditate retinent sanctum Oleum; secus respondendum non erat quam *negative* , hoc est consuetudinem esse reprobandam , damnandam , et eliminandam . Scite tamen S. C. unam posuit limitationem , excepitque casum necessitatis magnae distantiae ab Ecclesia , sed simul consultum voluit honestae decentiae , tutaeque custodiae , quemadmodum exigit Rubricae dispositio .

(*f*) Sacrorum Oleorum dispensatio nequit differri usque ad Dominicam in Albis , nisi prius nequeat ob locorum distantiam , viarum difficultatem et asperitatem, nec non ob aeris, temporumque vicissitudines , et intemperiem , nec dilationis causa peti potest ab inducta consuetudine , quae potius appellari debet abusus , damnandaque corruptela . Rubricae gene-

V. Facti species = „ Multi Pastores accepta Sacra Olea apud se deponunt in domibus suis usque in sequentem diem dominicam ; et tunc cum solemni Processione , videlicet cum Cruce , cum candelis ardentibus sub Baldachino a toto Clero in habitu portantur ad Ecclesiam , exponunturque in aliquo Altari cum hymnis , et eadem solemnitate portantur ad Fontem Baptismalem , eique infunduntur : „ Quaeritur .

rales cùm Pontificalis , tùm Ritualis certam ponunt regulam , ut ante Paschalem solemnitatem sacra Olea per Parochias distribuantur , nisi intercedat altera ex causis superius allatis . Non mihi est animus hic quaerendi , num sacrorum Oleorum benedictio , et consecratio , ceu nonnulli Auctores volunt a *S. Fabiano Pontifice* fuerit instituta , quod probatum non est : sed quoniam de ea mentio fit in magni Gregorii Sacramentario , et in veteri Ordine Romano ; ideo sub finem saeculi sexti , vel saltem septimi initium de re liturgica Scriptores volunt saeculo septimo invaluisse morem benedicendi , et conficiendi sacra eadem Olea Feria V. in Coena Domini . Quidquid autem de hoc sit , satis nobis sunt Rituales , et a Sede Apostolica probati Codices , quibus in Sacramentis , et Sacramentalibus uti debemus. Porro Pontificale Romanum titulo *de officio in Feria V. in Coena Domini* notat , et praecipit = *hac die singulis annis benedicitur Oleum Cathecumenorum , et infirmorum , et conficitur Chrisma* = jubet vero Rituale Romanum de iis agens , quae ad sancta pertinent Olea , *sanctum Chrisma , et sanctum Oleum , quod et Cathecumenorum dicitur, quorum usus est in baptismo eodem anno sint benedicta ab Episcopo de more Feria V. in Coena Domini* . Huic Rubricae altera succedit , videlicet = *curet Parochus , ut ea suo tempore quamprimum habeat , et tunc vetera in Ecclesia comburat* = Quod autem tempus sit , ad quod referri debeat illud *curet quamprimum* , clare patet ex alia Rubricae dispositione . Cum singulis annis Sabatho Sancto baptismalis Fons sit benedicendus, et in eo nova olea Feria V. in Coena Domini sacrata debeant infundi , ut Rubrica praescribit , et habetur in *cap. Si quis de consecratione distinct. 4.* consequitur curandum esse, ut quamprimum , scilicet Sabatho Sancto eadem Olea ad Paroecias delata sint . Hoc ex Rubricarum inter se collatis dispositionibus clare deduci , et hanc esse obviam , et legitimam , non arbitrariam interpretationem a sacris Synodis passim confirmatam , quae mandant , ut Parochi ante Paschatis Solemnitatem Sacra Olea petant, et recipiant . Sic Synodus Carthaginensis IV. Canone 36. praecipit = *Presbyteri , qui per Dioeceses Ecclesias regunt . . . . a suis* ( Episcopis ) *ante Paschatis solemnitatem Chrisma petant* = . Idem mandatum legitur in Synodo Vasensi Canone 3. = *ut per singula Territoria Presbyteri , vel Ministri ab Episcopis . . . . per annos singulos Chrisma petant appropinquante Solemnitate Paschatis* = . Adeundus aeternae memoriae Pontifex *Benedictus XIV.* qui spartam hanc Instit. ecclesiastic. 81. solita sua eruditione doctissimè illustravit .

Quod si ex iis , quae huc usque allata sunt clare patet, Parochos teneri Olea Sacra petere , et accipere ante

1. = ,, An Pastores recte retineant Sacra Olea in domibus suis usque ,, in Dominicam receptionem eorumdem subsequentem ? ,, (g)

Paschalem Solemnitatem, nisi rationabilis causa intercedat, qua cohonestari queat dilatio; eruntne sine censura dimittendi Decani foranei, qui sacra Olea jam confecta ex una dumtaxat improbanda loci consuetudine ad Parochos mittere usque ad Dominicam quae in Albis dicitur, differunt? Ex hac autem arbitraria consuetudine, quae legitimam causam non habet, illud consequitur grave incommodum, ut, si interea contingat baptizari infantem, vel infirmum extrema unctione muniri, cogatur Parochus veteribus oleis uti, quod nefas est, dum haberi possunt recenter consecrata. Si verum est a peccato excusari non posse Parochum, seu Sacerdotem, qui sua culpa negligat, aut sub reprobandae consuetudinis praetextu olea recentia recipere, quibus utatur in administratione baptismatis, et extremae unctionis, eritne a reatu immunis habendus Decanus foraneus, qui sine causa, aut ulla necessitate, differat traditionem Oleorum ad Paroecias usque ad Dominicam in Albis? Audiendus *Barruffaldus*, qui titul. de sacris oleis haec habet = *haec olea debent esse eo ipso anno benedicta... si Sacerdos uteretur veteri oleo, peccaret graviter, et graviter quoque puniri debere, etc.* et agens de Sacramento extremae unctionis inquit, *debet esse hoc oleum illo anno benedictum ab Episcopo in Feria V. in Coena Domini, quia, quamvis Doctores allegati per Clericat. decis. 65. num. 16. concludant validè posse administrari Sacramentum extremae unctionis cum oleo veteri benedicto .... nihilominus illicite semper fit, quia est contra praeceptum de singulis annis comburendo veteri oleo, et novo consecrando : attamen in casu necessitatis, deficiente novo, poterit adhiberi oleum benedictum vetus juxta responsum Sac. Congregationis Episcopor. 20. Maii 1590. apud Gavant. in Manuale Episcoporum verbo extrema unctio num. 10. etc.* = Sed non omnis necessitas excusat a culpa, verum illa tantum, quae non oriatur ex negligentia, et socordia Sacramentum ministrantis, ideo, ut *Barruffaldus* prosequitur = *si necessitate non urgeatur Parochus adhibens vetus oleum, non videtur a peccato excusandus .... quia debet Oleum esse benedictum eo anno, ut praecipitur in cap. literis de consecrat. distinct. 3. Si vero Parochus careat oleo noviter benedicto ob aliquem fortuitum casum, adeo ut ista deficientia absque sua culpa sit, poterit vetere oleo morituros ungere, usque dum novum ipsi ab Episcopo transmissum fuerit, etc.* = In casu autem proposito ob paritatem rationis haud poterunt excusari Decani foranei, qui cum differant ex una tantum loci consuetudine delationem oleorum usque ad Dominicam in Albis, Parochis dant causam ut, si interea temporis sit Baptismum administrandum, vel moribundus extrema unctione muniendus, veteribus oleis utantur.


(g) Ad primum hoc dubium quaesiti V. recolenda veniunt, quae supra diximus *in adnotat. ad dubium unicum quaesiti III.* Unum dumtaxat addere juvat. Cum sacra Olea juxta Rubricarum dispositionem, traditas

2. = „ An sacra Olea cum tali solemnitate introduci possint in Ecclesiam ? „ (*h*)

in Synodis regulas, et doctrinam de re liturgica Scriptorum nequeant asservari, nisi in Ecclesia, ibique in custodiis respective adsignatis; semper tamen decenti in loco honesto, ac tuto, cujus fenestella clave sit clausa, ne aperiri queat, nisi a Rectore, vel Parocho, ad quem pertinet, ne excepto quidem oleo infirmorum, licet ad Sacramentum extremae unctionis ministrandum urgeat quandoque ex inopinato, improviso casu verae necessitatis, ( nisi casus praevisus sit, ut supra notatum est ) quis non videt locum eo magis sibi vindicare Rubricam quoad sanctum Chrisma, et Oleum Cathecumenorum, pro quorum usu inopinatus dari nequit urgens casus? Clare igitur patet, fas non esse Parocho, vel Rectori sacra Olea sibi tradita retinere domi usque ad Dominicam subsequentem, sed omnino teneri eadem deponere in decenti, tutoque loco intus Ecclesiam ad id destinato.

(*h*) Quod vero attinet ad alterum hoc dubium, quod respicit solemnitatem deferendi sacra Olea ad Ecclesiam, pravam hanc consuetudinem inductam fuisse non ex alia, nisi ex crassa, ac supina ignorantia, jure existimo. Debeturne Sacramentalibus ille extrinsecus honor, qui uni convenit SSmo Eucharistiae Sacramento? Nonne Rubrica modum praescribit servandum in deferendis sacris Oleis? Jubet namque deferri debere per ecclesiasticum Ministrum, ut decenter, et reverenter tractentur. = *Parochus, quantum fieri potest, curet, ne per laicos, sed per se, vel per aliquem Sacerdotem, vel saltem Ecclesiae Ministrum haec Olea deferantur* =. Ubi notandum est, quod non absolute praefata Rubrica excludit laicos ab eorumdem delatione, sed monet tantummodo, ne Parochus laico hujusmodi delationem demandet; quia quandoque contingere potest, praesertim in parvis Oppidis, ac Paroeciis ruralibus pro administrando Sacramento Extremae Unctionis, ut alius non sit, nisi laicus, qui bursam cum oleo infirmorum ad aedes infirmi deferat, impedito Parocho, necessitate urgente, spiritualia Ecclesiae subsidia in agone posito infirmo ministrante. Quum igitur Parochus per se nequeat, aliumque non habeat, nisi laicum ministrum, Clerici vices fungentem, huic committere cogitur, ut hoc praestet officium. Id tamen, quantum fieri potest, vitandum est. Praeterea tam verum est, quod in delatione sacri olei nulla adhibenda est solemnitas, ut nec locum obtineat in actu administrationis: ideo Ritualis Rubrica monet, quod unica tantum paranda sit candela, quae deinde *accensa ipsi inungenti lumen praebeat*, ad quae Rubricae verba *Barruffaldus* notat = *Candela similiter in promptu sit: nam etiamsi de die ministretur hoc Sacramentum, necesse est, ut adhibeatur lumen non solum ad dignitatem Sacramenti .... adhibet hoc lumen Sacerdos ad bene discernendas partes inunctas, et ad illas tergendas = ut innuit ipsa Rubrica relatis supra verbis = ipsi inungenti lumen praebeat*.

Item in sacrorum Oleorum confectione Pontificale Romanum, Rubrica, *de Officio in Feria V. in Coena*



3. = „ An cum tali solemnitate infundi possint Fonti Baptismali, cui

*Domini*, cum ea benedicuntur, et conficiuntur, mensam Mappa ornatam parari praecipit, nullum vero verbum de luminibus in Mensa ponendis facit, et duo tantum lumina assignat hinc inde a lateribus Crucis deferenda, dum e Sacrario pergitur processionaliter ad Chorum pro conficiendo Chrismate, et oleo Cathecumenorum, et dum post illorum confectionem ad Sacrarium deferuntur. Aliud revera est ipsa Oleorum benedictio, et consecratio quae solemniter fit, pro quorum confectione Missae ipsius Sacrificium, inter cujus Solemnia conficiuntur, abrumpitur, aliud vero simplex illorum delatio, vel ad Ecclesiam, vel ad Fontem. Et si pro illorum consecratione praescribuntur lumina, quae quidem non in Mensa, sed a Crucis lateribus deferuntur, quaeque praescripta dici possunt pro actu processionis, et Cruci assignata videntur; haud quidem sequitur majorem Solemnitatem in simplici praedicta illorum delatione servandam esse. Multo autem minus fas est eadem deferre sub baldachino ad Ecclesiam, ubi exponuntur in aliquo Altari cum Hymnis, et eadem solemnitate portantur ad Fontem baptismalem, eique infunduntur, ut fit a multis Pastoribus Gandavensis Dioecesis, ut in Quaesito. Quis autem ignorat non aliter ritus esse servandos, sed eo modo dumtaxat, quem Ecclesia praescribit? Modus autem qui servatur ab aliquibus Gandavi nedum perperam inductus est praeter et contra Rubricae dispositionem, sed, quod gravius est, damnandum in errorem rudem populum potest inducere, qui, cum videat sacra olea tanta solemnitate deferri, et sub baldachino, ac in Altari exponi, in falsam opinionem veniat, quod sacris oleis non reverentia dumtaxat; sed et cultus debeatur, qui uni SSmae Eucharistiae Sacramento debetur (recole si placet quae de baldachino adhibendo diximus in adnotat. ad decret. Novarien. 4420., et Generale 4471.) Aliud est quod sacrum est, et Sacramentalibus adnumeratur revereri, aliud vero colere, hoc est adorare, et extrinsecas illas solemnitates adhibere, quae uni conveniunt Augustissimo Eucharistiae Sacramento. Neque reverentia confundi hoc sensu cum cultu debet, ut unum pro altero accipiatur: quae distinctio in distinctis etiam actibus, externoque apparatu, quae indicia sunt interioris animi sensus, omnino conservanda est. Jam vero cultus, sive adoratio non Sacramentorum materiae, non Sacramentalibus generice, sed Sacramentorum Auctori debetur. Quod si non veneratio solum, sed et cultus quidem Latriae Eucharistiae Sacramento praestandus praecipitur, Christo ipsi praestatur, qui sub panis speciebus occulte quidem, sed realiter in hoc Sacramento adest. Ex hoc ipso non omnia Sacramenta aequalia sunt, quemadmodum sacra Tridentina Synodus definivit *Canone* 12. *Sess.* 6. *de Sacramentis*, quo anathema dixit contra eos, qui pari inter se dignitate omnia Sacramenta esse dicerent = *si quis dixerit haec septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit* =. In Sacramento enim Eucharistiae praeter gratiam, quae a Sacramento confertur, Auctor ipse gratiae et adoratur, et recipitur, in quo differentia et major prae aliis Sa-

„ non potuerunt infundi in Vigilia Paschatis , cum tunc necdum haberi po-
„ tuissent ? „ (*i*)

Tandem quaeritur =

„ An Benedictio cum Indulgentia plenaria , juxta Constitutionem Bene-

cramentis dignitas est posita ,

Puto autem a vero non aberrare si quis arbitraretur hanc ob ipsam rationem , ne scilicet in errorem populus inducatur , neve falso fideles existiment sacro oleo deberi cultum , et adorationem , quae uni convenit Eucharistiae,sine luminibus accensis , sine Campane sonitu vas olei infirmorum deferri debet sacculo coloris violacei inclusum . Nonne enim hanc rationem innuit Rubrica , districte praecipiens occultam esse debere ejusdem olei delationem ? Agens quippe de casu , quo infirmus ad exitum vitae properet , et sanctum oleum una cum Viatico deferri debeat = *Si tamen* , inquit , *alius Presbyter , vel Diaconus , qui oleum sanctum deferat , haberi possit , per ipsum deferatur , qui Superpelliceo indutus cum oleo sacro occulte delato sequatur Sacerdotem Viaticum portantem* = Ad quae verba notat *Barruffaldus* = *Verum est , quod si caeteri , et diversi alii ecclesiastici Ministri adessent,omnes, quotquot essent , deberent similiter Superpelliceo indui , unde non distingueretur inter illos , quisnam deferret Sacramentum sancti Olei , eo magis quia , ut praescribit Rubrica , debet occulte deferri* = Nam si alios inter distiugueretur Sacerdos , vel Diaconus oleum sanctum deferens , rudis populus facile posset reverentiam cultumque confundere , eamdemque venerationem exhibere cùm Sacramento , tùm sancto oleo . Neque praetereundum est S. R. C. responsum , quo praecipitur in delatione Olei sancti ad infirmos nullam extrinsecam solemnitatem esse adhibendam. Quum enim delatum fuisset , *Sacerdotes Ecclesiae S. Nicolai ad infirmos deferre solitos Mannam solemniter Superpelliceo indutos cum luminibus , et lanternis , ac si Sacramentum extremae unctionis ad infirmos deferrent* . Sac. Rit. Congregatio expresse reprobavit hujusmodi morem , nedum quoad Mannam , verum etiam quoad sacrum Oleum infirmorum = *Non modo Mannam S. Nicolai , sed neque extremae unctionis Oleum solemniter cum Superpelliceo , et lanternis ad infirmos deferendum esse* = . Ita die 28. Januarii 1606. ( in collect. num. 143. ) Sed de hac re jam satis .

(*i*) Ab hoc tertio dubio me paucis expedio . Nam repetenda hic forent quae dicta jam sunt . Nulla enim ratio occurrit , qua posita , queat adprobari solemnitas quoad infusionem sacrorum Oleorum in Fontem baptismalem ; si eadem haberi nequiverunt Sabatho Sancto , dum sacra actio benedictionis aquae peracta fuit . Auctores liturgici agentes de hac oleorum infusione dilata ad aliam diem , nullam solemnitatem memorant adhibendam , multoque minus locum sibi vindicare potest illa , de qua iu dubio proposito . Sed quid opus est liturgicos Scriptores consulere , si expressam habemus S. R. C. Declarationem in *Lucana ad dub.* 3. hisce verbis conceptam = *An fas sit Parochis uti in collatione Sacramenti Baptismatis aqua in Ecclesia Matrice , aut*

,, dicti XIV. = *Pia Mater* = 5. Aprilis 1747. impertienda sit pueris, qui, ,, defectu aetatis, primam Communionem necdum instituerunt ? ,, (*k*)

*Plebanali benedicta, cui privatim, et separatim, et non in ipso actu benedictionis baptismalis Fontis fuerint infusa Olea sacra?* En responsum = *Parochi ex Matricis Fonte aquam, cui sacra Olea jam fuerint commixta, suscipere debent, quam adhibeant in Baptismi collatione. Qui vero ante Fontis benedictionem sacra olea recipere non potuerunt, illa subinde PRIVATIM, ac SEPARATIM in aquam mittere poterunt* =. Ita sub die 12. Aprilis 1755. ( praefat. collect. num. 4103. ) Si *privatim* ex praefato responso sacra olea infundenda sunt, nonne eliminanda est quaelibet extrinseca solemnitas ?

(*k*) Dubium hoc postremum, in quo quaeritur : *an benedictio cum Indulgentia plenaria juxta Constitutionem Benedicti XIV. Pia Mater 5. Aprilis 1747. impertienda sit pueris, qui defectu aetatis primam Communionem necdum instituerunt* = potius pertinet ad facultatem theologicam, quam ad liturgicam. Sed quoniam Sacra Congregatio de hoc etiam rationem habuit, eidemque, definiendo, respondit ; et ego quoque in eodem elucidando tantisper immorabor. Praemitto de illis rem hic esse, qui possunt per aetatem, malitiam, et conditionem peccare, ideoque Indulgentias lucrandi idonei putentur, et sint, licet nondum censeantur capaces ad sacram Communionem percipiendam. Nam quum Indulgentiae idea aliam praesupponat peccati, quod remissum sit quoad reatum culpae, sed supersit remittendum quoad reatum temporalis poenae ; ideo Indulgentia sive partialis sit, sive totalis, seu plenaria, quum aliud non sit, nisi remissio temporalis poenae pro peccatis actualibus quoad reatum culpae jam remissis, hinc si quis per aetatem patrare nequit, nec culpae ignoscendae capax esse potest, proindeque nec poenae temporalis, ac consequenter neque ejus remissionis, sive Indulgentiae, quia deest actuale subjectum. Hoc ad rectam rei, de qua agitur intelligentiam, et ad omnem ambiguitatem, aequivocationemque vitandam breviter praemisso ; ad propositum dubium venio. Quum Indulgentia in sensu, quo accipienda est, non culpam respiciat, sed poenam, quia ejus subjectum est poena remittenda quoad illos, qui a reatu culpae fuerant absoluti, ea concedi omnibus poterit, qui adhuc poenae temporali pro qualitate dimissae culpae sunt obnoxii, seu, quod idem est, peccatores quacumque in aetate sint constituti, omnes temporalis poenae remissionis generice capaces sunt, et Indulgentiam obtinere possunt, dummodo sint rite dispositi. Enim vero ad acquirendum Indulgentiae bonum, injuncta opera implenda sunt, inter quae si de plenaria res sit, ut plurimum adnumeratur sacrae Eucharistiae sumptio. Non est mihi animus hic enumerare casus, in quibus forte plenariae Indulgentiae fructus acquiri possit, etiamsi praemissa non fuerit sacramentalis Communio. Inquiri dumtaxat debet, num pueri doli capaces, sed nondum ad Communionem sumendam per aetatem idonei ad plenariam Indulgentiam lucrandam in vitae exitu admitti possint, etiamsi sacra Dape non fuerint refecti. Omnis

Et eadem Sacr. Rit. Congregatio, requisita prius sententia in scriptis unius sacrar. Apostolicar. Coeremoniar. Magistris, typis etiam vulgata, ad re-

tolli videtur dubitandi ratio ex Constitutione supralaudata Benedicti XIV. legitur quippe in ejusdem exordio = *Pia mater Catholica Ecclesia de aeterna filiorum suorum salute in primis solicita, quum hanc intelligat ab extremo ipsorum mortis articulo potissimum pendere, nunquam praetermisit omnibus eos subsidiis, pro hujusmodi temporis necessitate, opportunis juvare, atque instruere, tam iis nimirum, quibus opus esset ad aeterna praecavenda supplicia, quam quae apta, et salubria forent ad evitandas poenas temporibus praefinitas, quas in altera vita humanis plerumque spiritibus, etiam dimisso mortalis culpae, aeternaeque poenae reatu in purgatorio igne luendas, manere non ignorat* = Clare hic dicitur quod, absoluta generica universalis Ecclesiae cura sit de aeterna filiorum suorum salute, et remissione temporalis poenae, nulla facta inter filios exceptione. Omnes igitur ex generali verborum expressione *omnes Ecclesiae filii*, qui peccaverunt, quique temporali poenae post dimissum mortalis culpae reatum lucrandi Indulgentiam capaces censeri debent, iis minime exceptis, qui ob aetatis dumtaxat defectum nondum sacram Synaxim receperunt. Hi namque, ut adulti, filii sunt piae matris Ecclesiae, iidemque in mortis articulo constituti esse possunt, proindeque obnoxii temporali poenae luendae ob aliquam culpam, forte malitiam praeveniente aetatem (utinam non raro accideret) admissam, sed jam debita poenitentia expiatam. Ut autem clarius pateat, generaliter omnes, qui peccaverunt, nulla facta aetatis distinctione, in praefatis *Benedicti XIV.* Literis comprehendi fideles, itaut nemo temporali poenae subjectus post culpae remissionem ab Indulgentia obtinenda excludatur, alia proferam, quae in iisdem Literis habentur. Postquam enim sapientissimus Pontifex graviorum recensuerat quorumdam criminum absolutionem reservatam vel uni dumtaxat Romano Pontifici quoad Universum Orbem, vel Episcopis in propriis Dioecesibus, subdit regulae generalis limitationem, casumque excipit, si proximae mortis immineat periculum. En verba = *Attamen adveniente unicuique Fidelium supremo migrationis die, omnes hujusmodi absolutionum reservationes cessare, etc.* = *Praeterea cum in Ecclesia immensus, et inaestimabilis existat thesaurus spiritualis .... hoc semper summo studio curarunt Praedecessores nostri Romani Pontifices, ut illius divitias in moribundos Fideles diffunderent, et maxima omnium amplitudine, quae Indulgentia plenaria nuncupatur, cujusque impertiendae jus in Apostolica Sede unice residet ...., nec ullus in Orbe Terrarum angulus esset, ubi Catholicae Religionis professoribus hujusmodi adjumenti copia deesset pro extremo illo momento, quo ipsorum salutis causa in discrimen adducitur* = Ex relatis Literarum Apostolicarum verbis, rite inter se collatis, erui posse videtur, Ecclesiae curam fuisse, et esse, quemadmodum ab omnibus quibuscumque culpis quemque peccatorem in mortis articulo absolvere, quacumque reserva-

lationem Emi, et Rmi D. Card. Pallotta Ponentis, respondendum esse censuit = in omnibus juxta Votum = nimirum.

tione cessante; ita et Indulgentiae thesaurum eodem mortis articulo omnibus aeque concedere. Atqui quoad culpas, earumque absolutionem nulla ponitur exceptio, nulla etiam exceptio fit, aut esse debet quoad impertiendam, obtinendamque Plenariam Indulgentiam. Verum exceptio esset in casu, si illi, qui Indulgentiam obtinendi capaces forent, utpote poenae temporalis rei, per sacrae Communionis defectum ob immaturam aetatem ab ea lucranda excluderentur. Ne igitur exceptio, ubi non est expressa, ponatur; dicendum erit etiam pueros, de quibus in dubio, per verba illa *omnibus etc. moribundos Fideles etc. Catholicae Religionis professoribus etc.* comprehendi. Secus, si diceretur, dici posset eos tamquam filios, et Catholicae Religionis professores, quibus adjuvandis Ecclesia magnopere studet, quoad hujusmodi effectum, haud esse considerandos. Id quod contra Ecclesiae spiritum foret, quae in omnes large diffundit, quae spirituali saluti proficiunt, et alienum esset ab ea charitate, qua omnes indistincte, peramanter filios complectitur.

Plura etiam alia leguntur in Literis Apostolicis, ex quibus nullam in subjectis ad Indulgentiam hanc acquirendam idoneis exceptionem faciendam patet, quae satis, superque tantum hic referre erit, cum eadem prorsus de his, ac de illis ratiocinatio possit institui; cum aeque generalia sint verba, et indiscriminatim omnium Fidelium mortis articulum, et thesaurum Indulgentiae in tanta communi aeque omnium necessitate impertiendum respiciant. Ita ex. gr. quae sequuntur = *A fel. rec. Praedecessore nostro Alexandro PP. VII. . . . indultum fuit, ut Christifidelibus in mortis articulo constitutis benedictionem cum Indulgentia plenaria impertiri valeant*. Quid plura? Clariora etiam sunt, nullamque admittunt exceptionem, quae post pauca subdit = *Ut enim multas praetereamus concessiones Indulgentiae plenariae morientibus Fidelibus INDISTINCTE applicandae* =, quid ad rem nostram aptius? Si *INDISTINCTE* morientibus Indulgentiae plenariae concessiones sunt applicandae; nullus ergo excipiendus videtur, qui concessionis ejusdem capax esse possit. Sed illi, qui sacram Communionem nondum receperunt, idonei esse possunt, eo quod, dimissa culpa, superest adhuc poena temporalis ab iisdem pro qualitate culpae luenda; ergo haud ab generali Indultu excipi debent, ac proinde applicari iis quoque poterit in mortis articulo benedictio cum adnexa Indulgentia.

Demum sapientissimus Pontifex Episcoporum excitat solicitudinem, ne sinant moribundos tanto beneficio privari, imo et eos monet, ut etiam personaliter ad aegrotos accedant. Postquam enim Episcopis, aliisque Praelatis inferioribus, sed jurisdictionem in suis Territoriis habentibus, facultatem fecerat alios subdelegandi, declarat = *Non id propositum nobis fuisse, ut eos prorsus eximeremus ab hoc paternae charitatis officio per se ipsos adeundi miseros aegrotos plenariae absolutionis in extremo articulo adipiscendae cupidos*;

Ad 1. quaesiti I. = *Negativè , et eliminata consuetudine , servetur Rubrica .*

Ad 2. *Negativè .*

*sed ut eorum pietatem opportune juvaremus,ne , dum ipsi aliis pastoralibus curis detinentur , dolere debeant commissos sibi fideles hoc tanto spirituali beneficio destitutos ex hac vita migrare .* = Quod si neminem ex hac vita discedere curandum est Episcopis , quin tanto Ecclesiae thesauro gaudeat , neque illi eo privandi sunt , de quibus in proposito dubio ratio babenda est . Praeterea in praevia instructione ad formulam adhibendam ad impertiendam benedictionem in articulo mortis nulla fit mentio Communionis , sed dumtaxat Confessionis,*si aegrotus voluerit confiteri . . . . si Confessionem non petat , excitet illum ad eliciendum actum contritionis ; de hujus benedictionis efficacia , ac virtute , si tempus ferat , breviter admoneat , tùm instruat , atque hortetur , ut morbi incommoda, ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat etc.*

His omnibus addenda est communis , quae servatur praxis impertiendi benedictionem , cui plenaria Indulgentia est adnexa , etiam illis , qui repentino morbo correpti , sacram Synaxim in extrema illa periodo recipiendi capaces non sunt , *si illam petierint , scilicet benedictionem , et indulgentiam , dum sana mente , et integris sensibus erant , seu verisimiliter petiissent , vel dederint signa contritionis etc.* Jam vero si necessaria omnino esset sacra Communio , neque Indulgentiam obtinendi idonei essent illi , qui subitaneo morbo correpti , aut deglutiendi facultate privati, aut evomitionibus obnoxii, sacra refici nequeunt Eucharistia. Atqui ii capaces censentur, tantoque beneficio nullatenus privantur , *si verisimiliter petiissent, dum sana mente , et integris sensibus erant :* ex allata propterea universaliter admissa praxi consequitur, Communionem tamquam conditionem omnino necessariam in recensitis casibus non requiri : curnam tanto bono privandi erunt pueri qui , ad percipiendam Eucharistiam , etsi nondum idonei censentur, doli tamen capaces cum sint , aliqua culpa suam foedarunt conscientiam, qua per Poenitentiae Sacramentum remissa , adhuc sunt temporali poenae luendae in hac , vel altera vita obnoxii ? Eritne deterior habenda horum conditio , itaut sint incapaces ea Indulgentia , quam pia mater Ecclesia cunctis fidelibus, sine ulla exceptione , vel limitatione, benigne elargitur? Imo potius beneficium extendi ad istos quoque putandum est , quo omnes adulti ( dummodo aliud non obstet ) capaces sunt , etsi ex allatis impedimentis nequeant Communionem praemittere . Quid insuper ? Ideo ad lucrandas Indulgentias plenarias praemitti Communio debet , quia habetur , ut opus injunctum a concedente , qui potest illud , si velit , non apponere ; ergo absolute , et simpliciter necessarium non est, et aliquo in casu potest omitti , et omissio impedimento non est lucrandae Indulgentiae , ad differentiam alterius conditionis , ut , expiata conscientia quoad reatum culpae , remittendus dumtaxat supersit reatus temporalis poenae , quum ad id con-

Ad 1. II. Quaesiti = *Negative* , *et eliminata consuetudine* , *servetur Ritualis Romani praescriptum* .

sequendum , fructumque Indulgentiae percipiendum indispensabiliter necesse sit status gratiae . Idipsum colligi posse videtur ex praefatis Apostolicis Literis *Benedicti XIV.*: quippe a sapientissimo Pontifice monitos video Sacerdotes , qui in extremo agone laborantibus spiritualia praebent Ecclesia auxilia = *Ut omni ratione studeant moribundos fideles ad novos de admissis peccatis doloris actus eliciendos* , *concipiendosque ferventissimae in Deum charitatis affectus* , *praesertim vero ipsam mortem aeque ac libenti animo suscipiendam* =. Quibus in verbis nulla fit distinctio inter infirmum et infirmum , sed *omnes* veniunt sub generali dictione *moribundi fideles*: de Communione vero ne verbum quidem,licet casus (nec infrequenter) dari possit,ut in mortis discrimine positus,et plenaria Indulgentia ditandus fuerit pluribus retro diebus Viatico roboratus , et adhuc capax sit iterum sacra Dape se reficiendi .

Addere hic juvat aliud argumentum , quod , licet directe casum non respiciat , tantam nihilominus ad illum relationem habet , ut nonnihil prosit ad ea , quae huc usque dicta sunt , confirmanda . Idem Pontifex *Benedictus XIV.* Apostolicis Literis ad Poenitentiarios directis , quibus enumerantur facultates per integrum Jubilaei annum Confessariis concessas , alteram has inter ponit , scilicet in aliud pium opus , ad Indulgentiam Jubilaei lucrandam ,commutandi pueris , qui nondum ad Sacram Mensam accesserunt , neque a Parochis ad Communionem percipiendam videntur idonei . Ibi enim §. 43. sic legitur = *Quamvis injuncta pro hoc Jubilaeo Communio sit* ; *pueri tamen* , *qui nondum per aetatem ad primam Communionem admissi fuissent* , *neque intra hunc annum sanctum Parochi proprii* , *vel Confessarii judicio admittendi non videantur* , *censeri possunt ab isto injuncto opere legitime impediti* , *iisdemque Communionem* , *in aliud pium opus arbitrio Confessarii praescribendum* , *commutari permittimus* = . Jam vero si pro lucranda Jubilaei Indulgentia pueris Communio in aliud commutatur opus , et ideo commutatur , quia censeri debent ab altero injuncto , Communione scilicet , legitime impediti ; cur non idem de iisdem censendum erit , qui in mortis articulo reperiuntur ? Imo pro hisce potior videtur ratio , propter quam tanto beneficio privandi non sint . Quod si ullum est tempus , quo injunctum Communionis opus , vel in aliud commutetur , vel etiam nec absolute , ut in casu nostro , nec necessario requiratur : illud profecto est , cum major pro obtinenda luendarum poenarum remissione urget necessitas , et majoribus , ac opportunioribus subsidiis pia Mater Ecclesia Fidelibus omnibus in agone positis succurrere nititur .

Aliquis fortasse erit,qui casum a casu distinguat , haereatque in eo , quod pro Jubilaei Indulgentia obtinenda singularis facultas,et dispensatio quaedam concedatur , quamobrem videtur injuncti operis commutationem habitam fuisse a legislatore Pontifice , ut necessariam conditionem , quae tamen desideratur pro pueris doli capacibus

Ad 2. ejusdem Quaesiti = *Negative , ut ad proximum*.

Ad Dub.unic.Quaesiti III. = *Negative , et servetur Rituale Romanum , excepto tamen casu magnae distantiae ab Ecclesia ; quo in casu omnino servetur etiam domi Rubrica quoad honestam , et decentem , tutamque custodiam* .

Ad Dub. unic. Quaesiti IV. = *Negative* .

Ad Dub. 1. Quaesiti V. = *Jam provisum in responsione ad Quaesit. III.*

Ad 2. ejusd. Quaesiti = *Tollendam esse inductam consuetudinem , et servandas Ritualis Rubricas* .

Ad 3. ejusd. = *Jam provisum in praecedenti* .

Ad postremum = *Affirmative* . Atque ita respondit , et servari mandavit . *Die* 16. *Decembris* 1826.

4475. DECRETUM GENERALE.

Ad tollendos , ac eliminandos abusus , qui irrepserant in Cultus exhibitione nonnullis Dei Servis , qui cum fama et opinione Sanctitatis decesserant , inconsulta Sede Apostolica , ac si essent Beatorum honoribus legitime decorati ; sa. me. Urbanus Papa VIII. generalibus Decretis editis anno 1625. confirmatisque die 5. Julii 1634., providis latis Legibus certum praescripsit ordinem in hisce agendis Caussis in posterum omnino constanterque ser-

positis in articulo mortis . At primum advertendum , ea in Constitutione , quae unice versabatur circa facultates Confessariis concessas favore poenitentium , ad effectum dumtaxat consequendi magnam Jubilaei Indulgentiam , ideoque locum non habuisse casum alterum , de quo in praesens est disputatio . Deinde alia attendenda ratio est , quae ponit differentiam . Benedictina Constitutio consulit pueris , qui sani sunt , et capaces ad opus , in quod injuncta Communionis conditio commutatur , verum , qui in agone positi reperiuntur , plerumque aliud adimplendi opus sunt incapaces ; non erit igitur et his succurrendum ? Id repugnat curae , et solicitudini , quam habet pia Mater Ecclesia omnium filiorum , et fidei catholicae professorum , quaque omnes complectitur , et opportunis juvare vult subsidiis in gravissima illa necessitate . Hinc nil mirum si nulla singularis dispensatio , nulla singularis facultas concedatur , nulla commutatio facienda praecipiatur quoad positos in mortis articulo , licet necessaria sit pueris capacibus , et valentibus implere opus , in quod commutata est Communio ad Jubilaei Indulgentiam consequendam .

Sive igitur ratio habeatur finis, quem habet pia Mater Ecclesia in hac impertienda benedictione , et indulgentia , sive ejusdem Indulgentiae subjecti , sive communis cum aliis fidelibus obtinendi Indulgentiam necessitatis ad dimittendas temporales poenas debitas pro peccatis , jam poenitentia remissis , sive generalium Apostolicarum Literarum locutionum , sive praxis , quae universaliter obtinet ; concludendum videtur, pueros, de quibus in dubio , quatenus illam obtinendi capaces sint , per peccata patrata , et jam quoad reatum culpae remissa , ab hoc singulari beneficio non esse excludendos ; quemadmodum Sacra Congregatio in responsione ad propositum dubium declaravit .

vandum . Per hanc tamen generalem sanctionem expresse declaravit = *se nolle ullum praejudicium inferre iis ( Servis Dei ) , qui aut per communem Ecclesiae consensum , vel immemorabilem temporis cursum , aut per Patrum , Virorumque Sanctorum Scripta , vel longissimi temporis scientia , ac tolerantia Sedis Apostolicae , vel Ordinarii coluntur* = . Quoniam vero hujusmodi ab universali Lege exceptionum cognitio ad Sacrorum Rituum Congregationem servabatur , extunc obtinuit consuetudo , ut quoties eorumdem Servorum Dei , qui aliquo ex modis supramemoratis in Cultus possessione reperiri putabantur , Caussa ad eamdem Sacram Congregationem deferri contingeret ; primum in ordinario Conventu de introductionis Commissione signanda ageretur : qua favorabili Rescripto absoluta , in altero postmodum cogendo , de Cultu , sive casu excepto instrueretur judicium . Hoc tandem juxta Postulatorum vota prolato , locum habebat altera Instantia pro Officii et Missae concessione . Ita refert , et docet Benedictus XIV. = *de Servorum Dei Beatificatione Lib.IV.Part.II.Cap.IV. et sequen.* = atque haec fuit constans Sacrae Congregationis disciplina per bina fere Saecula .

Sed quoniam saepe evenire solet in iis etiam , quae recte sapienterque constituta sunt , diuque incorrupte servata , ut temporis lapsu languescant , sensim immutentur , et diversam formam suscipiant , unde opus , ut obliteratus rigor , si non omni , aliqua saltem in parte ad observantiam revocetur : id quod accidit in praefatis Caussis pertractandis , quae a Papae Urbani Lege excipiuntur . In his quippe novus paullatim longe facilior , et expeditior inductus est. ordo sub ea specie , quod antiquus rigor retinendus sit dumtaxat , si , sententia dicta de casu excepto , progredi mens sit ad formalem Canonizationem , non autem , si ut legitimus Cultus adprobari petatur , nisi ad hoc tantum , ad petendum nempe Officium , et Missam .

Quamobrem hanc veteris disciplinae relaxationem non sine aliqua indulgentia , et moderatione coercere exoptantes , Emi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi , serioque recogitantes decere , ut pro casuum diversitate , diversus sit modus , diversaque judicandi ratio , re mature , diligenterque perpensa in Ordinariis Comitiis sub infrascripta die habitis , unanimes fuerunt in Voto , decernentes , ne in posterum admittantur Instantiae pro concessione Officii et Missae in honorem illorum Dei Servorum , qui sunt aliquo ex recensitis modis in possessione publici , et ecclesiastici cultus , nisi ordine sequenti servato .

Primum in Congregatione Ordinaria proponendum , et discutiendum erit Dubium = *An constet de casu excepto a Decretis sa. me. Urbani PP. VIII.* = audito tamen in scriptis Promotore Fidei , cui tradenda erunt originalia , et legalia documenta , ut suas exaret Animadversiones , quibus , si opus fuerit , poterunt Postulatores respondere . Si Patres Emi Sacrae Congregationi praepositi in affirmativam abeuntes sententiam dixerint , constare de casu excepto , locus erit in subsequenti Congregatione novae Instan-

tiae super concessione Officii, et Missae, audito pariter in scriptis Promotore Fidei, veluti supra dictum est.

Quatenus vero in aliqua ex Caussis, in quibus adprobatus, auctusque cultus est accessione Officii et Missae, procedi optetur ad formalem Canonizationem, Acta strictim iteranda erunt, ac retinendus antiquus judicialis ordo, qui in similibus inviolabiliter servatus fuit. Et ita decreverunt, et declararunt, praecipientes mihi infrascripto Secretario, ut Generale Decretum ederem, facto verbo cum SSmo. Die 16. Decembris 1826.

De quibus omnibus, et singulis facta Sanctissimo Domino Nostro Leoni XII. Pont. Max. relatione, Sanctitas Sua Sacrae ejusdem Congregationis sententiam adprobavit, et confirmavit, ipsumque generale Decretum praelo tradi, et evulgari mandavit. Die 20. superioris Mensis et Anni.

4476. VELITERNEN.

Sodalitas Vexillariorum erecta Kalendis Octobris 1348. sedente Clemente Papa VI. in Ecclesia sui Juris Deo in honorem S. Joannis Apostoli dicata vulgo in Plagis Civitatis Velitrarum; atque adjuncta Albo Archiconfraternitatis Urbis quarto Nonas Maii 1585., a qua superiori anno piaculari hospitium recepit, fuitque per Urbem ad visendas Basilicas deducta pro Indulgentiis lucrandis, in sua consuetudine atque usu privilegiorum deturbatur a Parochorum Collegio ejusdem Civitatis, qui privative sibi vindicare volunt stolae delationem publicis in supplicationibus, cadaverum associatione etc., neque in iisdem ea uti sodalitatis Cappellano permittunt. Ast quum alienum id sit a Praxi Archiconfraternitatis Urbis, qua cum consociatur, scandalisque, ac dissentionibus saepe saepius viam aperiat; recensitae Sodalitatis Moderatores supplices, humillimasque Sacrae Rituum Congregationi preces dederunt, quatenus ipsius consuetudinem, et privilegia, praesertim quoad Stolae delationem a Cappellano faciendam confirmare dignaretur. Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu sub infrascripta die coadunato apud Vaticanum, audita mei infrascripti Secretarii relatione, probe noscens decere, et conveniens esse, ut Confraternitatum Cappellanus a simplicibus Clericis distinguatur, hisce precibus rescripsit = *Detur Decretum in Veliternen. Archiconfraternitatis Sacrorum Stygmatum S. Francisci die* 27. *Martii* 1824. = Et ita servari mandavit etiam ab Sodalitate Vexillariorum ejusdem Civitatis. *Die* 16. *Decembris* 1826.

4477. VELITERNEN.

Sodalitas Beatae Mariae Virginis Charitatis, ac Mortis Titulo modo erecta propria in Ecclesia S. Apolloniae Virg. et Mart. Civitatis Velitrarum, vel uni secunda quoad pervetustam erectionem suam, namque receptionem Albo Archiconfraternitatis S. Hieronymi Charitatis Urbis factam agnoscit de anno 1519., ac postmodum anno 1748. Alteram Mortis Archiconfraternitatis requisivit, a qua superiori anno piaculari hospitium recepit, fuitque ad visendas per Urbem Ecclesias deducta; a Parochorum ejusdem Civitatis Collegio sua in consuetudine, ac privilegiis ex recensitis adscriptionibus desumptis praepeditur, quominus ipsius Cappellanus, licet Sacerdotali charactere insignitus, publicis in supplicationibus, cadaverum associatione etc. Sto-

la e collo pendente utatur, ex quo illud inconveniens exurgit, ut dum per agros juxta Instituti pium morem pauperes defunctos colligit, ne Sacerdos quidem reperiatur, qui lustrali aqua cadaver ex Ritualis praescripto aspergat. Quod hujusmodi impedimentum finem aliquando recipiat, piumque Institutum ad Ritualis Romani placitum peragatur, supplices, humillimasque Sacrae Congregationi Rituum preces porrexit, quatenus ipsis consuetudinem, et privilegia, praesertim quoad Stolae delationem a Cappellano faciendam, confirmare dignaretur. Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Conventu sub infrascripta die apud Vaticanum coacto, audita mei infrascripti Sacrorum Rituum Congregationis Secretarii relatione, probe noscens decere, et conveniens esse, ut Confraternitatis Cappellanus a simplicibus Clericis distinguatur, hisce precibus rescripsit = *Detur Decretum in Veliternen. Archiconfraternitatis Sacrorum Stygmatum S. Francisci die 27. Martii 1824.* = Et ita servari mandavit etiam a Confraternitate Charitatis, ac Mortis ejusdem Civitatis. *Die 16. Decembris 1826.* (*a*)

4478. NEAPOLITANA.

Etsi jam alias praesertim in Ordinario Coetu Sacrorum Rituum Congregationis diei 24. Januarii 1698. decretum fuerit, Primicaerio Collegiatae Ecclesiae S. Joannis Majoris Civitatis Neapolis solemniter celebranti in diebus per annum solemnioribus, a Canonicis ejusdem Ecclesiae deberi assistentia in Officio Diaconi, et Subdiaconi: nonnulli tamen ex iisdem Canonicis, ea sunt in opinione versati, posse se repugnare, judiciumque iteratò instituere super infrascripto dubio, nimirum = *An Primicaerio solemniter celebranti Canonici pro Diacono, et Subdiacono inservire teneantur?* = (*b*)

(*a*) Vide quae notata sunt ad Decretum 4457.

(*b*) Quum inter Primicaerium, et Canonicos Collegiatae S. Joannis Majoris Civitatis Neapolis nonnullae exortae essent controversiae; hinc ad affectum imponendi iisdem finem, componendi dissensiones, turbatamque pacem restaurandi, aliquot dubia discutienda, definiendaque delata fuerunt ad Sacror. Rit. Congregationem, quae sub diebus 22. *Junii*, *et* 5. *Octobris* 1697. *et* 25. *Januarii* 1698. re diligenter, matureque discussa, habitaque ratione Jurium utrique parti competentium, singulis opportunum dedit responsum. Ea inter in postrema propositione illud quartum tenebat locum, quo quaerebatur = *An, Primicaerio solemniter celebranti, Canonici pro Diacono, et Subdiacono inservire teneantur?* = Cui Quaesito, novis adhibitis curis, requisitoque alterius ex Magistris Caeremoniarum Voto, responsum fuit *affirmative*, decretoque addita fuit clausula = *Nec amplius in omnibus Causam praedictam proponi decrevit* =. Post longam fugam centum, et triginta fere annorum, credi merito poterat compositam rem fuisse, nec amplius litem fore instaurandam. Secus tamen accidit. Etsi enim quoad alia dubia, quae in praefatis Congregationibus discussa, ac definita fuerant, nullo modo moveatur quaestio, non ita tamen evenit de illo, quod versatur circa assistentiam Primicaerio solemniter ce-

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum sub infrascripta die in Ordinario Conventu pariter coacto, ad relationem Emi, et Rmi Dni Cardinalis Francisci Falzacappa Ponentis, re mature, diligenterque discussa, audita prius utraque parte scriptis, et voce informante, rescribendum censuit = *Servetur omnino Decretum diei* 25. *Januarii* 1698. *et amplius*, *et ad mentem* = . *Die* 22. *Septembris* 1827.

4479. ROMANA.

BASILICAE COLLEGIATAE S. MARIAE TRANSTYBERIM.

Kalendis Novembris Anni Incarnationis Dominicae 1824., datis a SSmo Dño Nostro Leone XII. Pontifice Maximo Apostolicis Literis in forma Brevis = *Super Universam* = quoad novam Paroeciarum Almae Urbis Ordinationem, id lege cautum erat, ut Parochis, seu Vicariis perpetuis Basilicarum minorum interea jus tribueretur sedenti inter Canonicos Ordinis Presbyteralis cum caeteris juribus, privilegiis, praerogativis, et emolumentis, quibus caeteri ex illo ordine fruuntur, ac postmodum consequerentur Canonicalem Praebendam ex communi Massa primò vacaturam. Hic juris ordo caeteris in Ecclesiis pacifice servatus, ubi primum vacatio contigit, controversiam attulit Capitulo Canonicorum Collegiatae Basilicae S. Mariae Transtyberim. E vivis siquidem erepto Sacerdote Basilio Tragnoli illius Ecclesiae Canonico, locus datus est optioni ad Ordinem Presbyteralem primo Canonico Diacono, antequam Hannibal Righi Canonicus Parochus, seu Vicarius perpetuus Praebenda Canonicali potiretur. Qui ex hac optione injuriam se pati arbitratus, supplicem libellum Sacrorum Rituum Congregationi dedit, ut optionis jus sibi vindicaret. Sacra vero Congregatio juxta probatum morem, ut hac in controversia procederetur, ab Emo Dño Cardinali Titulari votum, informationemque requisivit, deinde, juxta juris terminos accitis coram D. Secretario tum recensito Canonico-Curato, tum caeteris ejusdem Ecclesiae Canonicis Ordinis Diaconalis, et Subdiaconalis, sequentia inter partes Dubia concordata fuere, nimirum.

lebranti a Canonicis praestandam. Verum in novo hoc disponendo examine ab consueto judiciali ordine declinatum fuit. Nam cum ageretur de quaestione, quae a sacro Patrum Ritibus tuendis praepositorum Coetu discussa, ac definita, dubium proponendum erat sub altera ex sequentibus formulis = *An sit standum, vel recedendum a decisis?* = sive = *An Decretum* 25. *Januarii* 1698. *sit confirmandum, vel infirmandum?* = Verum a solito declinantes Canonici, ac si de noviter exorta controversia agendum esset, nec petita facultate de redeundo, non obstante clausula *amplius* apposita postremo Decreto anni 1698., simpliciter postularunt = *An Primicerio solemniter celebranti, Canonici pro Diacono, et Subdiacono inservire teneantur?* = Ideo Sacra Congregatio non directe proposito Dubio respondit, et satius esse duxit praxi judicialique ordini conforme antiquum confirmare Decretum sub ea Rescripti formula = *Servetur omnino Decretum diei* 25. *Januarii* 1698. *et amplius*. Breviter haec adnotanda duxi ad uberiorem facti declarationem.

1. *An sit locus optioni ad Canonicatum Presbyteralem vacantem Canonico Massa, seu potius privative spectet ad Canonicum Curatum Righi vigore Literarum Apostolicarum?*

2. *An in futuris vacationibus sit locus adscensui ejusdem Canonici Curati, seu potius Diaconi, et Subdiaconi antiquioris possessionis?* Quae postmodum sub infrascripta die Eidem S. R. Congregationi in Ordinario Coetu ad Vaticanum coacto enodanda fuerunt proposita.

Sacra vero Congregatio, audita utraque parte, voce, et scripto, etiam cum responsionibus, informante, mature perpensis allatis rationum momentis, praesertim enunciatis Literis Apostolicis, et earum §. 34. = *Id nos maxime contendentes* = ad relationem Emi, et Rmi D. Cardinalis Antonii Pallotta Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad 2. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Atque ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 22. *Septembris* 1827. Extempore Canonici Diaconi, et Subdiaconi contra hoc Decretum adpellationem postularunt, et coram Dño Secretario Canonicum Curatum iterum evocarunt in judicium, qui extunc mandavit *proservari post Autumnales Ferias*. Interea temporis idem Canonicus Curatus SSmo Dño Nostro supplicem porrexit Libellum, ut in hoc judicio iterum coram S. R. C. instituendo, quaedam adhiberentur cauthelae: SSmus vero propria manu signavit = *Domino Secretario, qui verba faciat* = Factaque ab eodem, a Sanctitate Sua ad particularem audientiam vocato, relatione, *SSmus Caussam hanc ad se avocavit, et nihil ulterius innovari jussit*. Die 5. Novembris 1827.

Demum in ordinaria sub infrascripta die audientia SSmus, rè mature perpensa *adprobavit, confirmavitque Decretum Sacrorum Rituum Congregationis super controversia editum enunciata die* 22. *Septembris currentis anni, illudque declaravit MENTI SUAE ESSE CONFORME; idèoque, sublata adpellatione, omnino exequendum, et huic caussae perpetuum silentium imposuit*. Die 14. Novembris 1827. (*a*)

(*a*) Hoc Decretum nulla indiget declaratione, aut illustratione. Postquam *SSmus Dñus Noster Leo Papa XII.* quem Deus O. M. diu sospitem, incolumemque servet pro universae Catholicae Ecclesiae bono, declaravit *Sac. Congregat. responsa conformia esse Menti Suae*, nulla superest ambiguitas circa intelligentiam Constitutionis *Super universam datam apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae* 1824. *IV. Kalendas Novembris* de nova Paroeciarum Almae Urbis ordinatione. Id, quod praesertim respicit dispositionem expressam in §. *Id nos maxime contendentes*. Etenim Sacratissimus Princeps datis regulis, mediisque comparatis, quibus Parochi simul possent cùm muneris dignitatem tueri, tùm diligentius expeditius, commodius Animarum curae incumbere, speciali quodam modo distinxit, novoque auxit honore illos, qui tanquam Vicarii Curati erant constituendi in Patriarchalibus, Basilicis minoribus, ac Colle-

4480. LUCANA.

Parochiales Ecclesiae in Hetruria per Classes ita sunt dispositae, ut Plebs una veluti Matrix plures Parochiales subjectas habeat, quas vocant Classidicas, et quarum Parochi ad Plebem convenire solent Sabbato Sancto pro Fontis benedictione, receptione, et distributione Sanctorum Oleorum, prout etiam intersunt solemnioribus illius functionibus. Hanc Plebis qualitatem a remotissimis usque temporibus scilicet ab anno 786. in Dioecesi Lucana obtinuit Parochialis Ecclesia S. Georgei nuncupata loci Vico-pelago, etiam postquam sub die 5. Septembris 1544. Capitulo Sanctorum Joannis et Reparatae Civitatis Lucensis unita, adnexa, et incorporata fuit. Hoc itaque initium nuncupationis Vice-Plebani ejus, qui pro tempore curam exerceret Animarum Capitulo propter unionem adjudicatam. Nunc autem quum Plebs iterum proprium jus, propriamque jurisdictionem per Capituli suppressionem novissimis perturbationibus factam sibi vindicaverit, Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicarunt illius communis Deputati pro reintegratione Tituli Plebani favore Rectoris recensitae Ecclesiae S. Georgei, ejusque Successorum loco alterius Vice-Plebani, quo usi sunt,

giatis. Hos namque praeter Parochialis muneris, quod commune cum aliis Parochis exercitium habent, novo auxit decore, et ornamento, decernendo, ut iidem, ac eorum successores nunc, et in perpetuum Patriarchalium Ecclesiarum Beneficiariis Ordinis Presbyteralis accenserentur, ubi primum Beneficiaria Praebenda vacasset, similique modo Vicarii perpetui aliarum Basilicarum minorum, et Collegiatarum Canonicatum de Massa primo vacaturum obtinerent. Sed hoc non satis. Jussit insuper, donec vacaret aliqua ex praefatis Praebendis, eosdem illico Stallo, aliisque praerogativis, praeeminentiis, ac insignibus potiri, et gaudere, ut caeteri vel Beneficiarii, vel Canonici ex Collegio respective potiuntur, et gaudent. Ex his clarissime patet, quod si Parochus, vel Beneficiarius, vel Canonicus, qui, usque dum honorarius fuit Stallum inter Beneficiarios, vel Canonicos Ordinis Presbyteralis supra caeteros inferioris Ordinis in sua institutione occupavit, licet nondum Praebendam adeptus, postquam hanc consequutus est, factusque verus Canonicus, verusve Beneficiatus, a sede, quam tenuerat, nullo modo, nullo sub praetextu, aut quaesito colore est exturbandus, vel jure ascendendi privatus, quia cujuscumque Ordinis sit Praebenda vacans, quam ipse obtinuit, vigore tamen praefatae Constitutionis *Presbyteralis* evasit, et uti talis in perpetuum habenda erit. Ideo in hoc peculiari casu ex mente, et voluntate satis expressa Pontificis Legislatoris, qui primus erat in Ordine Diaconali, nequibat ad Presbyteralem ascendere, eo quod hujusmodi ascensus uni competebat Vicario Curato, et alia quaelibet dispositionis Apostolicae interpretatio erronea erat, ac propterea irriti, et inanes actus omnes, qui ex falsa interpretatione sequuti sunt. Sed in re tam clara non interest immorari diutius, postquam Legislator ipse Pontifex Summus hunc sensum esse voluntati suae conformem declaravit.

durante unione Plebis cum Capitulo Sanctorum Joannis, et Reparatae.

Et Sacra eadem Congregatio in ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto; visis perpensisque allatis momentis, necnon informatione et voto Rm̃i Archiepiscopi Lucani, re mature discussa, ad relationem Em̃i, et Rm̃i Dñi Cardinalis Antonii Pallotta Ponentis, rescribendum censuit = *Ecclesiam S. Georgei loci Vico-pelago restituendam esse ad antiqua jura Plebaniae, quibus potiebatur ante Unionem*. Et ita decrevit. *Die* 22. *Septembris* 1827.

4481. CALARITANA.

In Beneficiatorum Collegio Metropolitanae Ecclesiae Calaritanae duo adsunt Beneficiati Cajetanus Lolliè, et Joannes Pasero, qui Juris-Patronatus Beneficio gaudent. Hi sola clericali initiati Tonsura, et anteriores ratione possessionis Beneficiatis in Ordine Sacerdotali constitutis, ob hanc praeferri se Sacerdotibus tendunt. Exorta proinde inter hos, ac Beneficiatorum Collegium controversia de praecedentia, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda sunt proposita, nimirum.

1. *An Decreta in Sutrina diei* 13. *Julii* 1639., *et in Monopolitana diei* 17. *Novembris* 1674. *extendenda sint ad Beneficiatos?*

2. *An propterea competat duobus praedictis Clericis Beneficiatis praecedentia super alios Sacerdotes Beneficiatos posteriores in possessione tam in Choro, quam in Functionibus? Et quatenus affirmative.*

3. *An ipsis Clericis Beneficiatis, postquam Sacerdotes effecti fuerint, reintegratio competat adversus Sacerdotes Beneficiatos posterius provisos?* (*a*)

(*a*) Tot sunt Decreta in nostra hac collectione relata, ac in Indice notata, quae dant regulam, controversiasque omnes dirimunt, quae saepenumero super praecedentia exoriuntur, ut frustra hac in re elucidanda immorandum mihi esse censerem. Satis sit unum indicare Decretum Sac. Congregationis Pontificia auctoritate firmatum *in Una Urbis S. Mariae ad Martyres*, quod normam dare debet in similibus. Postquam enim sub *die* 29. *Martii S. C.* rem definierat, non acquiescentibus Canonicis Clericis, iterum quaestio reintegrata fuit in altera Congregatione Ordinaria *coram SSm̃o die* 27. *Septembris* 1659. in qua *Sanctitas Sua* decrevit: *Canonicos Sacerdotes, quamvis possessione Canonicatus posteriores, ubi Praebendae non sunt distinctae, semper, et ubique praeferendos esse Canonicis inferioris Ordinis, etiam possessione Canonicatus anterioribus* = Et insuper addidit = *non obstante immemorabili consuetudine, quam abusum imperscriptibilem declaravit*. (*num* 1834. *et* 1854.) Quisque autem videt, planeque intelligit Decretum hoc tamquam legem generahabendam esse in posterum omnino servandam. Ridiculum porro est effugium, ad quod Clerici a proposito casu recurrunt, videlicet, quod idem Decretum, et innumera alia, quae deinde prodierunt, loquantur de Canonicis, non autem de Beneficiatis. Par enim militat ratio, et tempus inutiliter tererem, si id demonstrandum susciperem. Satis hoc est quoad

Et Sacra Eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto, requisitis Voto et Informatione Rmi Archiepiscopi, necnon voto alterius ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris scripto pandito, praeloque cuso, re mature, diligenterque discussa, ad relationem Emi, et Rmi Dni Cardinalis Francisci Serlupi Ponentis, rescribendum censuit = *Juxta Votum Magistri Coeremoniarum* = nimirum.

Ad 1. *Affirmative in genere*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Negative*.

Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 22. *Septembris* 1827.

4482. ALEXANDRINA.

Quaestio inter Canonicos Ecclesiae Cathedralis Alexandrinae in Subalpinis exorta semel, atque iterum est; an ad Psalmorum Poenitentialium, Gradualium, Officii Defunctorum, et Beatae Mariae Virginis recitationem statutis a Rubrica temporibus, ac diebus teneantur? Aliquibus inter eos denegantibus aliqui affirmant, et diversis, ut quisque suam protueatur sententiam, rationibus innituntur. Totius rationis ratio quum in eo sita sit, ut Apostolicis Litteris diei 1. Junii 1803. Alexandriae Capitulum suppressum, extinctumque fuerit, et in Collegiatam erectum, aliisque similibus Litteris diei 2. Augusti 1817. iterum in Capitulum erectum per illam suppressionem, omnem consuetudinem abrogatam esse contendant, dum nonnulli illam resumendam esse affirment. Ad quaestionem omnem dirimendam infrascriptum Dubium S. R. C. enodandum proposuere Dignitates, et Canonici Cathedralis Alexandriae, nimirum.

*An, attentis circumstantiis, de quibus supra, abrogata censenda*

primum, alterumque dubium.

Ad tertium quod attinet, quaestionem dirimit S. C. in *Una Monopolitana die* 17. *Novembris* 1674. in qua legitur a Sac. Congregatione declaratum = *Quod Canonici Clerici, ubi Praebendae non sunt distinctae in Presbyterales, Diaconales, et Subdiaconales, quamvis antiquiores receptione, non sunt praeferendi Canonicis Presbyteris, etiam postquam Canonici Clerici fuerint effecti Sacerdotes, et tunc nec ipsis competere reintegrationem, seu praecedentiam adversus Canonicos posteriores receptione; cum jus semel adeptum ex Sacerdotio nunquam amittatur, non obstante immemorabili in contrarium consuetudine, quam abusum imperscriptibilem declaravit*. (*num.* 2562.)

Me equidem non latet, duo afferri posse S. C. Decreta, quae dant Clerico reintegrationem, simul ac ei licuerit ad Sacerdotium ascendere. Ita in *una Sanctae Severinae sub die* 22. *Novembris* 1659. *et AEugubina* 15. *Septembris* 1736. quibus addi altera potest *Verulana Praecedentiae die* 31. *Augusti* 1737. (*num.* 1868. 3903. *et* 3918.) Hujusmodi tamen Decreta in casibus particularibus ob disparem rationem proferre non juvat, prout possem hic demonstrare, nisi id praestitissem in adnotatione ad Decretum in *Terracinen.* 5. *Martii* 1825. (*num.* 4462.) lege igitur, quae ibi notanda duxi.

*sit consuetudo recitandi Officium parvum Beatae Mariae Virginis, Defunctorum, Psalmos Graduales, et Poenitentiales in Cathedrali Alexandrina, atque adeo, num Canonici ab iis recitandis soluti sint, eaque propterea Officia persolvere deinceps possint ex sola devotione?*

Et Sacra Eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto: exquisito prius Voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto pandito, praeloque cuso, re mature, diligenterque discussa, perpensisque rationum momentis ab utraque parte allatis, ad relationem Emi, et Rmi Dni Cardinalis Placidi Zurla Ponentis, respondendum censuit = *Juxta Votum* = nimirum.

*Attenta vigente olim consuetudine, teneri Canonicos Officia, et Psalmos, ut in Dubio, recitare, ac servanda esse hujus Sacrae Congregationis Decreta* =. (*a*)

Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 22. *Septembris* 1827.

(*a*) Ex Decreto colligimus Cathedralem Ecclesiam Alexandrinam anno 1803. suppressam fuisse, dein vero in Collegiatam commutatam, in quo statu, qualitateque perseveravit usque ad annum 1817., quo tandem a Sa. Me. *Pio VII.* Apostolicis Litteris datis *die* 2. *Augusti* in Cathedralem fuit restituta, aut noviter erecta, dato in nova Dioecesium circumscriptione, eidem Ecclesiae Episcopo. Scire nullatenus interest, num intermedio tempore, quod a suppressione ad reintegrationem, vel novam erectionem computatur, legitime fuerit in veram Collegiatam conversa: illud potius attendi debet, quod Capitulum usquequo existendi Cathedrali inservivit, stetitque Episcopalis Sedes, consuevit Horis Canonicis addere Officium parvum B. M. V., illud defunctorum, Psalmos Graduales, ac Poenitentiales diebus ferialibus, vel recurrente Officio ritus simplicis, juxta formam praescriptam in Rubricis Breviarii a Sancto Pontifice Pio V. reformati. Ab hoc onere adimplendo, extincto Capitulo, cessatum fuit, prout cessarunt jura, aliaque onera omnibus Cathedralibus communia, vel peculiaria, vigore Instituti, et Constitutionum Alexandrini Capituli. Eo tamen reintegrato, vel per restitutionem, vel per novam erectionem reassumenda erat etiam vi praefatae Pianae Constitutionis antiqua consuetudo recitandi Officium parvum B.M.V. etc. nec poterant Dignitates, et Canonici, ut perperam nonnulli opinabantur, se ab eodem onere ita solutos credere, ut ad interruptam consuetudinem redire non tenerentur, eo sub praetextu, quod in Literis Apostolicis reintegrationis, aut novae erectionis de eadem consuetudine reassumenda nulla mentio occurreret. Id opus non erat, et sicuti restituebantur antiqua jura, ita etiam et onera, vel ex lege, vel ex consuetudine, saltem quoad ea, quae respiciunt Divinam Psalmodiam in Choro persolvendam. Rationes autem subtilesque argumantationes ab aliquibus productae, ut sese, Capitulumque eximerent a praefato onere, putantes per reintegrationem, vel novam erectionem, ut restitutam praefatam consuetudinem non esse habendam. Merito igitur re delata ad S.R. C., Eminentissimi Patres eidem praepositi nihili habendas esse allatas ra-

4483. CAMERINEN.

Pene ab immemorabili tempore S. Paulus Apostolus totius Comitatus Flastriae Dioecesis Camerinen, ceu Praecipuus Patronus, semper est habi-

tiones, et subtiliter deductas argumentationes declararunt, propterea restitutum Capitulum teneri ad recitationem Officii parvi B.M.V. etc., juxta consuetudinem, quae obtinuerat usque dum Cathedralis Capitulum steterat. Haud prodesse poterat interrupta consuetudo ad sustinendam opinionem contrariam: nam eadem S. C. in quaestionibus hac super re quandoque exortis nihili pendendum morem censuit ab laudabili consuetudine alienum, quacumque ex causa idem fuerit inductus, semperque respondit parendum esse Constitutioni S.Pii V. et Rubricis Breviarii reformati, primaevamque consuetudinem esse restituendam. Ita sub *die* 28. *Januarii* 1606. *in una Svessae* (*num.* 141.), et in *Pacen. cum petiissent Canonici, et Capitulum declarari: an tenerentur recitare Officium B. M. V. illud defunctorum etc. prout assignantur in Breviario reformato etc. quae recitari consueverunt ante acceptationem dicti Breviarii reformati, sed non in omnibus diebus in Rubricis postea praescriptis in memorato Breviario reformato, sed in quibusdam tantum diebus, quae consuetudo in desuetudinem postea abiit* sub inani praetextu quod *Constitutio S. Pii V. non obligat sub poena peccati mortalis*. Responsum fuit = *Teneri in Choro recitare Officium parvum B.M.V. etc. in diebus, in quibus assignantur in Breviario reformato etc. extra Chorum excusari, si . . . . non celebrent*. Ita sub *die* 10. *Januarii* 1609. (num. 204.) Vide etiam aliud Decretum in Saguntina *die* 10. *Martii* 1657. (num. 1670.) et tandem in *Nolana* tanto cum rigore id esse intelligendum ab eadem S. C. declaratum fuit sub *die* 20. *Martii* 1660., ut mos semel inductus nequeat aboleri per contrariam consuetudinem post Bullam Pii V. introductam, et *hanc esse abusum imprescriptibilem* (num. 1896.) si abusus imprescriptibilis est, quanam ratione, colore, ac praetextu poterunt Cathedralis Alexandrinae Dignitates, et Canonici ab onere se censere solutos, cui sese obligaverunt Breviarium reformatum acceptantes?

Ne quis opponat Decretum in *Nucerina die* 11. *Junii* 1629, quo declaratum fuit ab Episcopo *cogi non posse* Nucerinae Cathedralis Canonicos, ad recitandum in Choro Psalmos Graduales etc. (num. 666.) Nam ea in Ecclesia similis consuetudo non aderat, et nunquam adfuerat, nec propterea novum onus erat imponendum, quo ejusdem Capitulum se gravare nolebat. Igitur Decretum hoc, et siquae sunt alia hujusmodi contradictionem non involvunt, sed inter casus, et casus ponunt differentiam, ut clarius explicatum video ab eadem S. C. in *Pernabucen. die* 4. *Septembris* 1775., nam ad dubium hisce conceptum verbis = *An Capitulum possit in bona conscientia omittere recitationem Officii parvi B. M. V. in diebus simplicibus, et ferialibus, eo quod tenues sint dictae Praebendae, et nulla adsit consuetudo praedictum Officium parvum recitandi?* = respondit. = *Officium parvum B. M. V. in diebus simplicibus, et ferialibus*, *NON*

tus ; siquidem de anno 1436. tempore Sa. Me. Eugenii Papae IV., quando efformatae sunt leges, atque in statutum digestae ejus rei memoria extat. Licet itaque nulli umquam in suspicionem venerit Flastrenii in Comitatu hoc jus saeculorum cursu quaesitum Doctori Gentium non competere; nonnulli tamen nuperrime ex Paroecia S. Laurentii illud inficiari authumarunt. Controversia ad hanc Sacrorum Rituum Congregationem delata, informatio, et Votum Rm̃i Archiepiscopi de more requisita sunt. Oppugnatores interim manus victas dedere, atque in partes se receperunt. Ne autem in posterum quid simile eveniat, praesertim ex eo, quod Kalendaristae Dioecesis aliquando hoc adnotare praetermiserant, ad omnem ambiguitatem de medio tollendam, Eidem Sacrae Congregationi Sacerdos Aloysius Cicotti Rector Abatialis Ecclesiae S. Pauli recensiti Castri, ac DD. Eusebius, et Aloysius Conti Deputati ejusdem Parochialis Populi humillime supplicarunt postulantes, ut supremo suo judicio decerneret S. Paulum Apostolum habendum pro unico praecipuo Patrono in universo Comitatu Flastriae.

Et Sacra Congregatio in ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto, visis, perpensisque allatis rationum momentis; necnon informatione, et Voto Rm̃i Archiepiscopi, ad relationem Em̃i, et Rm̃i D. Card. Augustini Rivarola, vice et loco Em̃i, et Rm̃i D. Card. Joannis Caccia-Piatti Ponentis absentis, rescribendum censuit: *Pro Informante*.

Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 22. Septembris 1827. (a)*

Factaque de praemissis omnibus SSm̃o Dño Nostro Leoni XII. Pontifici Maximo per me infrascriptum Sac. Rit. Cong. Secretarium relatione, Sanctitas Sua Sac. Congregationis Rescriptum adprobavit, et confirmavit. *Die 26. recensitis Mensis, et Anni*.

*ABROGATA TAMEN CONSUETUDINE, QUAE IN CONTRARIUM FORTASSE VIGERET*, *tuto posse omitti* (num. 4027. ad 5.) Ex hoc responso facile quisque intelligit, quid sit servandum, nam tuto omitti posse praefatam recitationem respondit, quia expositum fuerat *nullam adfuisse consuetudinem*, sed simul Decreto additam voluit clausulam, conditionemque praeservativam = *non abrogata tamen consuetudine, quae in contrarium fortasse vigeret*: quod idem est, ac si responsum fuisset = *consuetudinem omnino servandam recitandi praefatum Officium, si aliquando ea in Cathedrali obtinuisset*.

Haec adnotanda duxi, non quia Decretum latum pro Ecclesia Cathedrali Alexandrina illustratione indigeret, verum ut ostenderem, quae constans sit Sac. hujus Congregationis mens, et sententia, videlicet, quod nullo sub colore, nullo sub praetextu, nulla ex causa recedendum sit a recitatione Officii B. M. V. in Choro, etiam si quacumque ex causa constet morem a Rubrica praescriptum fuisse interruptum. Ab hoc onere dumtaxat libera esse Capitula, quae nullo unquam tempore illud sibi imposuerunt.

(a) Cum Decretum hoc contumaciale sit, nihil offert quod sit, vel declarandum, vel illustrandum.

4484. BUGELLEN.

A prima Cathedralis Bugellen erectione constanter observatum fuit illud, quod exactissime congruit Coeremonialis Episcoporum dispositionibus, et Sacrorum Rituum Congregationis Decretis, praesertim in Monopolitana diei 15. Decembris 1632., ut nimirum prima Dignitas fuerit Presbyter Assistens Episcopo solemniter celebranti tam in Festis primae, quam secundae Classis, et diebus Ferialibus, aut Benedictionem Candelarum, Cinerum, et Palmarum peragenti: contra ejusdem pervetustam consuetudinem ex Canonicis dignior ad praesens insurgit ab officio Presbyteri assistentis primam ex Dignitatibus excludere tentans, quando Episcopus Vesperas, Missamque celebrat in Festis secundae Classis, diebus Ferialibus, necnon quando Candelas, Cineres, et Palmas benedicit. Ad dissidia itaque, vel scandala vitanda, Sac. Rit. Congregationi ad Vaticanum in Ordinario Coetu coacto sub infrascripta die duo a Dignitatibus, et Canonicis recensitae Cathedralis proposita fuere Dubia enodanda, nimirum.

1. *Num in Cathedralibus, in quibus Dignitates, et Canonici existunt, prima Dignitas semper debeat esse Presbyter assistens, quando Episcopus Missam, et Vesperas solemniter celebrat, sive hoc peragat diebus primae Classis, vel secundae, vel ferialibus?*

2. *An ipsamet prima Dignitas debeat quoque esse Presbyter assistens quando Episcopus benedicit Candelas, Cineres, Palmas, ita ut dignior Canonicus post Dignitates debeat tantum esse Presbyter Assistens Episcopo non celebrante, sed Vesperis, aut Missae solemni per alterum Cantatae praesente?* (*a*)

(*a*) Quoad assistentiam praestandam Episcopo pontificaliter celebranti, vel in Pontificalibus sacris assistenti Mysteriis, clara est Caeremonialis Episcoporum dispositio, nec mihi datum est intelligere, unde orta sit, petitaque dubitandi ratio, propter quam duo dubia discutienda, definiendaque Sac. Rit. Congregationi proposita fuerunt. Porro de Presbytero assistente, de quo dumtaxat quaestio est, praefatum Caeremoniale lib. 1. cap. 7. num. 1. ita disponit, et generalem dat regulam = *inter omnes Episcopi ministros, qui ei in Divinis et assistunt, et serviunt, primus, et dignior est Presbyter assistens, qui idcirco debet esse dignior ex Presbyteris tam Canonicis, quam Dignitatibus, qui in Choro cum aliis sedere solent, nec refert, quo nomine nuncupetur, an Archidiaconus, an Archipresbyter, ut digne, et decenter officium suum exercere valeat, et opportune Episcopo rem divinam agenti ministrare possit* = Quid clarius, quid evidentius decerni poterat ad designandam certam personam, quae Episcopo celebraturo praebeat assistentiam? Atqui dignior ex omnibus, qui in Cathedrali Bugellen. sedent in Choro est prima Dignitas, quocumque nomine ab aliis, si quae insuper sunt, distinguatur, palam fit, rectaque consequitur ad ipsam pertinere officium Presbyteri assistentis. Id tam verum est, ut in eadem Caeremonialis dispositione adhibeatur dictio *debet*, quae praeceptum importat, ideo ab hoc exercitio nequit

Et Sacra Eadem Congregatio, exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris scripto pandito, praeloque cuso, necnon

se eximere prima Dignitas, et alteri qui sequitur locum cedere, nisi legitime sit impeditus.

Verumtamen Episcopi non semper Missam in Pontificalibus celebrant, et Vesperas decantant, imo frequentius Divinis cum Cappa intersunt Officiis. Cujusnam ergo erit hoc in casu munus assistentiae? Provisum id video in eodem Caeremoniali. Ibidem num. 7. = „ Episcopo vero non celebrante, sed „ Vesperis, aut Missae solemni, per „ alterum cantatae praesente, tunc „ Presbyter Canonicus dignior post „ Dignitates assistat, prout et duo Ca- „ nonici Diaconi in habitu canonicali „ sine paramentis =. Ex hisce Caeremonialis verbis duo deducuntur, videlicet ad Dignitatem spectare assistentiam Episcopo Sacra pontificaliter peragenti, digniori ex Canonicis quando Episcopus suam tantummodo praestat assistentiam, quo in casu tam ipse Canonicus, quam duo assistentes Diaconi in habitu canonicali, sine paramentis respectivis officiis funguntur.

Praefatis Caeremonialis libri dispositionibus apprime consona sunt S. R. C. Decreta. Cum enim Dignitates Cathedralis Monopolitanae quaesivissent declarari, quis inservire debeat Episcopo solemniter celebranti pro Presbytero assistente, et quis quando Episcopus non celebrat, sed tantum Divinis praesens est? sub die 15. Decembris 1632. respondit = Aut Praebendae „ sunt distinctae in Presbyterales, et „ Diaconales; et tunc Episcopo solem- „ niter celebranti assistere debere pro „ Presbytero assistente quocumque no- „ mine nuncupetur, dummodo sit in „ Sacerdotio constitutus; Episcopo ve- „ ro non celebranti, sed tantum prae- „ senti, pro Presbytero assistente in- „ servire debere digniorem Canonicum „ post Dignitates. Aut Praebendae non „ sunt distinctae, et tunc Episcopo si- „ ve solemniter celebret, sive Divinis „ tantum praesens sit, pro Presbyte- „ ro assistente inservire debere dignio- „ rem de Capitulo juxta dispositionem „ Caeremonialis lib. 1. c. 7. et 8. (num. 827.) Id ipsum confirmatum fuit in Beneventana, et Nicien. sub die 26. Martii 1671. (num. 2425. et 2429.) Omitto alia Decreta, quibus idipsum confirmatur. Atque ita constanter servatum fuit in Ecclesia Cathedrali Bugellensi. At nunquam desunt turbidi ingenii homines, qui dissidias quaerunt, alienaque jura usurpare conantur. Hoc novissimè accidit in ea Cathedrali, in qua unus, vel alter ex Canonicis, qui Dignitati assistentiam in solemnioribus duntaxat competere contendit, et hoc munus digniori Canonico tribuit, si solemnia agit Episcopus in Festis secundae classis, et in benedictione Candelarum, Palmarum, et Cinerum. Jure igitur Dignitates ad sacram hanc Congregationem confugerunt ad jura servanda, quae ex Caeremonialis dispositione ipsis conveniunt, nequaquam Canonicis, nisi in earumdem defectu.

Equidem non ignoro eruditissimum Catalanum in eam abiisse sententiam, ut crederet Episcopo celebranti in Festis minoribus, aut Feriis assistentiam competere non Dignitati, sed Canonico, praesertim ubi Ordines non sunt distincti. Verumtamen tanti viri opinio omni destituitur fundamento. Ideo enim eam sequitur, quia talis est pra-

inspectis Rmi Bugellen. Episcopi Informatione, et Voto, re mature, diligenterque discussa, ad relationem Emi, et Rmi D. Cardinalis Petri Vidoni Ponentis, respondendum censuit.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Affirmative pariter juxta votum Coeremoniarum Magistri*.

Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 22. Septembris* 1827.

4485. VERONEN.

Parochiali in Ecclesia S. Ambrosii Oppidi Valpolicella Dioecesis Veronen., decenti in Theca, juxta appositam inscriptionem asservantur sequentes Reliquiae, nimirum = *Guttae Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi* = *Velum Beatae Mariae Virginis eodem sanguine aspersum* = *parva Crux*

xis Pontificiae Cappellae, quae tamen trahi nequit ad Ecclesias Cathedrales. Pontificia enim Cappella suos habet peculiares ritus, et caeremonias, nunquam pro aliis Ecclesiis in exemplum afferendas, in quibus non Caeremoniale peculiare Augustini Patritii pro eadem Cappella dispositum, sed aliud quod Episcoporum dicimus servandum omnino est.

Iam ergo si Episcopis licet in quibuscumque Festis, ac etiam diebus Ferialibus Vesperas, et Missam pontificaliter celebrare; imo si ad aedificationem Fidelium quammaxime decet, ut Solemnia ipsi agant in nonnullis Festis secundae classis, prout sunt Festa Annunciationis, Conceptionis, Nativitatis B.M.V., Apostolorum, ac etiam alia, quae peculiaria sunt ob populi venerationem, ac pietatem, et in quibus, si lubet, solemniter Episcopus celebrat, servanda omnino sunt quae in Caeremoniali praescribuntur, praesertim cap. 7. Quoniam autem cap. 34. num. 2. libri 2. post enumerata Festa, in quibus decet, ut Episcopus Pontificalia solemniter peragat, additur, vel etiam arbitrio suo in aliis Festivitatibus per annum quandocumque ei placuerit, palam fit, quod nihil immutandum sit quoad Presbyterum assistentem, celebrante Episcopo in Festis etiam minoribus, diebusque ferialibus.

Idem pariter dicendum est, quando ipsemet Episcopus candelas, cineres, et palmas benedicit. Dignitates quippe, et Canonici in his quoque benedictionibus sacra induunt paramenta. Atqui, ut supra vidimus ex eodem Caeremoniali, dignior Canonicorum quando munere fungitur Presbyteri assistentis hoc praestare debet officium in habitu canonicali, et sine paramentis; facile consequitur non ad ipsum pertinere assistentiam in supra relatis sacris functionibus, verum id pertinere ad primam Dignitatem, pluviali assumpto, ad sedem episcopalem accedere, ministrare naviculam, porrigere aspersorium, deindeque thuribulum. Verbo cuncta perstringam. Primae Dignitatis est, vel ea impedita, alterius, quae succedit, praestare assistentiam Episcopo, dum sacra a Dignitatibus, et Canonicis sumi debent indumenta, vel Celebrante Episcopo, vel supra memoratas functiones peragente: Canonico vero digniori dum assistentia debetur sine sacris paramentis, sed in habitu chorali. Atque ita ad proposita dubia respondens S.C. declaravit, intelligendam esse Caeremonialis Episcoporum dispositionem.

*de Cruce Salvatoris* = Quoniam hae ex dono concessae sunt sub anno 1725., onus ex legato illi inest, quibusdam in diebus publicae venerationi Reliquias istiusmodi exponendi. Ritus autem extunc ea occasione servatur, ut scilicet, e loco custodiae ad altare SSmi Sacramenti asportata Theca ponatur in Throno, et decantata solemni Missa, Celebrans utroque genu adoret, thurificet triplici ductu, Populumque, uti cum sacra Eucharistia, benedicat, reponatque in Tabernaculo una cum SSmo Sacramento, ut Vespere idem servari possit. Rubricarum Dispositionibus, et Decreto Sacrae Rituum Congregationi anni 1736. contrarius apparuit Sacerdoti Francisco Negrini recensitae Parochialis Archipresbytero, Reliquiasque erectus thurificavit, neque in Tabernaculo amplius reposuit. Haec dissidiorum, et controversiarum causa. Ad dissidia itaque componenda prudens Archipresbyter primo Rmum Episcopum, dein Sac. Rit. Congregationem adivit, ut super exposito ritu decernerent (*a*).

(*a*) Praestat heic loci majoris claritatis gratia subjicere facti expositionem una cum Voto a me confecto, quod Sac.Congregatio, re mature discussa, dignata est adprobare.

Fin dall' anno 1725. sotto il giorno 5. Maggio viene asserito, che il P. Ignazio Religioso dell' Ordine de Carmelitani Scalzi, con pubblico Istromento fè dono di una Teca, entro la quale si conservano le tre seguenti Reliquie cioè = *Ligni SSmae Crucis D. N. J. C., Veli cujusdam albi, et alterius Veli rubri intincti, seu aspersi Sanguine pretioso Plagarum Christi Domini Nostri*, coll' autentica di Fra Crisostomo Calvi dell' Ordine de' Predicatori, Vescovo di Cefalonia, e di Xante, alla Chiesa Parrocchiale di S. Ambrogio di Valpolicella, Diocesi di Verona.

Tali Reliquie furono accettate dalla Comunità del Luogo, e dal Parroco della Chiesa con i seguenti patti cioè, che sieno custodite in un Tabernacolo a due sportelli, e a due chiavi, una delle quali abbia a restare presso la Comunità del Luogo, e l'altra presso il Parroco della Chiesa; che debbano esporsi con certo determinato numero di lumi, e colla maggior solennità nella terza Festa di Pasqua, in cui havvi in quella Chiesa l'Indulgenza Plenaria; come ancora in caso di gravissima necessità. Sopra il Tabernacolo, in cui custodite sono le suddette Reliquie, o a meglio dire sopra l'Altare, o altro luogo appartato, e decente, ove forse resta collocato l' anzidetto Tabernacolo, leggesi la seguente Iscrizione = *Guttas pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. Velum B. M. V. eodem aspersum, parvam Crucem de Cruce Salvatoris: Venite, Adoremus*.

In adempimento dei patti convenuti nello stabilito giorno, cioè nella terza Festa di Pasqua si fa la funzione, che vien considerata la maggiore della Chiesa, e del Paese con grande solennità, e maggiori sforzi di sacra pompa: e così fors' anche si prattica nelle straordinarie esposizioni dell' anzidette Reliquie, che fassi in caso di gravissime necessità. Si soggiunge, che da pochi anni fa venne eretta una magnifica Cappella in riconoscenza di particolar grazia riportata in occasione de militari saccheggiamenti.

Il Culto, che in tale solennità si

Et Sacra Eadem Congregatio in ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto, exquisita prius sententia R. D. Aloysii Gardellini ejus-

presta all' anzidette Reliquie è il seguente. Nella mattina vien trasferita la Teca, che le contiene, all' Altare, in cui si conserva il SSmo Sagramento, si espone sul Trono, si canta la Messa, il Celebrante le venera con doppia genuflessione, ed infine benedice il Popolo al modo stesso, che prescritto viene, e si fa col Sagramento. Quindi viene collocato il Reliquiario nello stesso Tabernacolo col Sacramento, e nella sera si rinnuova la funzione collo stesso rito, e ceremonie pratticate nella mattina. Così viene asserito essersi fatto sino agli ultimi tempi, senza che i Vescovi in occasione di Sagra Visita abbiano fatto verum Decreto contrario, anzichè si pretende, che i Vescovi medesimi abbiano talvolta pratticato alcuno de' suddetti atti di special Culto.

Inoltre vien soggiunto, che la cosa fino agli ultimi tempi a noi prossimi è stata pacifica, ed il rito sopracennato non ha sofferto verun cambiamento, ne ha incontrato verun contradittore. Provveduta però ultimamente quella Chiesa del nuovo Arciprete nella persona del Negrini, questo, come più esperto, più zelante per l'osservanza de' sacri riti, variò il consueto sistema, ed appoggiato al prescritto delle Rubriche, e al Decreto di codesta Sacra Congregazione dell' anno 1736. in una Brixien. dei 15. Settembre, che può vedersi nella Collezione dei Decreti num. 3902. riformò la funzione, ed il rito, incensando in piedi il Reliquiario contenente le suddette Reliquie, e non riponendolo nel Tabernacolo col Sagramento.

Una tal variazione non è da dire quale, e quanto rumore, e disturbo cagionasse nel Popolo, che proruppe in appresso in sconvenevoli questioni, ed espressioni di dubbiezze, e diffidenze toccanti la Religione, e la Fede.

In questo stato di cose, essendo l'affare assai serio, e delicato, prudentemente il suddetto Arciprete a suo dovere si recò di consultarne Monsig. Vescovo di Verona, dal quale ebbe in risposta l'approvazione del da lui operato; ed attesochè non solo il Popolo era rimasto offeso per la succennata riforma di rito, ma altresì alcuni, se non tutti i Preti, ed Ecclesiastici di quella Parrocchia, perciò conchiude il Vescovo = *legga questa lettera a suoi Preti, e li faccia capaci. Ad essi poi toccherà a far capace il Popolo in buone maniere, il che ottenuto dal Dio della Pace, dell' Umiltà, e dell' Obbedienza, si passerà per gradi a fare la diminuzione di Culto eccessivo, e privo di ragionevole fondamento.*

Non si poteva rispondere, e provvedere con maggior maturità, e saviezza: ma convien dire, che non perciò sia riuscito di ridurre al dovere tutti gli Ecclesiastici, e la Popolazione; quindi si credette indispensabil dovere del zelante Parroco Negrini di avvanzare ricorso a codesta Sagra Congregazione, ad effetto di avere una decisiva risoluzione, con precisare ciò che è tollerabile, e ciò che non si deve assolutamente permettere.

Tale è la serie, e l'esposizione del fatto, sul quale debbon sottoporsi ad esame due punti. Il primo riguarda l'identità delle supposte Reliquie, e specialmente di quella, che dicesi

dem Sacrae Congregationis Assessoris Typis excusa, ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Augustini Rivarola Ponentis, re mature, diligenterque di-

del preziosissimo sangue: il secondo poi è relativo alli distintivi di special culto, che per uso, o a meglio dire per abuso finora si sono practicati, e riputati adesso degni di riforma.

Riguardo al primo relativo all'identità delle supposte Reliquie, mi sia pur lecito, di francamente esporre il mio sentimento, quale è sembrarmi di avere sufficienti motivi da doverne dubitare.

Il dono si fece da un Carmelitano Scalzo, dal quale venne supposto di averlo ricevuto da altro Religioso Domenicano Vescovo di Xante, e Cefalonia. Ardito non sembrerò, se poca fede a me sembra di poter prestare alla autenticità, ed identità delle Reliquie, venute da quelle Isole, delle quali gli abitanti, o siano Greci, o siano Latini per lo più non sono di gran cultura, nè forniti di quella sana, e giusta critica, che in ragion di Reliquie è necessaria per discernere le vere dalle false, ovvero dubbie. Non voglio quì disputare sulla Reliquia della Croce, nè sull'altra del Velo di Maria SSma: la mia grave dubbiezza cade su quella, che si vuole essere del preziosissimo Sangue di Costro Signor Gesù Cristo. Si dice nell'Autentica *alterius Veli rubri intincti*, *seu aspersi Sanguine pretioso Plagarum Christi Domini Nostri*. Se il Velo è rosso, come potrà distinguersi, che di sangue è asperso? Nella custodia delle sacre Reliquie presso Monsig. Sacrista è certo, che niuna ve ne ha di tal sorta; vi è bensì del Velo di Maria SSma con porzione della fimbria, che si dice volgarmente cimosa, la quale è di fili rossi tessuta. Or dunque non potrebbe la decantata Reliquia essere una porzione degli accennati fili? Per lo meno evvi una valida ragione da dubbitarne.

Che che però sia di ciò; certo è per altro, che sospette, e dubbie sono le Reliquie tutte, che si vogliono dare a credere essere del preziosissimo Sangue di Nostro Signor Gesù Cristo. Nè occorre quì recar le ragioni, per le quali debbono aversi per incerte, e sospette quelle, che per tali vengono supposte, e decantate. Li più accreditati Scrittori tengon per fermo esser piuttosto per Reliquie del prodigioso Sangue emanato in Berito da una prodigiosa Immagine oltraggiata dagli Ebrei. Fra gli altri posson vedersi *Benedetto XIV. de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 2. cap. 10. num. 8. 9. 10. ed Onorato di S. Maria Animadvers. de regulis, et usu Critices tom. 3. dissert. 5. artic. 1. et sequen.*

Questo è in quanto all'identità, ed autenticità della supposta Reliquia. Si potrebbe quì aggiungere, che qualunque ne sia la provenienza, la celebrità, ed altre simili circostanze sono per lo meno d'incerta qualità. La più certa è quella, che si conserva in Mantova, ma la Sagra Congregazione de' Riti nell'accordare, ed approvarne l'Uffizio, sì per Mantova, che per altri luoghi, si astenne affatto dal dir parola, che potesse aversi per decisione *de qualitate sanguinis*, come ce lo attesta lo stesso *Benedetto XIV. loc. cit. num. 10. in fine*.

Vengo ora al secondo punto relativo ai distintivi di special Culto finora prestati alla supposta Reliquia, e che

scussa, rescribendum censuit = *Juxta Votum Assessoris*, = nimirum = *Citra approbationem Reliquiarum, scribatur Rmo Ordinario, juxta men-*

da alcuni vorrebbonsi sostenere. Mi sia quì permesso di richiamare a memoria quel che è accaduto in Roma parecchi anni addietro, mentre era degnissimo, e zelantissimo Vicario Sua Eminenza Rmā il Sig. Cardinale della Somaglia, ora Decano del Sacro Collegio, e Segretario di Stato.

Conservasi nella Chiesa Collegiata di S. Nicola in Carcere una Reliquia asserita, e riputata esser del Sangue del Nostro Signor Gesù Cristo, la quale fu da qualche secolo indietro donata alla medesima da uno de' Principi della nobile, ed antica Casa Savelli, ed è stato solito di esporla con qualche solennità, specialmente nel Venerdì Santo. Coll'andare del tempo, cioè dodici, o quindici anni addietro, si procurò di estendere il Culto con altre estrinseche dimostrazioni, cioè di portare la suddetta Reliquia in pubblica solenne Processione. L'esempio venne imitato da altri, e per due anni si fece una simile Processione dalla Chiesa della Madonna de' Monti, la quale possedeva, o aveva di recente ottenuta una piccolissima Teca, con una quasi impercettibile macchietta rossa in mezzo ad un tenue frammento di tela, asserendosi essere = *Particula Sanguinis D. N. J. C.* La novità di tali Processioni non potè non cagionare, come addivenir suole, diversità di opinioni; e la più sana parte era di sentimento, che per l' incertezza di tali Reliquie non convenissero simili dimostrazioni estrinseche, cioè la solennità della Processione, e l'uso del Baldacchino. Non mancarono i Superiori Ecclesiastici di sottoporre l' affare a diligente esame, e si convenne in fine, che nulla s'innovasse circa l' esposizione solita farsi nella Colleggiata di S. Nicola in Carcere alla ricorrenza del Venerdì Santo; ma in quanto alle Processioni, queste vennero assolutamente inibite. Di più rapporto alla Reliquia, che conservavasi nella Chiesa di S. Maria de' Monti, dopo di essere stata esaminata, fu creduto espediente di ordinare, che venisse riposta, e custodita tra le altre Reliquie, ma nulla più si facesse in venerazione della medesima.

Da ciò, che si è detto fin quì ognuno comprende, quale, e quanta cautela debba usarsi, affinchè a simili Reliquie non si presti un indoveroso estrinseco culto, ed il Popolo non venga indotto in errore. Ciò tanto è vero, che trattandosi del vivifico Legno della Santa Croce, come altresì delle Reliquie delle sacre Spine intessute nella Corona posta sul capo del Divin Redentore, la Sagra Congregazione de' Riti permise bensì, che portar si potessero in Processione, ma il distintivo del Baldacchino fu accordato soltanto *ubi adest consuetudo immemorabilis*; come dai Decreti della stessa Sacra Congregazione delli 12. Luglio 1704. (in Collect. 3551.) ed in una Gadicen. dei 26. Agosto 1752. (ibidem num. 4078. ad 5.)

Posto ciò per venire al caso nostro sul punto dell'identità delle supposte Reliquie; mi sembra di far uso di quella moderazione, e cautela, che suol pratticare la Sacra Congregazione de' Riti, quando si tratta di concedere qualche Uffizio, e Messa, a motivo della divozione, e venerazione, che prestasi alla Reliquia mede-

*tem* ( Mens autem quae fuerit, patet ex eodem Voto ). Et ita Decrevit. *Die* 22. *Septembris* 1827.

sima, poichè nella concessione vi appone la clausula: *citra tamen adprobationem Reliquiae*: giacchè questo è un incarico, che si appartiene alla cura, e vigilanza de respettivi Vescovi, i quali, prima di permettere il culto, e la venerazione alle Reliquie, debbono esaminare quali sieno, da qual luogo estratte, da chi autenticate, unitamente ad altre circostanze, che rendono una moral certezza della verità, identità, ed autenticità delle medesime. Anzi, benchè nella prima Istituzione della Congregazione dei Riti, nelle questioni, che su ciò possono insorgere alla medesima, ne appartenesse l'esame, ora però privativamente spetta all' altra in appresso istituita *super Indulgentiis, et sacris Reliquiis*. Ma quantunque sul punto dell' identità, ed autenticità ora non s' ingerisca la suddetta Congregazione de' Riti, se non se in certi casi particolari, conviene per altro alla medesima per Istituto, e diritto il conoscere, e dichiarare, quali distintivi di culto, e di venerazione debbano prestarsi alle sacre Reliquie, secondo la varietà delle medesime, e quali debbano essere vietati, come abusivi, ed indoverosi. Perciò, quantunque special culto si debba agli Istromenti della Passione del nostro Divin Redentore, come sono la Croce, le Spine etc. nondimeno debbono essere distinti da quelli, onde adoriamo la sacra Eucaristia si riposta nel Tabernacolo, che patente alla pubblica venerazione.

Da quanto ho riferito, detto, e riflettuto sin quì, mi sembra, che nel presente esposto caso, senza entrare in questioni, e dispute, che porterebbero troppo in lungo, e molto di tempo, e studio ricercherebbero, quale non sò di quanto vantaggio fosse per essere, mi sembra, dissi, potersi strettamente rispondere, che *citra adprobationem assertarum Reliquiarum*, si abbia a scrivere lettera a Monsig. Vescovo di Verona, in cui si dica, che la Sacra Congregazione dei Riti è restata ben soddisfatta della di lui saviezza per le disposizioni prese, insinuate, e prescritte all' Arciprete della Chiesa di S. Ambrogio; ed attesochè nello stesso Reliquiario, in cui si conserva la supposta Reliquia del sangue, havvi ancor quella della Santa Croce; non permetta altro culto, ed altri distintivi di venerazione, se non se quelli, che convengono al sacro Legno, con vietare la doppia genuflessione, l' incensazione del celebrante genuflesso, la benedizione *ad instar Sacramenti*, e la riposizione nel Tabernacolo col Sagramento, ed altre simili circostanze, se mai vi fossero indoverosamente introdotte. Faccia poi uso della sua prudenza per illuminare il Popolo, e specialmente gli Ecclesiastici, se alcuni di questi tuttor persistessero nella mal concepita opinione, con far loro conoscere la ragionevolezza di quanto a nome della Sacra Congregazione, ha dovuto ordinare. Nè può dubbitarsi della di lui esattezza nell' esecuzione, avendone dato un saggio sicuro colla lettera responsiva all' Arciprete di S. Ambrogio, dal quale era stato consultato in questo affare.

Potrebbe perciò farsi il seguente breve Rescritto.

4486. DECRETUM URBIS ET ORBIS.

Gliscentibus undequaque erroribus, et ab Ecclesiae instituto alienis, Saeculo X., doctrinis compescendis suscitavit Deus Optimus Maximus Petrum Damianum vitae Sanctimonia et doctrinae laude commendatissimum, quem sa. me. Stephanus Papa IX. ex Fontis Avellanae solitudine avulsum, Cardinalitia decoratum dignitate, Episcopum Hostiensem renunciavit, plurimisque perfunctum Legationibus sibi per Romanos Pontifices concreditis morum suavitatem, et Catholicae Ecclesiae unitatem restituendam curavit exemplo, scriptis, praedicatione, quibus indesinenter ad octuagesimum aetatis suae annum navavit: unde quum primum fluxi hujus contemptibilisque Mundi vitam cum aeterna commutavit, illico universalis Ecclesiae consensu ejusdem sanctitas ubique locorum diffusa, coli, et in veneratione esse incepit, aucta postmodum Officii et Missae concessione. Sed Virum hunc sanctum, et tot nominibus de universa Ecclesia optime meritum, nondum habuisse locum in Martyrologio Romano, in eoque desiderari, ut par erat, ejusdem Elogium, indecorum visum est cum Hostiensi Ecclesiae; tum universae Camaldulensinm Congregationi, cujus idcirco Procurator Generalis Abbas Albertinus Bellenghi in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Conventu coacto undecimo Kalendas Aprilis vertentis Anni 1828. humillime petiit descriptionem in Romano Martyrologio nominis S. Petri Damiani, una cum adprobatione Elogii in eodem apponendi.

Et Emi, et Rmi Patres antedictae Congregationi praepositi, singulis perpensis, quae in doctissima allegatione fuerunt opportune deducta, auditoque voce et in scriptis R.P.D. Virgilio Pescetelli Sanctae Fidei Promotore, ad relationem Emi, et Rmi Dni Cardinalis Julii Mariae De-Somalea Episcopi Hostiensis et Veliterni, Sacri Collegii Decani, Sacrorumque Rituum Congregationi Praefecti, censuerunt esse rescribendum = *Elogium exhibitum transcribatur in Martyrologio Romano* =.

Facta autem de praedictis omnibus et singulis SSmo Domino Nostro Leoni XII. Pont. Max. relatione per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarinm, Sanctitas Sua in omnibus annuendo, Sacrae Congregationis Rescriptum adprobavit, et confirmavit, et Decretum Urbis et Orbis desuper evulgandum mandavit. Septimo Kalendas Aprilis 1828.

Elogium vero, de quo supra, et in Romano Martyrologio inserendum est = *Die 22. Februarii. Faventiae S. Petri Damiani Cardinalis, et Episcopi Hostiensis doctrina et sanctitate celebris*.

4487. PATAVINA.

Rme Dne uti Fr. = Hujus S. R. C. Litteris sub datum 22. Septembris

*Citra adprobationem Reliquiarum scribatur Rmo Episcopo, juxta mentem Sac. Congregationis.*

*Mens est, ut permittat tantummodo illas venerationis, et cultus significationes, quae conveniunt Reliquiis de Cruce D. N. J. C. prudenter vero, suaviterque per se, vel per alios discretos Sacerdotes curet Populum docere, et erudire, ne scandalum patiatur ex praescripta indebiti cultus reformatione.*

1827. exquisita Amplitudinis Tuae sententia super Supplici Libello Bartholomaei Cremonese Parochi Ecclesiae S. Justinae istius Civitatis quoad dispensationem a nova execratorum Altarium consecratione, instar indulti in Beneventana diei 26. Novembris 1696. haec accepta Mense Novembri superioris anni in Ordinario ejusdem S. C. Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto, fuit perlecta, et Emis Patribus communicata. Quum autem ex ipsa probe intelligerent, et animadverterent tredecim haec e vingintiquinque Altaribus per feraces manus aut ablata, aut disfissa, aut penitus destructa fuisse, ac duodecim, quae supersunt, integra Altaria satis superque sufficere Parochialibus functionibus commodum praebere, censuerunt propterea, non esse locum dispensationi petitae, et haec ipsa Altaria nova indigere consecratione, quam Amplitudo Tua perficere poterit vel una simul vel divisim, juxta sancitas leges Romani Pontificalis (*a*).

(*a*) Antiqua est nonnullorum quaerela, qui arbitrantur, et praedicant plura reperiri Decreta a Sacrorum Rituum Congregatione lata, quae sustinent sese inter adversa fronte pugnare. Hi autem errant quammaxime, quia plerumque non distinguunt casum a casu; ignorant quandoque habendam esse rationem consuetudinis, vel immemorabilis, vel legitime inductae, et difficillimè sine offensione et scandalo abrumpendae; neque considerant in aliqualibus speciebus, attentis diversis factorum circumstantiis a juris rigore consulto posse, vel debere recedi quoad ea, quae circa disciplinam versantur, quin ulla generali regulae noxa inferatur. Quapropter si qui forte inveniatur, et sit, qui hujusmodi querelam instauret in praesenti casu; cum Sacra Congregatio *Patavinae Ecclesiae* illud negaverit, quod sub die 1. Maii 1668. *Augustanae* Ecclesiae, et sub die 26. Novembris 1696. *Beneventanae* indulserat) vide Decret. num. 3255.) Iste certe haud discrimen attendens, quod casum inter et casum intercedit, falsa sua opinione deceptus a vero longissime aberrat. Sacra etenim Congregatio in *Patavina* Oratoris precibus abnuens generali regulae Pontificalis standum esse jure sancivit, legesque liturgicas, quae hac in re vetustissima et gravissima semper viguerunt, quasque servandas voluit, neque vel nulla, vel levissima admodum intercedente ratione, infirmandas est passa; quum ex instituto ritus omnes, et caeremonias in ritualibus Libris praescriptas (nisi rationabilis gravisque causa adducatur) eadem S.C. debeat protueri. Neque sibi adversatur, contradicitque si in *Beneventana* Emi Archiepiscopi, qui postea in Petri Cathedra sedit *Benedictus XIII.* appellatus, postulationibus annuens, rationabilibus de causis concedi posse sancivit, quod postea in *Patavina* negavit. Ne quis autem in posterum ea concessione abuteretur, clausulam addidit = *dummodo non transeat in exemplum* = Hujusmodi autem clausula aperte significare voluit veterem hanc disciplinam, sacrosque Canones, qui eam praescribunt, in sua firmitate manere, Mentem vero Patrum Sacris Ritibus tuendis praepositorum fuisse et esse, ut nonnisi rationabilibus de causis dispensatio concederetur. Sane sibi hoc modo non adversatur, quippe quia, si tunc aliquid

Hisce itaque novis litteris aperta ejusdem est S.C. mens, et voluntas; ideo curet Amplitudo Tua, ut nihil super execratis Altaribus innovetur, donec

de hac veteri disciplina remisit, idipsum faciendum in *Patavina* non duxit, in qua similis satis valida non occurrebat, quae simili Indulgentiae viam aperiret, locumque dispensationi relinqueret. Qui enim aliquid quandoque vel ob validas gravesque circumstantias, vel etiam, si vis ex gratia, ex causis sibi notis, concedere non renuit, nec semper ad idem concedendum tenetur, nec cogi potest nec proinde sibi adversatur, nec ullam notam meretur, si aliis accedentibus de eadem re petitionibus illud ipsum deneget quod alias putavit concedi posse.

Scitè autem prudenterque clausulam illam in *Beneventana* addidit, ne scilicet plura dandi, ac afferendi possent dispensationis exempla, et ne ex concesssonibus iteratis pedetentim abusus inducerentur, quibus eliminandis, si sint, vel praecavendis, si futuri praevideantur, eadem Sacra Congregatio adniti quammaxime debet.

Hisce praejactis, vide modo discrimen, quod intercedit *Patavinam* inter causam, aliasque *Beneventanam*, ac *Augustanam*, in quibus S. R. C. rationabiles circumstantias non desiderari, merito credidit aliquantulum relaxandi de juris rigore, quae quidem in *Patavina* non occurrunt; idcirco in ista nihil esse cognovit, quod Indulgentiae locum daret; secus ac in illis. Etenim in *Augustana* (de hac primum loquimur, utpote antiquiore) *quamplurima milliaria Altarium pollutorum erant sola violatione Sepulcrorum, ex quibus extractae fuerunt sacrae Reliquiae in praeteritis Svetorum invasionibus*, ac propterea violenter profanata, non tamen amotis lapidibus, seu mensis a suis stipitibus. Quomodo autem potuisset Episcopus tot Altaria in variis vastissimae Dioecesis locis, iisque inter se dissitissimis sita, de novo et integraliter consecrare, omnibus servatis ritibus, et caeremoniis in Pontificali praescriptis? Id certe nedum multum difficultatis habebat, verum et erat plane impossibile, nisi plures accersiti fuissent Episcopi ad id peragendum, quod per unum dumtaxat nequibat; aliqua idcirco dispensatione opus erat, quam S. C. indulsit, concedendo facultatem illa reconciliandi *sola repositione Reliquiarum*, servatis caeremoniis pro eadem praescriptis. Atque id erat quod Episcopus in gravissima illa circumstantia compulsus merito postulabat.

In *Beneventana* autem, licet non multa essent Altarium millia reconcilianda, ut fuerant in *Augustana*, sed longe minor numerus, scilicet quatuordecim; licet praeterea non in dissitis inter se locis extarent; licet tandem non tam gravi cum Episcopi incommodo possent rite consecrari, tamen Emi Antistitis petitionibus annuendum esse Sacr. Congregatio tunc censuit, quia Mensae non impia manu fuerant pollutae, aut alio nefario modo Altaria direpta, sed eaedem Mensae integrae permanentes cum Reliquiarum Sepulcris a stipitibus decenter fuerant amotae, ad hunc solum finem, ut Altaria, quibus sacris unctionibus adhaerebant, ex nobiliori materia construerentur, ac in elegantiorem redigerentur formam; ex qui-

nova accedat consecratio, nisi maluerit per Aras portatiles, seu sacros Lapides superpositos eorum usum expeditiorem reddere, donec consecrentur. Et diu felix, et incolumis vivat. Amplitudinis Tuae. Romae 22. Martii 1827. *Pro Emo D. Cardinali De Somalea Praefecto J. F. Card. Falzacappa. J. Gaspar Fatati S. R. C. Secretarius.*

4488. MELITEN.

Parochialem Ecclesiam S. Pauli Naufragi Civitatis Vallettae Dioecesis Meliten. sa. me. Clemens XII. Pont. Max. ad insignis Collegiatae notam evexit, cujus Canonicorum Collegium, et ipse permulti Successores Summi Pontifices variis insigniis in Ecclesiasticis functionibus cohonestarunt; quae quidem initium fuere quaestionum, et controversiarum inter Cathedralis Capitulum Civitatis Notabilis, caeterarumque Collegiatarum ejusdem Insulae, ad quae componenda pluries Sacrorum Rituum adivere Congregationem, praesertim novissime diebus nimirum 6. Maii, et 16. Decembris anni 1826. Quoniam vero hujusmodi Causae recensita in Congregatione nonnisi longo temporis intervallo, multisque intermediis expensis absolvi queant; idcirco post haec SSmo Dno Nostro Leoni XII. Pont. Max. supplices fuerunt Canonici S. Pauli Naufragi postulantes, ut summarie particulari in Con-

bus externis operibus major iis splendor, et majestas accederet, et majus per haec divinus Cultus decus acciperet. Quid mirum igitur, si petitioni adhaerens S. R. C. ea indulgentia usa fuit, ut concederet, procedi posse ad Altarium consecrationem, omissis caeteris caeremoniis ad repositionem Reliquiarum pertinentibus? prout in Decreto ea in Causa lato clare intelligitur.

Haec autem omnia magnam inter *praefatas Ecclesias* et *Patavinam S. Justinae* ponunt differentiam. Singulis quippe inspectis, quae in hac concurrunt, circumstantiis, nihil erat, quae petitam dispensationem concedi posse suaderet, imo omnia collineabant ad eam denegandam. Viginti quinque eo in Templo extabant Altaria, ex quibus duodecim integra adhuc, et ad sacra Mysteria idonea supererant, satis superque ad commodum praebendum Parochialibus, aliisque explendis functionibus. Tredecim dumtaxat nova indigebant consecratione non per solam remotionem lapidum ad effectum solummodo eadem Altaria construendi cum majori decore Religionis, et ornamento; verum quia, ut legitur in Decreto *per feraces manus, aut ablata, aut dissfissa, aut destructa fuerant*. Praeterea quatenus occasio daretur in iisdem Altaribus de novo consecrandis celebrandi Missam, suppleri interea poterit per modum provisionis ope Ararum portatilium, quae superponantur. Quoniam igitur S. C. omnia mature perpendit, casumque longo intervallo distare ab iis, quae valida argumenta praebuerant pro dispensatione in *Augustana*, et *Beneventana*, respondit = *Non esse locum petitae dispensationi*. Et ita decernendo, tam leges super tam gravi re latas ab Ecclesia servatas voluit; quam abusus, qui, novo interveniente exemplo, novaque accedente concessione, si in hac causa a regula declinasset, exoriri, et augeri possent, eos praecavendo penitus sustulit.

gregatione quaestiones omnes, controversiaeque expendi valerent, quorum precibus annuens benigne Sanctitas Sua sub die 16. Aprilis vertentis anni designavit Emos Cardinales De Somalea Praefectum, De Gregorio, Pedicini, Odescalchi, qui una cum R.P. P.Fatati a Secretis super re decernerent (*a*).

(*a*) Innumerae fere quaestiones fuerunt., quae diu multumque agitarunt Capitulum, Dignitates, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis Notabilis Insulae Melitae. Hisce occasionem dederunt Capitulum, et Canonici Collegiatae S.Pauli Naufragi Civitatis Vallettae, ab eo ferme tempore, quo Ecclesia, quae primùm Parochialis dumtaxat erat, honorifica Collegiatae qualitate fuit insignita. Controversiarum origo altius repetenda est ab cupiditate scilicet Canonicorum ejusdem sese elevandi, cùm honorificentia Insignium, tùm amplitudine privilegiorum, quae sibi modis omnibus ditare curarunt, ita ut sese aequales redderent Canonicis Cathedralis, ac in publicis etiam functionibus vix, ac ne vix quidem ab illis distinguerentur. Pluries idcirco ad Sacram hanc Congregationem delatae fuerunt quaerelae, controversiaeque discutiendae, declarandae, ac componendae: praecipue vero de iisdem omnibus concordatis viginti quatuor dubiis actum fuit in *Congregatione particulari coacta die* 19.*Maii* 1786., iterumque adunata sub *die* 15. *Jun.* 1789. Patres autem Emi praefatam particularem Congregationem componentes, visis juribus ab utraque parte productis, perpensis libratisque rationibus, quibus se quodlibet ex duobus capitulis suam propugnabat càusam, dum singulis dubiis respondendo, id, quod aequum justumque est, decreverunt, prudenti tamen consilio simul studuerunt, ut omnia ad aequitatis leges revocarentur, litibusque abruptis, inter duo Capitula, ita ut non alia in posterum super praeeminentiis, et honorificentiis exorirentur jurgia, veluti videre est in Decreto relato *tom.*5.*num.*4290. *pag.*144. *et sequ. hujus nostrae Collectionis*. Res videbantur compositae, et ignis extinctus: secus vero accidit; nam ejusdem Collegiatae Canonici novis distinctionibus, ac praerogativis semper avidi, ut proximius eorum Collegium ad formam qualitatemque Cathedralis accederet, longe ampliora illis, quibus jam fruebantur specialibus honoribus, atque Indultis augeri indesinenter postularunt, et quod habebant in votis tandem obtinuerunt. Concessum quippe eis fuisse vulgatum fuit, ut ad instar Cathedralis uti possent Clava argentea Senatoria, ac Mozzettas adhibere subsutas serico rubri coloris, una cum similibus asulis, et globulis; ac insuper obtinuerunt aureas Cruces deferendas tam super indumentis choralibus, quam sacris; quibus praerogativis cumulati, nulla amplius erat differentia eos inter et Canonicos Cathedralis. En autem causa longeque acrior molesti dissidii ad plures annos protracti: opus hinc fuit ad Sac.Rit. Congregationem recursum habere, quae ulteriores hasce quaestiones suo definiret judicio. Sed non tam facile decernere fuit quid juris, ob defectum potissimi documenti, a quo decidendi ratio petenda erat. Siquidem quoad usum argenteae Clavae Senatoriae se tuebatur Collegiata Rescripto, quod sui favore datum asserebat a sa. me. Pio VII: Cathedralis vero hujus existentiam, aut saltem authenticitatem

Ast, Procuratoribus longiorem interponentibus moram, ne in Causae damnum cederet, sub die 10. Maii proximi rescriptum fuit supplici Canonicorum eorumdem libello pro ejusdem Causae expeditione = *Exhibito primum originali Rescripto sa. me. Pii VII. juxta resolutionem Congregationis Ordinariae diei* 16. *Decembris* 1826. *praefigitur terminus duorum Mensium, ut Partes deducant jura sua sine strepitu judicii in Congregatione particulari a SSmo Dño Nostro Leone XII. Pont. Max. die* 16. *Aprilis proxime praeteriti deputata, quo elapso termino locus fit propositioni Causae cum allegationibus, et documentis hinc inde jam productis, omni adpellatione remota.* = Tempore itaque praestituto deductis juribus Particularis haec Congregatio coacta fuit penes Eminum Praefectum, propositaque fuere sequentia Dubia inter partes concordata.

impugnabat. Quaestio erat facti, factoque finienda, productione scilicet controversi Rescripti; et Patres Emi Sac. Rit. Congregationi praepositi semel, iterum, ac tertio rescripsere pro reportatione Rescripti, quin Collegiata jussioni obtemperaret. Post tot interjectas moras, dilationes, et technas, quae suspicionibus locum fomentumque dederant, et forte etiam occasionem simultatum inter partes dissidentes, non sine aliquo conscientiarum detrimento; ut aliquando molestissimae huic quaestioni finis imponeretur, SSmus Dñus Noster Leo XII. Pont. Max. deputavit particularem Congregationem, quae, omni adpellatione remota, quaestiones omnes, controversiasque expenderet. Ideo duo concordata fuerunt Dubia, quae in Decreto leguntur: et Emi Patres pro eadem selecti, expensis juribus ab utraque parte productis, habitoque tandem Authographo memorati Rescripti sa. me. Pii VII., quod tandiu delituerat, ita rem composuerunt, ut optata quies inter dissidentia Capitula restitueretur, pacificaque concordia. Habita quoad primum Dubium ratione Rescripti originaliter reportati, ut eidem majus robur accederet, et, ne in posterum novae exorirentur dubitationes, prudenti consilio primum decreverunt, = *Consulendum SSmo pro concessione Brevis ad supplicationem Capituli S. Pauli Naufragi, quo detur facultas utendi Insignibus, de quibus in Dubio, necnon Clava argentea intra, et extra Ecclesiam*, = dein vero limitationem posuerunt, modumque praescripserunt omnino servandum, ut ratione aliqua Cathedralis Capitulum quoad privilegia inter se aequalia distingueretur = *exclusis tamen* (ut Rescriptum prosequitur) *functionibus, quibus interveniunt Capitulum Cathedralis, aut S. Joannis Vallettae* =. Idcirco confirmato favore Collegiatae S. Pauli Naufragi privilegio utendi argentea Senatoria Clava, ejusdem usum coercuit ad functiones dumtaxat particulares, et proprias sine interventu Capituli Cathedralis, aut S. Joannis Vallettae: quod si intersit praefatum Capitulum, cujus Canonici modo eidem Ecclesiae S. Joannis servitium praestant, loco et vice regularis equestris ordinis, ad quem pertinebat et pertinet, hoc in casu Collegiatae Canonici ab ejusdem Clavae usu debent abstinere.

Ad secundum Dubium quod attinet, dubitandum non erat de privi-

I. An sit consulendum SSmo pro reportatione Rescripti sa. me. Pii Papae VII. concedentis Canonicis insignis Collegiatae S. Pauli Apostoli Civitatis Vallettae facultates deferendi in sacris functionibus Argenteam Clavam Senatoriam, et Mozzettas Canonicales subsutas rubro serico colore cum asolis, et globulis pariter rubri coloris; in casu etc.?

II. An, et quomodo a Canonicis cùm Cathedralis, tùm Collegiatarum deferenda sit Crux pectoralis in casu etc.?

Momentis itaque hinc inde deductis diligenter libratis, omnibusque mature discussis, unanimi Emorum Patrum consensu responsum fuit.

Ad I. *Affirmative*, *et consulendum SSmo pro concessione Brevis ad supplicationem Capituli S. Pauli Naufragi, quo detur facultas utendi Insignibus, de quibus in Dubio: necnon Clava argentea intra, et extra Ecclesiam, exclusis tamen functionibus, quibus intervenerit Capitulum Cathedralis, aut Sancti Joannis Vallettae.*

Ad II. *Affirmative a singulis Capitulis hoc privilegio a Sancta Sede decoratis, servata forma concessionis, et ad Mentem: Mens est, ut Episcopus mandet Canonicos decoratos privilegio Crucis deferendae super Paramenta sacra, eo uti debere ad praescriptum Caeremonialis, nempe imposita Cruce super Albam, et eamdem tegere, celebrante Episcopo.*

Atque ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 16. *Septembris* 1828.

Super quibus omnibus, facta SSmo Dno Nostro Leoni XII. Pont. Max. per me infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua Congregationis hujus particularis Responsa adprobavit, et confirmavit. *Die* 17. *recensitis Mensis, et Anni*.

4489. URBIS, ET ORBIS.

Providentissimus Deus, qui electam suam Sponsam Ecclesiam super Apostolorum, et Prophetarum fundamentum posuit, eamque summo angulari lapidi Christo Jesu innixam voluit, sapientissimo cavit consilio, ut ad illius praesidium jugiter egregii, sanctique vigilarent Pastores, qui non modo sublimioris virtutis exemplo fidelium Ecclesiae filiorum mores ad ju-

legio utrique Capitulo concesso deferendi auream Crucem pectoralem. Ideo *affirmative* responsum fuit. Sed quoniam ex concessione poterat Crux imponi tam Vestibus choralibus, quam sacris, abusus inoleverat eam gestandi discoopertam supra sacras Vestes, quod est contra Caeremonialis praescriptum, ideo additum fuit *ad Mentem*, quae est, *ut Episcopus mandet Canonicos decoratos privilegio Crucis deferendae super Paramenta sacra, eo uti debere ad praescriptum Caeremonialis, nempe imposita Cruce super Albam, et eamdem tegere celebrante Episcopo*. = Quum autem SSmus Dominus Noster *Leo XII. Pont. Max.* praefatae Congregationis particularis definitiva responsa adprobaverit, et confirmaverit, nil modo restat, nisi ut exequutioni mandentur, et optata quies, atque concordia inter duo illa Capitula restituatur, et in posterum perseveret.

stitiam pietatemque componerent; verum etiam ingenio, doctrinaque celebres eosdem in Fidei veritate consolidarent. Hos propterea Divinus Praeceptor Sal Terrae, Mundique Lumen nuncupavit, qui non vivae tantum vocis officio, caeterorum Pastorum instar sibi commissam plebem, sed cunctos Christifideles omniumque saeculorum posteritatem conscriptis Libris sapientia et doctrina refertis, etiam extincti erudire non cessant. Quos inter eminet etiam SANCTUS PETRUS DAMIANUS ab sa. me. Stephano IX. alias X. Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis creatus, et Ostiensis Episcopus renunciatus, qui Saeculo XI. Dei Ecclesiam meritis, et Doctrinis illuminavit, designatus idcirco Scriptorum elogio Vir et sanctitate et doctrina per sua tempora clarus. Hujus porro sanctissimi Viri de universa Ecclesia tot nominibus optime meriti nondum extensum fuisse Festum per ipsam universalem Ecclesiam, dolentes Apostolici Senatus Patres, ita Summum Ecclesiae Hierarcham, et Caput Pontificem Maximum Leonem XII. per Postulatoriam Epistolam Sacri Cardinalium Collegii nomine deprecati sunt, ut ex Sacrorum Rituum Congregationis Consulto ejusdem S. Petri Damiani Festum celebrari praecipiat universa in Ecclesia septimo Kalendas Martii cum Officio, et Missa de Communi Doctorum, necnon cum Lectionibus, et Oratione propriis jam pro aliquibus Locis adprobatis. Qua Postulatoria una cum Animadversionibus R. P. D. Virgilii Pescetelli Sanctae Fidei Promotoris, et Advocati ac Procuratoris Responsionibus diligentissimis in Ordinario Sacrorum Rituum Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto delata, Emi et Rmi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, audita relatione Emi, et Rmi Domini Cardinalis Julii Maria Desomalea Episcopi Ostiensis, et Veliterni Ponentis, Eidemque Congregationi Praefecti, momentis omnibus hinc inde allatis sedulo libratis, matureque discussis, unanimi consensu rescribendum censuerunt: = *Consulendum SSmo pro gratia* =. Die 27. Septembris 1828.

Facta autem de praemissis omnibus et singulis SSmo Domino Nostro Leoni XII. Pont. Max. per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua in omnibus annuendo, Sacrae Congregationis Rescriptum adprobavit et confirmavit, ac *S. Petrum Damianum Doctorum Albo recensuit*, *ejusque Officium* sub ritu dup.min. cum Lectionibus primi Nocturni de Scriptura instar concessionis factae Clero Ravennaten. de Anno 1723. *ad universam extendit Ecclesiam*, ac desuper Generale Decretum Urbis, et Orbis expediri praecepit. Kalendas Octobris ejusdem Anni 1828.

4490. MAZARIEN.

Parochiali in Ecclesia Castriveterani Dioecesis Mazarien. mos est SSmum Sacramentum publicae Fidelium venerationi in Ara maxima exponendi, detecto S. Joannis Baptistae Titularis Ecclesiae, et praedicti Oppidi praecipui Patroni insigni Simulacro, quod non supra Altare, sed extra illud sexdecim fere palmis sejunctum in propria AEdicula existit, et ita insculptum, ut religioso modo Fidelibus Agnum Dei, qui tollit peccata Mundi praesentare videatur. Centum, et amplius ab hinc annis viget haec con-

suetudo, confirmata semper ab Episcopis Dioecesanis, et nuperrime ab hodierno Ordinario, qui prima Episcopalis suae visitationis die Sacrum agens talem expositionem sua manu perfecit, et publicam deinde supplicationem solemni ductu pertraxit, ac denique ingenti Populo cum SSmo Sacramento est Benedictionem impertitus. Super hac consuetudine ex zelo, quo fervet R. D. Petrus Maria Triolo actualis Parochus, ut ecclesiastici rius apprime serventur ad animi sui tranquillitatem Sac. Rit. Congregationi sequentia tria dubia humillime proposuit enodanda, nimirum.

I. *An velari debeat Simulacrum S. Ioannis Baptistae, vel potius supracentenaria consuetudo servanda sit, exponendo nimirum SSmum Sacramentum cum Simulacri detectione, quando ob ingruentem publicam calamitatem, collectis, et elargitis eleemosynis, hanc expositionem votum populi expostulat?*

II. *Quando natalitia Solemnitas hujus Sancti Titularis Ecclesiae, et Oppidi principalis Patroni occurrit aliqua die infra Octavam SSmi Corporis Christi?*

III. *Quando quotannis mense Novembris oratio quadraginta Horarum peragitur? (a)*

(*a*) Dum primum haec Causa proposita fuit in Sac. Rit. Congregatione Ordinaria coacta *die* 22. *Martii* 1828. placuit Emis Patribus rem differre, et ampliare judicium. En quae fuit ratio. Quaestio agebatur, an velandum, aut discoopertum relinquendum esset Simulacrum S.Joannis Baptistae, quod magna in veneratione est apud Populum Parochialis Ecclesiae Castriveterani, Dioecesis Mazarien.,dum publicae adorationi patet in Throno SSmum Eucharistiae Sacramentum? Hac data occasione excitatum fuit Dubium, num expediret extendere praeceptum tegendi Tabulas Altarium, ut fit ex praescripto Instructionis Clementinae Romae in Oratione quadraginta Horarum ad alias omnes expositiones, quae per annum fiunt, vel pro adimplendis piis Legatis ex Fidelium fundationibus, vel in Novemdialibus, et Triduanis precibus, quae frequenter occurrunt, praesertim vero ante Festivitates B. M.V., vel alia quacumque de causa? ideo, suspenso judicio, responsum fuit *ad D. Secretarium cum SSmo juxta mentem*. Mens erat, ut fieret relatio SSmo Dño Nostro Leoni XII Pont. Max.,cui tamen placuit suam Mentem non aperire, sed *mandavit*, *ut iterum proponeretur in proxima* (scilicet *Congregatione*). Coacto igitur altero Ordinario Emrum Patrum Sacris ritibus tuendis praepositorum Coetu, re maturius in utramque partem discussa, libratisque argumentis, quae afferri poterant, unanimiter fuerunt in sensu, quod magis expediret nihil innovare, nullumque positivum Decretum interponere; quapropter tribus propositis Dubiis *collective* responsum fuit. = *In casu*, *de quo agitur*, *servandam esse consuetudinem*, *excepto tempore expositionis quadraginta Horarum*. Et Sanctitas Sua hujusmodi responsum adprobavit, et confirmavit. Supradicta autem brevior Rescripti formula aequivalet alteri relativae ad singula Dubia videlicet.

Et Emi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Sacrorum Rituum coetu ad Vaticanum coacto, exquisita prius unius ex Apostolica-

Ad I. *Negative ad primam partem*, *Affirmative ad secundam*.

Ad II. *Negative ad primam partem*, *Affirmative ad secundam*.

Ad III. *Negative*.

Quoad igitur attinet ad decisionem primi, et secundi Dubii ea prudentia usa est S.C., quam servare aequum est, quando in quaestionibus, quae ad extriusecam disciplinam pertinent, declarari oportet quid magis deceat, vel magis expediat. Etenin in casu, iis omnibus, quae hinc inde afferri possunt, aequa lance libratis, inclinari pondus videtur pro consuetudine servanda, quam pro novo praecepto indicendo; unde rem serio meditanti nihil obversatur, quod obstaculum Religioni contrarium interponat. Secus vero periculum immineret offensionis et scandali, ubi mos viget, si nova lex diceretur de velandis Imaginibus in omnibus expositionibus, ubi viget consuetudo contraria. Equidem *Bauldrius* in Manual. sac. caeremon. part.3. cap.17. num.2. *et Bissi* verbo *ExpositioSSmiSacramenti* num.232. §. 5. necnon *Thiersius de exposit. SSmi Sacramenti* cap. 4. num. 12., quos sequitur sa.me. *Benedictus XIV*. institut. ecclesiastic. quae est 30. editionis latinae, sunt in sensu, quod *non liceat, Sacramento exposito, apertas teneri Imagines B.M.V. et Sanctorum, quia, praesente Domino cessare debet honor, qui Servo adhibetur, et praesente Sole, omnia Astra splendorem amittunt*. Verum equidem id est: congrua tamen congruis sunt referenda; atque ita praefatae auctoritatis intelligendae, quod confundi non debent Cultus diversae species, *Latriae* scilicet, qui soli Deo Optimo Maximo debetur, *Hyperduliae*, qua veneramur Deiparam Virginem, et *Duliae*, quem obtinent caeteri Sancti. Has distinctiones omnino tenendas servandasque esse ipsa suadet Religio, quia nullo pacto licet diversos Cultus species simul confundere, et Coelicolis dare id, quod convenit, et debetur uni Deo; vel quod ob suam excellentiam supra caeteras creaturas Deiparam colimus: nihilominus cessat omnis dubitandi ratio, quia simul cessat omnis confusio Cultus, si unicuique tribuatur quod ei debetur. Dum enim ad Deum confugimus, ut unicum Creatorem, et Datorem bonorum omnium, preces ad eum dirigendo Cultu *Latriae*, nonne possumus mediatricem Deiparam adhibere apud Eum, et Coelicolas intercessores? Imo et fieri ita debet, quia re ipsa nullatenus *Hyperduliae*, et *Duliae* Cultus confunditur cum Cultu *Latriae* uni Deo debito, prout habent *S. Thomas* part. 3. quaest. 25. artic. 5. et *S. Bonaventura* in 3. distinct. 9. num. 2. Conveniens imo est, ut deprecatores adhibeamus Coelicolas, et ex Ecclesiae instituto faciendum ita est, ut quod nostris precibus non valemus, intercessione, ope, ac patrocinio B.M.V., et Sanctorum consequamur. Secus enim, si in sensu rigoroso suprarelatae auctoritates essent accipiendae, nequaquam liceret Sacramenti expositionem conjungere cum respectivo Cultu B.M.V., et Sanctis debito, et abrogandae forent Novemdiales, et Triduanae preces, quae fiunt ad honorem Deiparae, et Caelicolarum cum Sacra-

rum caeremoniarum Magistris sententia scriptis pandita, praeloque cusa, ad relationem Emi, et Rmi Dñi Cardinalis Caroli Odescalchi Ponentis, re-

mento exposito, imo etiam abrogandae forent Litaniae Lauretanae, quae ad implorandum B. M. V. praesidium fere semper ante Hymnum *Tantum ergo* recitantur. Carpenda praeterea esset ipsa Clementina Instructio, quae jubet, ut dum Sacramentum exponitur pro Oratione quadraginta Horarum, et priusquam Populus dimittatur cum ejusdem Benedictione, recitentur Litaniae Sanctorum cum precibus. Quis autem est, qui non videat, quod si praefatae auctoritates accipiendae essent strictissime, nullaque facta distinctione, et discrimine, censura impeteret institutum, probatosque Ecclesiae mores, quod vel simpliciter cogitare piaculum est? Nam Litaniae Sanctorum, Lauretanae, necnon aliae preces recitari solitae, et ab Ecclesia adprobatae, permissae, et quandoque in publicis praesertim necessitatibus etiam praescriptae, nihil detrahunt Cultui *Latriae* Sacrae Eucharistiae debito, quia Cultus omnis refertur ad Deum, ut ad principium, et finem ultimum, Deiparae vero, et Sanctorum invocatio fit, veluti supra jam dixi, tamquam medium, ut, adhibitis intercessoribus, facilius a Deo obtinere possimus, quod petimus, et fragilitas nostra non praesumit. Recte igitur sapienter, prudenterque S. C., dimisso consilio extendendi ad omnes expositiones praescriptum velandi Imagines, et Simulacra Sanctorum, magis expediri censuit nullam super hoc innovationem facere, respondens ad prima duo Dubia *consuetudinem esse servandam*. Seseque conformavit responsioni alias datae in Ordinario Conventu diei 26. Januarii 1793. Consuetudo erat, ut singulis Annis solemnis expositio fieret in Sacello Paulino Basilicae Liberianae, patente vetustissima Imagine B. M. V., quae ibi magna est in veneratione: verum, nova extructa machina cum in altum nimis assurgens, impedimentum afferret detectioni praefatae sacrae Imaginis, orta quaestio inter Capitulum, et Ecclesiae Patronum ad soepedictam sacram Congregationem delata fuit, propositoque Dubio: An SSmum Sacramentum publicae venerationi sit exponendum in Altari Deiparae Virginis, hujus Imagine detecta, vel potius tecta? responsum fuit = *in casu, de quo agitur servandam esse antiquam consuetudinem*. Ne autem sit, qui existimet ad alios casus extendendum non esse Decretum, quod non est generale, sed relativum ad speciem propositam; nam si in quibuslibet expositionibus cooperiendae essent Imagines Deiparae, et Sanctorum, quia, ut ajunt Auctores supra laudati = *praesente Domino omnium summo, cessare debet Cultus Servorum* = neque consuetudo, etsi immemorabilis, neque conventio, neque lex fundationis, neque alia quaelibet gravissima cogitanda ratio posset cohonestare detectionem Imaginum, dum Sacramentum est publice expositum. Itaque illud tenendum est, quod supra dixi, nempe relata verba in sensu congruo sunt accipienda, et dummodo Cultus non confundantur, neque Deiparae, et Sanctis honorem illum tribuamus, qui soli Deo debetur.

Si ita est, sciscitandi fit locus, curnam tegendae omnino sunt Imagines in

scribendum censuerunt sub die 22. Martii vertentis anni = *Ad Dominum Secretarium cum SSmo juxta Mentem* = . Placuit autem SSmo Dno Nostro Leoni XII. Pont. Max. suam mentem non aperire , mandavitque sub die 26. recensiti Mensis , et Anni , *ut iterum proponeretur in Proxima* . Mandatis Smi obtemperans praedictus Parochus , iterum S. R. C. adivit adhibitis per Procuratorem novis Allegationibus , et Responsionibus . Iterato itaque omnia sedulo , mature , diligenterque perpensa , Emi , et Rmi

Oratione quadraginta Horarum , non vero in aliis , vel minus solemnibus , vel etiam solemnissimis,quae non raro per anni circulum fiunt? Praesentissima se offert ratio discriminis. Pro diversitate functionum diversoque earumdem fine aliquid decet,et licet in una, quod in altera , quamvis idem sit utriusque subjectum , non expedit . Porro Oratio quadraginta Horarum ideo instituta fuit , ut *diu , noctuque quavis hora , toto vertente anno , sine intermissione incensum in conspectu Domini dirigatur* , ut legitur in Constitutione Clementis VIII. *Graves* , *et diuturnae data* 25. *Novembris* 1592. Instituti itaque praecipuus , et unicus est finis: ergo , durante Oratione , quae nunquam intercipitur , omnis Cultus soli Deo exhibendus est , idcirco expedit velari Altarium Tabulas , aliaque ita disponere , ut Populus sine distractione totus sit in adoranda Eucharistia intentus .

Pertinent haec ad duo prima Dubia : sequitur responsio ad tertium, qua excipitur *tempus expositionis quadraginta Horarum* . Atque hic quaeri posse videtur, quomodo intelligenda , et accipienda sit hujusmodi exceptio , nempe , num habeat vim generalis Decreti , an potius unam respiciat Ecclesiam , pro qua Dubium propositum fuerat? Mihi quidem videtur peculiaris , non generalis , quia dum aliqua dispositio in Sacra Congregatione fit , qua generalis regula detur ubique servanda , id clare disponitur : Hoc factum non est , et fieri debuisset quatenus S. C. regulam generalem dicere voluisset . Praeterea quia aliud habemus Decretum latum sub *die* 12. *Julii* 1749. quoad ad Dubium = *An Constitutio pro Oratione quadraginta Horarum Romae jussu Clementis XI. edita , etiam extra Urbem servari possit* , *ac debeat* ? responsum fuit : *praedictam Instructionem extra Urbem non obligare* , *laudandos tamen qui se illi conformare studeant* , *nisi aliud ab Ordinariis Locorum statuatur* = ( in collect. num. 4054. ) Dicam ulterius , si introspiciatur mens Sacrae Congregationis latens sub verbis illis *excepto tempore expositionis quadraginta Horarum* , ea esse videtur , ut maxime convenire credat , et exoptet , quod ubique praescriptum Clementinae Instructionis , saltem quoad Imagines velo tegendas tempore Orationis quadraginta Horarum , servetur, omnem quae dirimit controversiam est formula responsionis , quae incipit = *in casu* , *de quo agitur* = quae dictio initio orationis evincit , Decretum coarctari ad unam speciem propositam , nec ultro progredi , quamobrem minime adversatur alteri suprarelato Anni 1749. Vide quae uberius notata sunt in Commentariolis ad Instructionem Clementinam pro Oratione quadraginta Horarum tom. 6. part.2. a pag. 15. ad plures sequentes.

PP. ad Vaticanum in Ordinario coetu coadunati, propositis Dubiis collective respondendum censuerunt = *In casu, de quo agitur servandam esse consuetudinem, excepto tempore expositionis quadraginta Horarum* = *Die 27. Septembris* 1828.

Facta autem denuo SSiño Dño Nostro Leoni XII. Pont. Max. per me infrascriptum ejusdem S. C. Secretarium relatione, Sanctitas Sua Sac. Congregationis Responsum adprobavit, et confirmavit, atque ita in Ecclesia Collegiata Castriveterani supradicta servari mandavit. *Kalendis Octobris ejusdem Anni.*

4491. IMOLEN.

Capitulorum, et Collegiatarum postulationibus non semel annuentes Romani Pontifices vel ab vetustissimis temporibus nonnulla honoris, atque distinctionis Insignia peculiari de caussa concedere consueverunt. Percrescentes vero hac super re abusus, qui forte temporis diuturnitate irrepserunt penitius convellere curarunt, idque factum conspicitur veteribus aeque ac recentioribus aetatibus. Hinc Generale editum est Decretum anno 1822., quo statuitur quid per concessa privilegia intelligatur, quid a Canonicis adhiberi possit, quid ipsis sive privatim, sive solemniter permissum sit, quidque tamquam vetitum sit habendum. Quae in memorato Decreto expressa reperiuntur peculiari Constitutione, quae incipit = *Decet Romanos Pontifices* = subsequenti anno 1825. sunt confirmata. Huic igitur obtemperantes Constitutioni Cathedralis Ecclesiae Imolensis Canonici Sacram Congregationem Rituum adierunt duobus abhinc annis, scilicet die 16. Decembris anni 1826. preces porrigentes una cum Brevi concessionis, quo quid ipsis in usu privilegiorum liceret, opportune decerneretur.

Nunc (*a*) autem iterum supplicem Libellum dedere Sacrae Rituum

(*a*) Cathedralis Ecclesiae Imolensis Canonici, et Dignitates honorificis aucti Insignibus, et Pontificalium usu ex benigna concessione *sa. me. Pii VII.* quem habuerunt Antistitem, fruentes, adhuc tamen duas alias praerogativas a Sacra hac Congregatione postularunt. Primùm scilicet *extensionem Indulti ipsis, et ipsorum singulis utendi argentea Palmatoria, tùm extra Pontificalia in propria Ecclesia, tum quacumque in Imolensis Civitatis Ecclesia, in qua sive privatim, sive solemniter sacras functiones, Sacrumque eos peragere contigerit.* Secundo vero *facultatem eorum omnibus, et singulis gestandi quotidie pectoralem Crucem.* Patres autem Emi sacris ritibus tuendis praepositi, etsi quoad Palmatoriae extensionem annui posse precibus non repugnassent, apposita limitatione = *dummodo non sit praesens Episcopus, Metropolitanus, Nuncius, Legatus, S. R. E. Cardinalis*; renuit tamen alterum concedere, *usum* nempe *Crucis pectoralis.*

Quaerere aliquis posset, curnam Dignitatibus, et Canonicis insignis Ecclesiae tot cumulatae beneficiis, hujusmodi usum, qui aliis Capitulis quandoque indultus fuit, denegaverit? Dicam primum, insolens esse sciscitari rationes, propter quas Sacra Congregatio in materiis pure gratiosis annuit, vel renuit petitionibus assentiri.

Congregationi Dignitates, et Canonici laudatae Imolensis Cathedralis, quo ut Pontificalium privilegiis, quibus ad formam litterarum Apostolicarum

Addam secundo, expedire quandoque modum imponere privilegiis, hisque non alia addere privilegia, ne qui in inferiori sunt Ordine nimis quoad extrinsecas honorificentias Superiori appropinquentur, veluti est Episcopus relate ad Dignitates, et Canonicos, qui ejus Capitulum componunt. Equidem non ignoro pectoralis Crucis usum non ita convenire Episcopis, ut nequeat ex Indulgentia concedi aliis Ecclesiasticis Viris in dignitate aliqua constitutis, imo etiam alicui Metropolitanae, Cathedrali, et ex insignioribus Collegiatae Ecclesiae Dignitatibus, et Canonicis. Cantè tamen, et nonnisi pensatis omnibus, et singulis circumstantiis, faciendum id expedit, ne adauctis nimis honorificis decorationibus, Dignitates, et Canonici vix ab Episcopo in populi aspectu distinguantur, hujusque honor imminutus quodammodo videatur. Itaque quum Imolensis Ecclesia multiplicibus ditata sit privilegiis, ac praesertim usu Pontificalium, mirum non est, si S.C. alterum honorificum signum, illud scilicet gestandi quotidie Crucem pectoralem concedere recusavit, ut in hac saltem extrinseca decoratione solus illius Ecclesiae Episcopus hoc sibi Insigne privative competere agnosceretur.

Et quoniam obiter incidit sermo de Cruce pectorali, quae, ut initio dixi, non ita est propria Episcopi, ut aliis in dignitate constitutis nequeat ejus usus (cum limitationibus, et conditionibus) aliquando concedi; eruditionis ergo addere hic mihi visum est, quae hac de re apte disserit doctissimus Catalanus in Prolegomenis ad Pontificale Romanum cap. 13.

„ Nemini adhuc satis exploratum „ est, an primis saeculis in usu fue„ rit Episcopis Crucem cum Sancto„ rum Reliquiis, quam nos pectora„ lem dicimus, collo appensam de„ ferre. Emus Cardinalis Bona, et „ Andreas Saussajus ex alto de ea re „ veterum Scriptorum silentio eum „ ritum non admodum antiquum pu„ tant. Cui tamen sententiae adhae„ rere nequeo. Cum enim, ut scite „ docet Thomassinus part. 1. disci„ plinae lib. 2. cap. LVIII. num. 4. „ Antiquitus libero quidem, et pe„ culiari instinctu Christiani fere om„ nes seu Orientis, seu Occidentis „ Crucem, vel ipso Crucis Ligno, „ vel sacris Reliquiis munitam collo „ appensam gestarent, haud dubium, „ quin et illam non modo Episcopi, „ sed et Clerici etiam deferrent. „ Certe quod prisci Fideles muniti „ Cruce incederent, ostendit fuse „ eruditus Gretserus in Opere suo, „ quod de Cruce inscripsit. Quod „ autem Episcopos spectat egregium „ est, quod refert S. Gregorius Tu„ ronensis Episcopus lib. 1. de gloria „ Martyrum cap. 11. Ait enim se „ Crucem auream ad collum gestas„ se, in qua erant Reliquiae Beatae „ Virginis, Sanctorum Apostolorum, „ et Beati Martini, cujus ope incen„ dium restinxit, quod aqua tolli „ non poterat: *tunc* inquit, *extra„ ctam a pectore Crucem elevo con„ tra ignem; mox in adspectu San„ ctarum Reliquiarum ita cunctus „ ignis obstupuit, ac si non fuis„ set accensus*. Alia ejusdem rei „ exempla post laudatum Thomassi-

gaudent, quaedam alia dignetur clementer addere, humillime expostularunt; Primum scilicet, ut ipsis, et ipsorum cuique quotidianus argenteae

,, num refert vir clarissimus Dominicus Georgeus lib. 1. de Liturgia Romani Pontificis cap. XIX.

,, Fateri hic illud necesse est, quod, etsi multa de eo Episcoporum ritu exempla afferri possint, cum tamen nec prisci Sacramentorum libri, nec antiqui praesertim Scriptores liturgici, qui ornatus sacros Pontificum, aliorumque Ministrorum tam in Oriente, quam in Occidente pertractarunt, ad earum significationes mysticas enucleandas, cum ipsi, inquam, nunquam pectoralem Crucem attigerint, argumento id est, nulla tunc eam lege, vel consuetudine generali usurpatam fuisse, adeo ut, labente Saeculo XIII. in potestate Episcopi esset Crucem pectoralem deferre, vel non; sic enim in suo Pontificali scribit Durandus, qui saeculo illo vivebat: *indumenta vero sibi* (Episcopo) *per ordinem necessaria sunt haec, videlicet Caligae, Sandalia, Amictus, Alba, Cingulum cum subcinctorio, quod habet similitudinem Manipuli, et dependet a Cingulo in latere dextro, Crux pectoralis, si quis ea velit uti, Stola, Tunicella, Dalmatica etc.* Sane recte docet laudatus Georgeus loco citato in fine, a Romanis quidem Pontificibus, qui pectorali Cruce jampridem usi sunt inter Episcoporum peculiaria ornamenta fuisse adscriptam.

,, Vocari in dubium minime potest, quin pectoralem Crucem Romani Pontifices, vel antiquitus praegestarent; constanter id quidem asserit Joseph Vicecomes lib. IV. *de Missae Apparatu* cap. XXX., et laudatus Thomassinus num. IV. ubi usum pectoralis Crucis Reliquiis Sanctorum refertae ex S. Gregorii Papae Vita per Joannem Diaconum scripta eruunt. Joannes quippe lib. IV. cap. VIII. dum sacras enumerat Vestes, quibus indutus fuerat memoratus Pontifex, dum Tumulo inveheretur, ait, phylacteria ipsius magna veneratione a Christifidelibus fuisse habita; phylacteriorum autem nomine designari sacram Reliquiarum Thecam collo appensam, idem Scriptor ibidem demonstrat: imo Gregorius ipsemet eamdem vocem de Cruce sacris foetam pignoribus, maxime autem Sanctissimo Christi Crucis frustulo interpretatur: uti videre est lib. XII. Epistola VII. quam ad Theodolindam Longobardorum Reginam scripsit, dicens: *Excellentissimo autem filio nostro Adulouvaldo Regi transmittere phylacteria curavimus, id est, Crucem cum Ligno Sanctae Crucis Domini, et lectionem Sancti Evangelii Theca persica inclusam.*

,, Insequentibus Saeculis pectoralem Crucem specialem fuisse Romani Episcopi ornatum, luculenter docet Innocentius III. Pontifex Maximus lib. 1. Mysteriorum Missae cap. LIII. Singulas enim Papae Vestes ad Altare explanans pro lamina illa aurea, quam solus Pontifex Summus gestabat in fronte, subjicit Crucem a collo catenulis suspensam, ut quae et ipsa laminae loco esset summi Pontificis propria: *quia signo*

Palmatoriae usus concedatur, tum extra Pontificalia in propria Ecclesia, tum quacumque in Imolensis Civitatis Ecclesia, in qua sive privatim, sive

„ *Crucis*, inquit, *auri lamina cessit, pro lamina, quam Pontifex ille gerebat in fronte Pontifex ipse Crucem gerit in pectore, nam Mysterium, quod in quatuor libris auri lamina continebat, in quatuor partibus forma Crucis explicuit juxta quod inquit Apostolus* . = Ut comprehendatis cum omnibus Sanctis, quae sit longitudo, et latitudo, sublimitas, et profundum, *Ideoque Romanus Pontifex Crucem quamdam insertam catenulis a collo suspensam sibi statuit ante pectus, ut Sacramentum, quod ille tunc praeferebat in fronte, hic autem recondat in pectore. Nam corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Ita Innocentius, cujus verba pene exscripsit Durandus lib. III. Rationalis cap. IX., ubi adjungit, Summum quidem Pontificem Crucem statuere sibi ante pectus ad designandum, quod ait Apostolus in Epistola I. ad Corinthios cap. VI. *Glorificate, et portate Deum in corpore vestro*. Tradit deinde idem Durandus Pontificem imponendo sibi, et deponendo Crucem, ipsam exoscnlari, ad denotandum, quod Christi Passionem, quae per illam significatur, credit, et confitetur, quodque ad eamdem repraesentandam in officio Missae se parat.

„ Sunt qui autumant, etiam Graecos Episcopos pectoralem Crucem gestasse, eamque ab ipsis *Encolpion* appellari. Quod tamen non satis exploratum est; quinimo a compluribus doctis Viris constantissime pernegatur. Patriarcharum Orientalium Legati Constantinopolim appulsi, ut VIII. generali interessent Synodo, testificati sunt quidem ut primum ad Imperatorem admissi sunt, illum Crucem, quae ex pectore ejus pendebat, ipsorum collo imposuisse, qua eos obtestaretur, non alias persequi, non alias promovere Ecclesiae utilitates; *Imposuit super colla nostra Encolpion suum, et dixit: ecce judicium Ecclesiae exigat Deus a cervicibus vestris in die judicii*. Extant haec verba in Actione V. memoratae Synodi VIII. ubi animadvertere ajunt Anastasium Bibliothecarium, Graecos sinu semper Crucem circumferre, eique insertum semper aliquid esse verae, et vivificae Crucis, vel sacrarum alioqui Reliquiarum, idque a Graecis *Encolpion* appellari. *Encolpion*, inquit, *est, quod in sinu portatur, colpos enim graece, sinus latine dicitur. Moris enim Graecorum est, Crucem cum pretioso ligno, vel cum Reliquiis Sanctorum ante pectus portare suspensam ad collum*.

„ Sed non inde satis valide infertur Encolpion fuisse Insigne Episcoporum; nam primo, qui illud *imposuit fuit Imperator*, secundo *Helias Vicarius Sedis Hierosolymitanae, qui narrans adventum suum in Regiam Civitatem, et qualiter ab Imperatore ipse cum sociis receptus fuerat, ea verba dixit, imposuit super colla nostra Encolpion etc.* Non erat Episcopus sed Presbyter. Tertio ut Gretserus

solemniter sacras functiones, Sacrumque eos peragere contigerit: Secundo ut ipsorum omnibus, et singulis pectoralem Crucem quotidie gestandi detur facultas.

,, lib. 2. *de Cruce* cap. XXXIV. animadvertit, et post eum Saussajus ,, *Panopliae Episcopalis* lib. IV. pag. ,, 299. Non inficiatur *Encolpii* vocem neque in Graeco Textu memoratae Actionis V., neque in Latina versione haberi, sed Ωμοφόρα, ,, Humeralia, seu Superhumeralia. Idipsum confirmat Georgius ,, lib. I. de Liturgia Romani Pontificis cap. XIX. Quarto demum frustra ea verba ad Crucem pectoralem Episcoporum referuntur, cum, ,, ut late probant, qui *de Cruce* ,, scripserunt, Crucem secum ferre ,, commune esset omnibus Christianis, ,, et praesertim hodie ditioribus foeminis, quae in signum potius vanitatis, quam christianae religionis Crucem lapidibus pretiosis intextam collo appensam deferunt. ,, Caeterum quod spectat Crucem ,, quam pectoralem vocant, quam ,, nimirum Episcopi Latini gestare solent, benedici aliquibus ab hinc ,, saeculis consuevit, extatque hodie ,, titulus in II. parte nostri hujus Romani Pontificalis, qui inscribitur: ,, *de Benedictione Crucis pectoralis*. Vide quae in ejusdem Tituli ,, Commentario a nobis dicentur.

Idem Catalanus ad part. 2. Pontificalis tit. 14. quod est *de benedictione Crucis pectoralis* sic adnotat = De ,, Cruce pectorali Episcoporum actum ,, a nobis fuse jam fuit tom. I. hujus ,, Operis in Prolegomenis cap. 13. ubi ,, non modo de ejus origine, et usu ,, apud Latinos, verum etiam apud ,, Graecos nonnulla notata sunt. ,, Quantum vero ad ejusdem Crucis ,, benedictionem attinet, nihil in priscis MSS. pontificalibus Libris, nihil ,, prorsus apud Scriptores antiquos ,, invenio. Sed neque extat is praesens titulus in editis ante Clementem VIII. Pontificalibus, in quibus ,, post titulum *de benedictione novae Crucis*, statim sequitur titulus ,, ille, qui inscribitur *de benedictione Imaginis B.M.V.* Porro, uti alibi ,, notatum est, ex Durandi Pontificali liquido constat sua ipsius aetate ,, saeculo nimirum XIII. Crucem pectoralem gestatam quidem ab Episcopis fuisse, sed nondum inter ,, ornamenta Episcoporum translatam, in potestate tamen Episcopis eam adhibere, vel non adhibere. Constat nihilominus saeculo ,, XIV. non modo inter Episcoporum ,, peculiaria ornamenta Crucem ipsam ,, fuisse adscriptam, verum etiam ,, ubi ipsam Episcopi accipiebant ,, Missam celebraturi, hanc ex Romano Missali Fratrum Minorum, ,, quod extat in Vaticana Bibliotheca num. 4743. pronunciabant formulam = *Tuam Crucem adoramus Domine, tuamque gloriosam* ,, *recolimus Passionem, et Tu miserere nobis, qui passus es clementer pro nobis. Amen.*

,, Tametsi antiquus non sit praesens titulus *de benedictione Crucis pectoralis*, quam nempe Episcopi ad collum appensam gestant, ,, videaturque a Clemente VIII. adjunctus, cum in editis ante ipsum ,, Pontificem Libris pontificalibus ,, haudquaquam inveniatur: est tamen non ita recens alius titulus,

Et Sacra Eadem Congregatio, exquisita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto pandita, typisque vulgata; referente Emo, et Rmo Domino Card. Carolo Odescalchi, loco Emi, et Rmi Dni Card. Antonii Pallotta Ponentis absentis, respondendum censuit = *Quoad Crucem negative: quoad Palmatoriam affirmative, juxta votum Magistri Caeremoniarum; dummodo non sit praesens Episcopus, Metropolitanus, Nuncius, Legatus, S. R. E. Cardinalis = Die* 27. *Septembris* 1828.

Facta autem per me infrascriptum Secretarium de praemissis SSmo Domino Nostro Leoni XII. Pontifici Maximo relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis sensum laudavit, confirmavitque in omnibus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. *Die prima Octobris* 1828.

4492. FAVENTINA.

Porrecto SSmo Dno Nostro Leoni XII. Pont. Max. sequenti supplici libello.

BEATISSIMO PADRE.

Il Sacerdote Luigi Cassani Arciprete di Bagnacavallo Diocesí di Faenza Oratore umilissimo della Santitá Vostra ossequiosamente espone, qualmente nella Bolla di creazione della Collegiata di Bagnacavallo, oltre gli altri privilegj concessi all' Arciprete pro-tempore dalla sa. me. di Benedetto XIV. nella sua Bolla *Illius incomprensibili bonitate*, gli fu accordato

„ qui non modo in Pontificalibus editis, sed et in MSS. Pontificali Codice Guillelmi Durandi, qui floruit saeculo XIII., et in aliis habetur inscriptus de benedictione, et impositione Crucis proficiscentibus in subsidium, et defensionem Fidei Christianae, seu recuperationem Terrae Sanctae. Estque is titulus XXI. juxta ordinem titulorum partis II. Romani hodierni Pontificalis. Porro cautum est ex hac nostra Rubrica, ut Pontifex ad benedicendam Crucem pectoralem uti possit ea forma, quae in ipso titulo XXI. est assignata.

Quoniam itaque patet ex his, quae allata sunt, usque a saeculo XIII. vel XIV. morem invaluisse gestiendi ab Episcopis pectoralem Crucem, si vellent, qui tamen mos communis evasit, et per modum regulae, quandoquidem in Romano Pontificali insertus fuit titulus *de benedictione Crucis pectoralis*, quae aliis pontificalibus indumentis adnumeratur; plane consequitur ita Episcopis pectoralem Crucem convenire, ut usurpari nequeat ab aliis inferioris ordinis, nisi per privilegium. Hoc autem nonnisi raro rationabilibus de causis cauto conceditur. Nil mirum igitur, si eam postulanti Imolensis Cathedralis Capitulo Sac. Congregatio novum hoc Insigne concedere repugnavit. Quum enim tot aliis privilegiis cumulatum esset, ejusdemque Canonici, ac Dignitates Pontificalium usu decorati sint, haud congruere visum est aliud addere pectoralis Crucis, quo magis accederent ad extrinsecas pontificales honorificentias, et tantum detraheretur extrinseci honoris Episcopali Dignitati, quantum additum esset Dignitatibus, et Canonicis ejusdem Capitulum componentibus.

ancora di poter fare Pontificale nelli seguenti giorni , come dalla Bolla = *ut ipse , idest Vicarius* = poichè così chiama la Bolla l' Arciprete di Bagnacavallo , costituendolo Vicario perpetuo del Vescovo di Faenza = *in Nativitatis , et Circumcisionis D. N. J. C. et Epiphaniae , necnon Paschatis Resurrectionis Dominicae , et Pentecostes , ad Corporis Christi , et Assumptionis B.M.V. , et Dedicationis S.Michaelis Archangeli festis diebus tantum a primis Vesperis usque ad occasum solis festorum dierum hujusmodi* . . . . e poscia *quibuscumque ipse inibi* , cioè nella Chiesa Arcipretale di S. Michele , *diebus festis huic tantum in Pontificalibus celebrabit Benedictionem solemnem post Missam , et Vesperarum , ac Matutinorum , et aliorum Divinorum Officiorum celebrationem supra populum inibi tunc existentem elargiri* = . Quindi è , che l' Oratore supplica umilmente Vostra Santità , affinchè si degni ordinare , che venga dichiarato a chi spetta , se l' Oratore possa fare il Pontificale nella mattina del Sabato Santo nella Messa solenne . Spera l' Oratore di essere esaudito , mentre evvi la Sagra Congregazione del Concilio , che nel 1785. alli 9. di Luglio definì , che = *Paschatis Solemnitas exorditur a Missa Sabathi Sancti* . (a)

(a) Facile quisque videt , planeque intelligit Pontificales Missas relate ad illos , qui non ex jure , verum ex privilegio in quibusdam dumtaxat designatis diebus queunt Pontificalia peragere , quin iisdem liceat alios dies, praeter expressos in Apostolicis Constitutionibus , ut illa est Alexandri VII. pro Abbatibus , et Praelatis Episcopis inferioribus , vel peculiaribus privilegiis concessis quandoque Capitulis, Dignitatibus , Rectoribus etc., addere. Quamobrem Archipresbyter Collegiatae , et Parochialis Ecclesiae S. Michaelis Balneacavalli Faventinae Dioecesis , cui facta fuit potestas , a sa.me. Benedicto XIV. Pontificalia peragere in designatis solemnioribus anni diebus a primis Vesperis ad occasum Solis diei sequentis , perperam praesumit privilegium extendere , eoque uti etiam in Sabatho Sancto , quia Pontificalem Missam licite potest celebrare sequenti die solemni Paschatis Resurrectionis . Equidem in facultate ei est quoad alias festivitates canere pontificaliter primas Vesperas , quia revera a Vesperis initium habet sequentis diei solemnitas ; sed Dominica in qua recolitur Resurrectio D. N. J. C. habet quidem primas Vesperas , si Vesperae dici possunt , quae singulari ritu intra Missam persolvuntur , loco versus *Communio* , et Orationis *Postcommunio* ; imo , ut notat Tetamus Diar. Ecclesiastic. civil. cap. 8. de Sabatho Sancto num. 358. *Eaedem Vesperae verius appellari possunt gratiarum actio , quam Officium Vesperarum , teste Ruperto de divin. Offic. lib. II. cap. XVIII.* Confer *Benedictum XIV. de Missae Sacrificio sect. I. cap. XXIII.* §. 1., *sed et Vesperae vocabantur gratiarum actio* . Vide *Meratum ad Gavantum tom. II. sect. IV. cap. V. num.* 1. Hinc hujusmodi Vesperae separatim non persolvuntur in Choro , sed celebrantur in Missa , quae , ut aliae diei functiones ( per anticipationem), peragitur ; ideo dumtaxat ad privatim eas recitandas tenentur , qui Missae non

Relatae autem hujusmodi preces in Audientia diei 27. Martii 1827. eidem SSmo Dno Nostro per Secretarium S. R. C., Sanctitas Sua rescribendum jussit = *recurrat ad Sacram Rituum Congregationem* .

Proposita igitur instantia per Emum , et Rmum Dnum Cardinalem Pedicini Relatorem , re mature discussa , responsum fuit = *Servetur stricte privilegium Benedicti XIV. ideoque excluso Pontificale Sabathi Sancti* = . Die 27. Septembris 1827.

adstiterunt intra quam fuerant absolutae : quapropter locus non est , eas pontificaliter persolvendi , nisi intra Missam, prout fieri debet ab Episcopis, qui generalem Ordinationem Promovendorum cum ad Minores,tum ad Sacros Ordines peragunt , vel etiam possunt , si velint , etiamsi non adsint ad Ordines Promovendi , quia Episcopis numquam interdictum est agere Pontificalia . Quod autem jure proprio , et ex dispositione caeremonialis Libri possunt Episcopi , haud aliis permissum est , qui ex privilegio gaudent limitato usu Pontificalium , et stricte tenentur ad id ,quod in privilegio expressum est . Idcirco Archipresbyter Collegiatae Balneacavalli, ut Vesperas Paschatis pontificaliter celebraret in Sabatho Sancto, deberet etiam in Pontificalibus alias functiones , et praesertim Missam , a qua Vesperae separari nequeunt, persolvere . Atqui pontificalem Missam non ei est in Sabatho Sancto celebrare permissum , ideo etiam nec Vesperas , quia privilegium Missam solummodo designat pro solemni die Paschatis , non autem pro Sabatho Sancto .

Ejus autem intentioni obest potius, quam prosit resolutio Sacrae Congregationis Concilii diei 9. Julii 1785. , qua declaratum fuisse asseritur , quod Paschalis solemnitas exorditur a Missa Sabathi Sancti . Esto quidem ita sit ; sed quoniam inter designatas in privilegio Missas , illa Sabathi Sancti non occurrit , sed ea tantum exprimitur solemnitatis Paschatis , quid ultra quaerendum est , ut Archipresbyter Orator vanam suam petitionem agnoscat ? casus vero Sacrae Congregationi Concilii propositus, quo se tueri posse confidit, a specie nostra quammaximè distat, nec ullam habere potest relationem ad eamdem . In illo quippe agebatur de Canonico, qui ex fundatione tenebatur dumtaxat = *di intervenire* ( in Choro ) *nelle solennità del SSmo Natale , di Pasqua , e di S. Eustachio* = . Et exorta controversia super intelligentia mentis Fundatoris; an scilicet sub nomine solemnitatum etc. interessentia incipere deberet a primis Vesperis solemnitatum in testamento a Fundatore praescriptarum , et an his venirent etiam illae, quae intra Missam in Sabatho Sancto persolvuntur : jure declaratum fuit Canonicum teneri interesse Missae Sabathi Sancti , quia Vesperae ea die in Choro non separantur a Missa. Species autem nostra non est de obligatione adimplendi a Testatore impositum onus , quod a jure procedit,et cum jure conjungitur ; verum de extensione privilegii ultra fines praescriptos , seu de Pontificalibus , quae a Privilegiatis celebrari nequeunt, nisi ad formam Indulti , et solummodo in diebus ab Indulto designatis , et expressis . Non secus igitur S.R.C. indebitae postulationi respondere de-

4493. SANCTI MINIATIS.

Transacto Anno 1827. nonnulla exorta sunt dubia in Ficiclensí Oppido Dioecesis Sancti Miniatis quoad observantias Festorum , et ritum Sanctorum Martyrum Genesii , et Candidi , quorum primum tamquam Patronum Principalem venerata est universa Sancti Miniatis Dioecesis; secundum vero uti talem usque ab anno 1762. prosequuntur Clerus , et Populus ejusdem Oppidi Ficiclensis . Pro horum resolutione Dubiorum Sacram Rituum Congregationem Capitulum , et Canonici Ecclesiae Collegiatae , et Parochialis , nomine etiam Cleri , ac Populi totius Oppidi adivere . Proposita in Congregatione Ordinaria diei 22. Septembris memorati anni 1827. praedicti Capituli instantia , Sacrae Congregationis sensus fuit , ut super ipsam audiretur Miniatensis Episcopus , deque suo voto rogaretur . Quibus omnibus rite peractis in Comitiis habitis die 27. Septembris hujus anni 1828. infrascripta dubia fuere proposita , videlicet

1. An Ficiclenses , qui proprium Patronum habent , teneantur die festo S. Genesii Martyris totius Dioecesis Patroni audire Sacrum , quemadmodum ad hanc usque diem audierunt ?

2. An teneantur recitare Officium Divi Genesii Martyris ?

3. An Officium ipsius Martyris recitantes debeant illud colere eodem ritu , Octavamque servare , quam Dioecesis universa servat , et ipsi huc usque servarunt ?

Quibus , et alia duo Dubia secundaria adjecta fuerunt , nimirum :

1. An quod pro Clero , et Populo Oppidi Ficecli hactenus dictum , definitumque est quoad Festum , Missam , et Officium S. Genesii Martyris Patroni Principalis Civitatis , et Dioecesis Miniatensis , intelligendum , dicendum , et extendendum sit ad Clerum , et Populum totius Districtus , vel Territorii ejusdem Oppidi , et quatenus affirmative , quomodo se gerere debeat Clerus , et Populus Territorii quoad praeteritum , cum nihil de Festo S. Candidi Martyris usque nunc egerit , quidque in posterum ab eo faciendum sit ?

2. Utrum Clerus Oppidi ( et in casu affirmativo ad secundam partem primi Dubii ) totius Territorii Ficecli in recitatione Officii ad honorem gloriosi Martyris Genesii Officium proprium de eo pro Civitate , et Dioecesi approbatum recitare possit , vel teneatur ? (a)

bebat , nísi prout fecit , videlicet = *servetur stricte privilegium Benedicti XIV.* = ideoque , excluso Pontificale Sabathi Sancti , posse Oratorem solummodo ad formam Indulti in Pontificalibus Missam celebrare die Sancto Paschatis .

(a) Tot sunt Decreta hac in nostra Collectione relata , quae controversias dirimunt quandoque exortas de Patronis principalibus civitatum , et locorum juxta casuum diversitatem , ut quisque oculos , mentemque ad ea intendens, quid facto opus sit intelligere possit , quave ratione , siquae exoriatur quaestio queat enodari . Ideo ad illustrandum hoc Decretum nihil video , quod nova studia , ac elucidationem exposcat .

Sacra Eadem Congregatio, audito prius altero ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistro, qui suam sententiam praelo cusam dedit, ad relationem Eñi, ac Rñi Dñi Card. Petri Vidoni Causae Relatoris, rescribendum censuit = *Juxta Votum Magistri Caeremoniarum* = scilicet.

Ad 1. *Negative*

Ad 2. *Negative: Posse tamen, et debere recitare Officium S. Genesii, attenta consuetudine sub duplici majori tantum.*

Ad 3. *Negative, et provisum in secundo.*

Ad alia duo Dubia secundaria = *Affirmative, servatis servandis quoad ritum*, scilicet *sub ritu dup. maj. tantum, excepto praecepto obtinendae absolutionis* = *Die* 27. *Septembris* 1828.

Facta autem per me infrascriptum Sacr. Rit. Congregationis Secretarium de praemissis SSño Domino Nostro Leoni XII. Pont. Max. relatione, Sanctitas Sua in omnibus Sacrae Congregationis responsum approbavit, et confirmavit. *Die* 1. *Octobris* 1828.

4494. AQUIPENDIEN.

Cathedralis Aquipendiensis, ubi nulla est Praebendarum distinctio, quum omnes Canonicatus Presbyterales existant, Hermes Garzonotti Presbyteratu adhuc non insignitus, praevia Apostolica Dispensatione Canonicatum est assequutus. Ad Sacerdotalem Ordinem dein promotus certiorem reddidit Canonicum Aloysium Chierici nondum Sacerdotio inauguratum, sed in Canonicatus possessione anteriorem, se ex Sacerdotii receptione illi praecedere debere tam in Choro, caeterisque functionibus, quam in actis Capitularibus. Etsi aegro animo, monitus tamen cessit; sed Presbyteratum, quum obsequutus fuisset, iterum praecedentiam expostulavit, quam ex Sacerdotii defectu amiserat. Sed cum res ad pacem non componeretur, Rñi Episcopi judicio commissa fuit, atque ante causae cognitionem Canonicus Garzonotti Sac. adivit Congregationem Concilii. Interim Decretum Episcopi Aquipendien. Canonico Chierici praecedentiam tribuit. Dum S. C. Supplici Garzonotti Libello rescripsit = *Utatur jure suo coram Episcopo ad formam Decretorum S.C. Rituum, praesertim in Monopolitana diei* 17. *Novembris* 1674, *et S. C. Concilii praesertim in Albanen. Diei* 17. *Junii* 1826. Quum autem a suo Decreto Rñus Aquipendiensis Antistes non recesserit, quinimmo oblato Congregationis recensitae Oraculo mandaverit = *Salvis hinc inde juribus, supersederi* = ad quaestionem definiendam supplex fuit SSño D. N. Leoni XII. P. M. Canonicus Chierici, ac S. S. sub die 14. Martii 1827. mandavit *proponi in Ordinario S.R.C. Conventu, audito prius Rño Episcopo, qui accersitis omnibus congruum constituere debuerat terminum ad comparendum, et deducendum jura sua in ipsa Sacra Congregatione*. Longiorem vero moram a Canonico Chierici animadvertens Canonicus Garzonotti interponi, etsi ad juris tramites ab Episcopo monito, qui suam sententiam in scriptis aperuit, S. R. C. memoriale cum summario exhibuit, ut super re decerneretur.

Sacra autem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum coacto sub die 22. Martii vertentis anni 1828., audita relatione Eñi, et Rñi D. Card.

Joannis Francisci Falzacappa Ponentis, visisque juribus deductis (a), respondendum censuit = *Affirmativè favore Canonici Garzonotti* = Lis certe com-

(a) Innumera sunt Decreta Sacrae hujus Congregationis, quibus declaratum fuit in Cathedralibus, et Collegiatis, in quibus Praebendae omnes sunt Presbyterales, et non distinctae, quoad Canonicos, aut alios Praebendatos quocumque nomine nuncupentur, praelationis rationem non ab anterioritate possessionis, sed ab Ordinis dignitate esse petendam; ita ut Presbyteri auteire debeant, etiamsi qui in Ordine sunt Diaconatus et Subdiaconatus antiquiorem habeant possessionem, et ita etiam dicendum quoad Diaconos relate ad Subdiaconos. Satis est consulere Indicem generalem verbo Canonici, qui habetur in fine Tomi V. hujus Collectionis, aliaque Decreta, quae subsequuntur in sequentibus voluminibus VI. et VII. praecipue vero in *Terracinen. sub num.* 4462., et in *subjecta adnotatione*, qua demonstratum est, regulam sumendam esse a Decreto in una *Urbis S.Mariae ad Martyres* sub die 29. Martii 1659. confirmato in altero Ordinario Conventu habito coram Summo Pontifice, qui nedum adprobavit Decretum, verum etiam addidit esse omnino servandum, non obstante contraria consuetudine, quam abusum impraescriptibilem declaravit (vide num. 1834. et 1854.)

Non alia fuit sententia Sac. Congregationis Concilii in similibus. Quin tamen antiquiora quaeramus, recentissima est resolutio in Causa *Albanen. Praecedentiae*, ut ex folio R. P.D. Secretarii, quod hic per extensum subijcere juvat.

ALBANEN PRAECEDENTIAE

,, Sacerdos Benedictus Benignetti ,, *anno* 1819. in Collegiata Ecclesia ,, S. Barnabae Apostoli Terrae Mareni, ubi nulla adest Praebendarum distinctio, canonicatum est assecutus, atque ex Eñi Episcopi jussu super Clericum Josephum Torquati Canonicum possessione antiquiorem in Choro et in aliis Capitularibus actis praecedentiam obtinuit. Mandatis obtemperavit Clericus Torquati, oretenus tamen denuntiavit, se, cum primum ad Presbyteratus Ordinem foret promotus, in pristinum velle statum restitui. Sacerdos nuper factus praecedentiam juxta suae possessionis antiquitatem expostulavit, sed repulsam passus, ad hunc Sacrum Ordinem sibi confugiendum esse duxit.

,, Rogatus Eñus Episcopus, ut auditis interesse habentibus, dignaretur Votum suum pandere, exemplar transmisit Capitularium Comitiorum, quo Canonici, licet fateantur *che nelle Costituzioni Capitolari non si trova veruna disposizione, che faccia a questo proposito*, nihilominus nonnulli ex Canonicis fidem perhibent, *che per antichissima consuetudine di detta Collegiata i Canonici, che prendono prima possesso, benche Chierici, godono la precedenza degli altri Canonici, che prendono possesso dopo di loro, benchè Sacerdoti, e soltanto i Chierici nelle Processioni per un certo rispetto danno la man destra ai Sacerdoti, ma dopo che ancor quelli son Sacerdoti, godono la man destra, come loro compete per anzianità di possesso*, et ad robur eorum depositioni adjicien-

ponenda foret, nisi Canonicus Chierici appellationem intermisisset. Denuo itaque proposita causa sub infrascripta die, Emi ac Rmi Patres sacris riti-

„ dum quatuor innuunt exempla, quae „ obtigerunt, postquam ipsi inter Ca- „ nonicos fuerunt cooptati.

„ Dein Emus Episcopus sententiam „ suam aperiens, inquit, In Capitulo „ Mareni Praebendas non esse distin- „ ctas ordine, atque idcirco prae- „ cedentiam deberi ei, qui ordine est „ dignior, quamvis alter Canonicatu „ sit antiquior. Addam etiam ipsis „ Canonicis Clericis, postquam Sa- „ cerdotes facti sint redintegrationem, „ seu praecedentiam non competere „ adversus Canonicos Sacerdotes re- „ ceptione posteriores, cum jus semel „ adeptum ex Sacerdotio non amitta- „ tur, idque non obstante immemo- „ rabili in contrarium consuetudine, „ quam abusum declaravit S.R. Con- „ gregatio.

„ In Ecclesiis, ubi nulla adest Prae- „ bendarum distinctio in Sacerdotales, „ Diaconales, et Subdiaconales, Canoni- „ cos Presbyteros, quamvis possessione „ juniores, praeferendos esse Cano- „ nicis Ordine minoribus, licet re- „ ceptione antiquioribus, post textum „ *in cap. Statuimus* 15. *de major.* „ *et obed.*, docet *S. Rituum Con-* „ *greg. in Cabalicen.* 3. *Augusti* „ 1617., *et in Nullius Baren.* 22. „ *Januarii* 1678. Quin imo hierar- „ chicus hic ordo ita adamussim est „ servandus, ut contraria invehi ne- „ queat consuetudo, *quam abusum im-* „ *perscriptibilem declaravit* Decre- „ tum Sac. Rituum Congregationis *in* „ *una Urbis S. Mariae ad Martyres* „ ab Alexandro VII. *die* 27. *Septem-* „ *bris* 1659. per viam legis universa- „ lis confirmatum. *Scarfant. in a-* „ *nimad. ad Ceccop. Lucub. can.* „ *lib.* 1. *tit.* 11. *num.* 15.

„ Verum hanc juris sanctionem „ haud in praesens impugnare vide- „ tur Canonicus Torquati; siquidem „ hoc unum ipse contendit, quod „ utpote ad Sacerdotium jam promo- „ tus in illum sit restituendus prae- „ cedentiae locum, quem prius ces- „ serat Canonico Presbytero posses- „ sione posteriori. Inter Canonicos „ enim dignitate pares quoad praee- „ minentias ordo receptionis tantum- „ modo spectandus est. *Barbos. de* „ *Canon. cap.* 18. *num.* 12., *S. haec* „ *Congreg. in Albanen. Praeceden-* „ *tiae* 14. *Decemb.* 1816. *et in Sur-* „ *rentina Praeeminentiarum* 20. „ *Dec.* 1823. §. *compertum*, adeo „ ut potior in possessione, potior e- „ tiam in loco habendus sit. Pignatt. „ *tom.* 3. *consul.* 55. *num.* 12. *Rota in* „ *Firmana Praecadentiae* 20. *Janua-* „ *rii currentis Anni* §. *Nec aliud co-* „ *ram R. P. D. Marco*. Reque ve- „ ra Canonicum receptione antiquio- „ rem, postquam fuerit Sacerdotio in- „ signitus, reintegrandum esse ad lo- „ cum praecedentiae supra Canonicos „ Sacerdotes medio tempore receptos, „ respondit. *S. Rot. Tribunal. in Hil-* „ *desimen. Praecedentiae* 12. *Junii* „ 1671. *coram Emerix*.

„ Idque in themate potissimè est „ retinendum, tum quia accedit Col- „ legiatae consuetudo in praeceden- „ tiae quaestionibus plurimi facienda. „ Rota in *citat. decis.* 66. *num.* 5. *co-* „ *ram Emerix*. Sac. Congregatio in „ *Surrentina Praeminentiarum* 20. „ *Decemb.* 1823. §. *Juris*, tum quia Ca- „ pitulares Constitutiones hujusmodi „ redintegrationem praecipiunt: Ca-

bus tuendis praepositi ad Vaticanum iterum in Ordinariis Comitiis coadunati, ad relationem ejusdem Emi, et Rmi D. Card. Ponentis Caussa discussa, et examinata, rescribendum censuerunt = *In decisis et amplius*. Atque ita decreverunt, ac servari mandarunt. Die 16. Decembris 1828.

,, nonicus enim, qui est a grammatophylacio Collegiatae, affirmat in Archivio asservari librum Constitutionum manuscriptum, in quo inter caetera legitur: *Nè possa* (Canonicus Clericus) *precedere alli Canonici Sacerdoti benchè posteriori nel possesso, sinochè non averà ottenuto il Sacerdozio, nel qual caso abbia il luogo, che gli compete conforme l'anteriorità del suo possesso*.

,, Et quamvis in libro, quem in linguam latinam deinde versum Apostolica Sedes confirmavit *citatam particulam*, pergit idem Canonicus, *reperire non liceat*, hoc ideo accidit, quia Abbas et Canonici, quorum erat Constitutiones edere, judicarunt superfluum illud jubere, quod constanti consuetudine jamdiu fuerat receptum.

,, Sed Canonico Torquati adversum tenet censura *cap. Statuimus de maj. et obed.*, quo cautum est, ut Presbyteri primum locum, Diaconi secundum, Subdiaconi tertium habeant, etiamsi posterius admittantur. De loco autem, quem Canonici Presbyteri possessione juniores sibi quaesiverunt nunquam decidere, licet postea Canonici Clerici receptione antiquiores Sacerdotes efficiantur, tradit *Scarfant. loc. cit. num.* 17., *Monacell. tom.* 3. *form.* 7. *num.* 5. et decrevit Sac. Rituum Congregatio *in Tarfen.* 15. *Septembris* 1668. *in Sutrina* 30. *Julii* 1689. *et in alia Sutrina* 27. *Augusti* 1707.

,, Neque hanc juris dispositionem revocavit unquam asserta Collegiatae S. Barnabae consuetudo; siquidem exempla a quibusdam Canonicis prolata, solummodo evincerent Canonicos possessione antiquiores, licet Clericos praecedentiam obtinuisse super Canonicos Presbyteros receptione juniores, non autem Canonicos Clericos Sacerdotio insignitos amissum recuperasse stallum; ac propterea eadem consuetudo nihili esset facienda, quum a diversis non fiat illatio, *leg. Papinianus ff. de minor.*, *Rota coram Emerix decis.* 368. *num.* 5. Praeterea etiamsi explorata esset praetensa consuetudo, eam tamen veluti abusum, et corruptelam spernendam esse tradit *Scarfant. loc. cit. num.* 17. et decrevit Sac. Rit. Congregatio *in Monopolitana* 17. *Novembris* 1674. declaravit, quod *Canonici Clerici, ubi Praebendae non sunt distinctae in Presbyterales, Diaconales, et Subdiaconales, quamvis receptione antiquiores, non sunt praeferendi Canonicis Presbyteris, etiam postquam Canonici Clerici fuerint effecti Sacerdotes*; et *tunc nec ipsis competere reintegrationem, seu praecedentiam adversus Canonicos Sacerdotes, posteriores receptione, cum jus semel adeptum ex Sacerdotio nunquam amittatur, non obstante immemorabili in contrarium consuetudine, quam abusum impraescriptibilem declaravit*.

,, Ad Constitutiones Capitulares quod attinet animadvertit Emus

## 1193. JANUEN.

In S. Catharina Jannensi plane cognitum fuit quam miris rationibus Divina Clementia, errantes ut ad ovile reducat, et quam copiosius gratiae suae oleum effundat, siquando contulit amaritiem. Quamvis enim ad Claustra vocasset, si tamen quemadmodum Abraham obedientiam voluit non sacrificium, atque a Sanctimonialibus rejectam pudore, tristitiaque suffusam domum remisit. Adduxit deinde ad nuptias, ubi tribulationes pressurasque paraverat, et alienato Mariti animo dure admodum tractari coepit, quo factum est, ut ad levandum moerentis animi fastidium, aliquid de pristina vitae consuetudine remittere, et mundanam sequi rationem instituerit, sed quum a terrenis rebus animi potius augeretur moeror, et tristitia, quam levaretur angustia, ita supra modum gravata est, ut toederet etiam vivere, et in se ipsa responsum mortis haberet. Ast in se reversa ad Confessarii pedes sese prostravit dum illius oculis divinae lucis lumen subito affulsit, et doloris simul, atque amoris vulnere percussa parum abfuit quin prolaberetur in Terram. Hanc subitam, perfectamque Conversionem, quam gratissimam sibi fore coelesti charismate Christus significavit, cupiens Clerus Jannensis ad caeterorum exemplum tam in Civitate, quam in Dioecesi peculiari festo recolere, S.R.C. supplex fuit, ut Officium secundò ejusdem S. Catharinae indulgere dignaretur, quod profecto novum in Sacra Liturgia non fuisset (a)

,, Episcopus, nihil hac de re in illis ,, statui, declararunt ipsi Canonici in ,, Comitiis diei 13. Junii 1825., dum ,, uno ore fassi sunt: *nelle costituzioni capitolari non si trova veruna disposizione, che faccia a questo proposito*: at nudius tertius ,, folium ad me misit Vicarius Generalis, ex quo Canonicus Archivista probare studet controversiam ,, hanc in Constitutionibus capitularibus definitam fuisse. Illud autem ,, nullo in pretio habendum, ac Capitularium Constitutionum partem ,, non efformare videtur vel ex eo, ,, quod istae latino idiomate conditae ,, sint, italico sermone folium sit exaratum, atque ab ipsis omnino distinctum, ac separatum sit, nullaque anctoritate roboratum, quae ,, ei firmitatem tribuat. Quod et ex ,, eo evidentius apparet, quod quum ,, Constitutiones Capitulares conditae ,, per Capitulum fuissent italico sermone, atque iisdem comprehensa ,, esset particula illa postmodum reddita (verbum pro verbo) in latinum ,, idioma, Ordinarii auctoritate penitus ea reticita fuit; quod idem est ,, ac si cubitalibus litteris fuisset rejecta.

,, Itaque Emi Patres dignentur dirimere dubium, an, et cui sit danda ,, praecedentia in casu &c?

Et Sac. Congregatio in altero Conventu coacto die 22. Julii ejusdem Anni, rejecta instantia Canonici Torquati, et posthabitis rationibus pro eo adductis, praefato dubio respondit.

*AFFIRMATIVE FAVORE CANONICI BENIGNETTI.*

(a) Quamquam hujusmodi petitio, dum primum ad Sac. Rit. Congregationem delata fuit, inanibus rationibus destituta visa fuerit, pluraque argumenta concurrere, quae eamdem

Et Emi Patres sacris ritibus tuendis praepositi ad Vaticanum sub in-rejiciendam esse evincerent, ac illud praesertim, ne novum daretur exemplum ad istiusmodi postulata, nihilominus, ut res maturius expenderetur, priusquam ad Patres Sac. Rit. tuendis praepositos instantia proponeretur, duo deputati fuerunt Consultores Theologi, qui pro veritate suum sensum aperirent. Idcirco non ingratum fore arbitratus sum, si hic ab iisdem relata legentium oculis subjicerentur.

VOTUM I.

*R. P. Michaelis Dominici Zecchinelli e Societate Jesu SS. RR. Consultoris.*

1. Se, come sta esposto nel *Pro-Memoria*, è legalmente dimostrata la miracolosa Conversione della detta Santa di cui si chiede l'Officio, *secundo*; e se v' ha esempio di simili concessioni fatte dalla S. Congregazione, come sembrano voler assicurare i promotori di questa Causa, nel loro Pro-Memoria, pare che non sia disconvenevol cosa il proporla alla Congregazione de' S. R. affinchè si dia una risposta, la quale potrebbe servir di norma a chi volesse *in posterum* azzardar simili petizioni.

2. Sia lecito tuttavia di riflettere, che per quanto si voglia supporre miracolosa la convérsione di detta Santa, non sarà mai paragonabile, nè quanto alla difficoltà, e grandezza del cangiamento, nè quanto alla importanza e publica utilità degli effetti, alla conversione di S. Agostino. Sembrerebbe pertanto non potersi ammettere tal petizione senza dar, quasi direi, un tacito diritto ad altre Chiese, e specialmente del Sacro Ordine degli Agostiniani, ad insinuar simili petizioni.

3. Più. La Conversione per eccellenza, di cui faccia menzione la Santa Chiesa, è quella di S. Paolo, unica e singolare, siccome dopo la Natività di Gesù Cristo, e di Maria Vergine, l'unica e singolare natività immacolata e santa, di cui faccia menzione la Santa Chiesa, si è quella di S. Gio. Battista, sebbene del medesimo celebri ancor la decollazione.

4. Or concedendo si fatta celebrità di conversioni d' altri Santi, non so se si venisse indirettamente a togliere qualche parte di pregio togliendole almeno la singolarità, a quella di S. Paolo.

5. Finalmente molti sono i Santi, che dovettero l' origine della lor santità a qualche colpo straordinario della grazia, che li prevenne; onde poi si famose divennero le lor conversioni. Tali sono per esempio quelle di S. Maria Egiziaca, di S. Pelagia, di S. Margherita da Cortona, di S. Gio. Gualberto, e del medesimo N. S. P. Ignazio, e di tanti altri, i quali niente men forse della lodata Santa, potrebbero perciò vantare il diritto d'un officio *secundo*.

6. Non è da trascurare altresì una osservazione, ed è, che ammessa tal petizione potrebbero altre Chiese agevolmente per illazione di casi simili, stimarsi in diritto d'insinuar la domanda di far l' Officio *secundo* di qualche Santa, che abbia ricevute le Stigmate, sull' esempio dell' Officio che si celebra per le Stigmate di S. Francesco.

7. Nondimeno, siccome queste, ed altre ragioni che recar si possono, se concorron forse a render difficile l'impetrazione, non fan comparire perciò

frascripta die in Ordinariis Comitiis congregati, exquisita prius sententia

disconveniente la petizione, specialmente perchè v' ha altri esempj che potrebber prodursi, v. g. di Santa Rosalia, dell'Invenzione del Corpo di S. Stefano, di S. Giovanni *ante portam Latinam*; così sarei di parere che non disconvenisse farne la proposizione, se pur non v' abbia qualche decreto della S. Congreg. de' Riti, a me non cognito, che decisa già abbia in qualche caso simile tal questione. Intanto assoggettando questo mio debol parere alla censura di chi più sa, ed alla saviezza di quelli, cui spetta un tale giudizio per dignità, uffizio, autorità, mi dico umilmente.

*P. Michele da Zecchinelli C. de' S. R.*

VOTUM II.

*R. P. Placidi Mariae Brocchetti ex Ordine Praedicatorum SS. RR. Consultoris.*

1. Cum Sacrorum Rituum Congregationi supplices preces exhibitae fuissent pro Festo secundo in Sanctae Catharinae Januensis honorem obtinendo, et potestate recitandi Officii cum lectionibus propriis secundi nocturni desumendis ex Bulla Canonizationis ejusdem Sanctae, et Missae celebrandae; Sacrae Congregationis amplissimus Secretarius R. D. Joseph Gaspar Fatati jussit mihi subscripto, ut meam proferam sententiam; num conveniat instantiam proponere Sacrae Congregationi, ad effectum consequendi petitam concessionem? In executionem venerati praecepti, quid sentiam majori, qua possum, brevitate, exponam.

2. Durandus Episcopus Meldensis in suo opere vere eximio, cui titulus *Rationale Officiorum lib. I.* cap. 3. haec habet „ Festum Beatae Agnetis „ caret octava *institutionis*, habet „ tamen octavam alterius negotii, i- „ dest, *significationis*. Quod ergo „ dicitur in Calendario Agnetis *se-* „ *cundo*, non dicitur propter hoc, „ quod sit festum Octavarium ejus- „ dem, nec in Ecclesia pronuncia- „ tur, nec in Calendario scribitur „ Octava; sed est alia Solemnitas „ de eadem repetita propter *Mira-* „ *culum* quoddam, quod in octa- „ vo die post ejus obitum contigit in „ ejus tumulum, parentibus suis plo- „ rantibus. Intelligitur ergo Agnetis „ *secundo*, scilicet, *festo*: unde me- „ lius diceretur *secundo Agnetis*. =

3. Causa igitur institutionis hujus *festi secundi*, idest, repetiti, fuit quoddam miraculum divina virtute patratum glorificandi gratia Virginem et Martirem Agnetem; de qua re permagnifice scribit D. Ambrosius Archiepiscopus Mediolanensium.

4. Profecto pius ac devotus Ecclesiae, in qua colitur corpus Sanctae Catharinae ab urbe Genua, Clerus, ea ratione videtur motus ad poscendam ab Sacra Congregatione Rituum iteratam solemnitatem in honorem ejusdem Sanctae, quia tum Clerus ipse, cum totus populus Genuensis pie credit, Catharinam Fliscam Adurnam die vigesima secunda Mensis Martii ad Deum per miraculum conversam fuisse. Quam rem, ut probent institores ita in precibus scribunt. „ Questo „ giorno 22. Marzo, primo della gran „ Santità della nostra Beata Catari- „ na distinto con segnalati favori dal „ Cielo, rispetto a detta Santa, e „ rispetto a suoi divoti, è notato nel „ Martirologio Romano alla memoria

unius , et alterius ex RR. PP. Consultoribus Theologis , auditoque R.-P. D.

,, di detta Santa Concittadina . Era ,, il giorno della sua festa prima della sua solenne Canonizzazioue , è ,, stato sempre poi mai in venerazione presso i devoti della nostra Serafina per l' annuale rimembranza ,, della sua prodigiosissima conversione ( di tiepida *cioè in fervorosa* ).

5. Conversio quidem ad Deum, et impii justificatio pro eodem accipiuntur . Justificatio autem impii , Duce S. Thoma Aquinate 1.p.q. 105. art.7. ad primum , licet sit opus , quod a Deo solo fiat , quia nota non est fieri ab alia causa ; tamen proprie loquendo non est opus miraculosum . Tunc vero miraculum nuncupatur , cum opus evenit praeter ordinem naturae consuetum. Sacra certe Scriptura Gen. 1. docet nos , creavisse Deum hominem ad imaginem suam . Eo enim ipso , quod anima nostra est ad imaginem Dei , fit consequens capax fore Dei ; igitur capacem quoque justificationis . Quam ob rem , cum opus miraculosum sit supra potentiam naturalem , uti demonstrat perspicue Angelicus loco supra citato : dum Sacrae Litterae ostendant opus justificationis, non esse supra capacitatem animae , una simul intelligitur justificationem impii non esse miraculosam . Quam scripturae Sacrae interpretationem firmat strenue Augustinus *lib. de praedest. Sanctorum* , cum ait: posse ,, habere fidem , sicuti et posse habere charitatem , naturae est hominum : habere autem fidem , quemadmodum *et habere* charitatem, ,, gratiae est fidelium . ,, Secundum Augustinum posse habere fidem , scilicet esse capacem ad recipiendam fidem infusam a Deo , est naturae hominum , nimirum , conveuit hominibus secundum naturam , inquantum scilicet , naturaliter habent intellectum , in quo tamquam in subjecto recipitur fides ; et voluntatem , quae imperat intellectui pro recipienda fide: habere autem fidem , et charitatem, gratiae est fidelium , est dicere : Deus est , qui per suam gratiam elargitur hominibus fidem , et charitatem. Itaque , cum justificatio non sit nata ab alia causa fieri , nisi a solo Deo ; consequitur necessario minime esse eam miraculum .

6. Advertit nihilominus idem S. Thomas 1. 2. q. 113. art. 10. ,, In ,, operibus miraculosis inveniri aliquid ,, praeter solitum consuetum ordinem ,, causandi effectum: sicut aliquis infirmus sanitatem perfectam assequitur subito praeter solitum cursum sanationis , quae fit a natura , ,, vel arte : et quantum ad hoc justificatio impii quandoque est miraculosa , quandoque non . Est enim iste communis , et consuetus ,, cursus justificationis , ut Deo movente interius animam , homo convertatur ad Deum ; primo quidem ,, conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam deveniat : quia ,, charitas inchoata meretur augeri ; ,, ut aucta mereatur perfici , sicuti ,, *Aug. dicit Trac. in Ep. Johan.* ,, Quandoque vero tam vehementer ,, Deus animam movet , ut statim ,, quamdam perfectionem justitiae assequatur , sicuti fuit in conversione Pauli , adhibita etiam miraculosa prostratione : et ideo Conversio Pauli tamquam miraculosa in ,, Ecclesia commemoratur celebriter. ,, Hactenus Angelicus ,, .

infrascripti ejusdem S.C. Secretarii rescribendum censuerunt = Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, nimirum.

*Ad* 1. *Serventur Decreta in una Parisien. diei* 10. *Junii* 1656., *in una Varsavien. die* 7. *Maii* 1746. *dub. XIII., et in Aquen. die* 4. *Septembris* 1745. *ad dub. VIII.*

*Ad* 2. *Provisum in primo.*

*Ad* 3. *Serventur Decreta, ac praesertim generale novissimum diei* 7. *Septembris* 1816., *in quo comprehenditur etiam casus expositus.*

*Ad* 4. *Negative, et serventur Rubricae.*

*Ad* 5. *Tolerandam consuetudinem, si adsit.*

*Ad* 6. *Negative, et strictim servetur enunciatum Decretum in Varsavien.*

*Ad* 7. *Affirmative ad primam partem, si agatur de Officio per testamentariam dispositionem in die obitus assignato; ac recitari posse Officium etiam in die tertio, septimo, et trigesimo, plene absoluto Officio diei. Negative quoad secundam partem.*

Et ita declararunt, ac servari mandarunt. *Die* 16. *Decembris* 1828.

4497. MEDIOLANEN.

Permulta sunt Missarum onera, quae incumbunt Ecclesiae Coenobii S. Mariae Ara Coeli nuncupatae, Ordinis Fratrum S. Joannis de Deo, Civitatis Mediolanen., quae satisfieri necesse est per Saeculares Sacerdotes, quoniam penes ipsos Fratres solus reperitur Aedituus, quorum multi Ritum sequuntur Ambrosianum, proptereaque cum ejusdem Ecclesiae Calendario convenire nequeunt. Verum quum satis, superque constent, quae in una Varsavien. diei 7. Maii 1746. ab hac S. R. C. sancita fuere; hinc R. P. Hieronymus Cagliani recensiti Ordinis Sacerdos Professus eidem S. C. sequens proposuit dubium enodandum, nimirum.

An praedicti Sacerdotes Saeculares, sive Ritum Ambrosianum, sive Romanum sequantur, supradictum Decretum in Varsavien. servare teneantur; et quatenus affirmative; an Missam de communi legere debeant si in proprio ritu officium de eodem Sancto non reciteint, vel potius valeant Missam celebrare votivam?

Et Emi Patres Sacris ritibus tuendis praepositi, requisita prius in scriptis sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem mei infrascripti ejusdem S. C. Secretarii respondendum censuerunt = *In casu, a Sacerdotibus Ritus Romani servetur Decretum in Varsavien. diei* 7. *Maii* 1746., *nec licere sese conformare Ecclesiae, si in ea celebretur Missa votiva, et ipsi celebraverint Officium sub ritu duplici: a Sacerdotibus vero Ritus Ambrosiani servandus ipsorum Ritus.*

Et ita declararunt *die* 16. *Decembris* 1828.

4498. ANDRIEN.

Beatissimo Padre.

Il Capitolo della Cattedrale della Città di Andria nel Regno delle Due Sicilie unitamente al Clero, e Popolo umilmente espongono alla Santità Vostra, che da tempo immemorabile si è quivi costumato nel Venerdí

Santo dopo le Funzioni della mattina riporsi in apposita Urna decentemente ornata, ed a ciò destinata la sagra Particola, che processionalmente si porta per la Città sostenuta da quattro Sacerdoti scalzi. Grande si è stata sempre la commozione, e divozione insieme in tal circostanza, ed è perciò che con sommo rammarico udirono, che Monsignor Vescovo inibiva tal Processione, e divota Ceremonia, finchè non se ne fosse riportata l'approvazione dalla Santa Sede. Premurosi però ricorrono alla Santità Vostra, perchè a riguardo della lunga consuetudine, e sull'esempio ancora di quanto pratticasi nelle Diocesi di Trani, e Barletta, ed in altri Luoghi, voglia benignamente condiscendere alla loro petizione tendente solo a ricordarsi con effetto quanto in quel giorno il Salvatore del Mondo operò, sostenne, e compì per la Redenzione del Genere Umano. Che &c.

In Congregatione ordinaria ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata Emi, et Rmi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi rescribendum censuerunt = *Scribatur Episcopo laudando Decretum ab ipso latum de Processionis abolitione, idemque in posterum omnino servetur* = *Die* 16. *Decembris* 1828. (1)

(1) Rescriptum S. R. Congregationis, quo laudandus decernitur Episcopus, qui Decretum tulit pro abolitione hujusmodi Processionis, quo etiam praecipitur, ut in posterum servetur, novum non est. Haec S. R. Congregationis responsio ab alia non discrepat responsione, sed illi prorsus conformis est, qua in una Mantuana Episcopi Litteris satisfecit, qui postquam prohibuit undecim suae Dioecesis Oppidis deferri SSmum Sacramentum processionaliter Feriis V. et VI. majoris hebdomadae, S. ipsam Congregationem de hac re consuluit, a qua Episcopus laudatus fuit, et ejus pariter Decretum fuit confirmatum. Laudandi sane sunt Episcopi, qui irreptos paullatim abusus eliminare student, vel ritus Ecclesiae rite servari praecipiunt, vel novos induci, aut veteres, et adprobatos ab Ecclesia ritus quodammodo corrumpi vel immutari sentiunt, laudandi, inquam sunt Episcopi, ad quos ex Litteris Apostolicis Summorum Pontificum, quae Coeremoniali Episcoporum, Pontificali Romano vel praefiguntur, vel in fine referuntur, spectat ex officio advigilare, ut omnia rite serventur, quae ab Ecclesia in ritibus, et coeremoniis sunt constituta, et in dubiis, quae passim occurrunt, S. R. Congregationem adire, eamque consulere, et ab illa Sententiam et Decreta perquirere, ne ritus ipsi immutentur, corrumpantur, ut Divini Cultus majestas per inscitiam, negligentiam, vel novitatis amorem vilescant. Laudandus quidem, iterum dicam, jure est Episcopus, qui hanc processionem cum SSmo Sacramento prohibuit, quia hac die passionis et moestitiae non convenit: adversatur enim ritui, coeremoniis, ac mysteriis, quae in Ecclesia universa hoc tempore recoluntur, ac celebrantur: nam post processionem SSmi Sacramenti ad Sepulchum, strictiori quo potest fieri modo et sensu Passionis mysteria incipiunt, quemadmodum evincunt Altarium denudationis vetustissimus ri-

4499. MEXICANA

Emi, e Rmi Signori.

Il Sacerdote Andrea Fernandez de la Madrid Canonico Decano della Metropolitana di Messico Oratore umilissimo dell' Emze Vostre Rme con pieno ossequio espone qualmente da tempo immemorabile si è sempre pratticato in quella Chiesa Metropolitana, che il Sagrestano, il quale

tus ab Ordinibus Romanis praescriptus, ut qui Durandus, Aluinus, Amalarius, mystica hujus ritus et varias significationes assignantes sentiunt, vel Christum vespertinis horis suis discipulis nudatum significat (et ideo immediate post Vesperas denudantur Altaria) vel ut opinatur Rupertus, et cum eodem Durandus, Christum in crucifixione suis expoliatum vestimentis designat, quae inter Milites divisa fuerunt, ut non obscure indicat Antiphona, quae in Altarium denudatione dicitur: *Diviserunt sibi etc.*, vel item Christum Passionis suae tempore amisisse speciem et decorem.

Eamdem repugnantiam ostendit vetustissima Ecclesiae disciplina, quae diem prorsus aliturgicum sequentem Feriam sextam agnovit, qua cum memoria recolatur cruenti in Cruce Jesu Christi sacrificium, cessat ab incruento Missae Sacrificio celebrando. Ad quid, quaeso, expoliantur Altaria, Templa suis ornamentis carent, silent Instrumenta omnia Ecclesiastica, et pro Campanis Crotalum ad convocandum ad Ecclesias populum adhibetur? Nisi ad indicandum Ecclesiae luctum ob passionem et mortem Christi Domini Sponsi sui? Cur lampades, quae ante Altaria lucent, extinguuntur? Omnia profecto moestitiam et luctum sive in Templis, sive in Altaribus, sive in Ministris annunciant, ut Fideles per haec exterioris tristitiae signa Christi passionem recolant, mortem ejus meditentur, et cum lugente Ecclesia lugeant et ipsi Filii. Jam quid comune esse potest cum moerore et laetitia, cum lacrymis et gaudio, cum pompa et luctu? Quid demum cum Christi morte juxta Ecclesiae intentionem, et triumphali cum SSmi Sacramenti Processione his diebus, quibus ipsa incruenta Sacrificia cessari Ecclesia praescribit? Hujusmodi itaque Processio contra ipsius Ecclesiae mentem perageretur quia adversatur peculiaribus ritibus dierum, peculiaribus mysteriis, ad quae consideranda et celebranda Ecclesia signis etiam externis, filios suos excitat, invitat. Per hoc ipsum Processiones omnes, quae hac die prohibentur (si Ecclesiae spiritum, et mentem inspiciamus), vetitae etiam censeri debent sequenti die. Haud hic loquor de Processionibus quae ad Passionis, ac mortis Christi mysteria referuntur. Non est hic mei muneris de illis inquirere, cum de his neque Decretum agat. Vetitas, dixi, censeri debent Processiones sequenti etiam die. Et sane extat de hac re Decretum Congregationis Episcoporum: *Processio solemnis aliquo certo die facienda, si cadat in Feriam sextam Parasceve, eo Anno transferenda est in alium diem.* Ita decretum fuit 25. Februarii 1598. ut legi potest apud *Cavalerium Tom. 4. c. 2.* Transferenda est Processio juxta allatum Decretum. Igitur in Parasceve facienda non est, et ratio patet manifestissi-

nel Venerdì Santo estrae dall' Urna il SSmo Sagramento, ove trovasi depositato per consegnarlo al Diacono, e questi passarlo al Sacerdote celebrante, ha usato sempre di Stola bianca; ma nel presente Anno il Maestro delle Ceremonie appoggiato ad una Dottrina del P. Merati determinò, che il detto Sagrestano usasse di Stola negra per estrarre la

ma; siquidem huic diei non convenit solemnitas, et festivitas, et quidquid solemnitatem potest redolere, sed moestitia et luctus, haec sola conveniunt. Haec tamen aeque conveniunt toto Passionis, et mortis Christi triduo. Ex hoc sequitur Processiones laetitiae celebrandas non esse a Vesperis Feriae IV. majoris hebdomadae usque ad Sabbathum Sanctum inclusive, quorum dierum spatio, licet etiam in antecedentibus singulari modo Ecclesia ad luctum, moestitiamque componitur. Et quamvis videri posset in Sabbatho Sancto post meridiem, juxta hodiernam disciplinam, Paschali cantato Praeconio et incoepto Resurrectionis gaudio celebrari posse solemnes Processiones, nihilominus laudabile non esset illas peragere; quia etsi Ecclesia paschale praeconium annuntiat, etsi in Missa canat alleluja vocem exhibendo, quae cum jubilo Deum laudare, vi haebraicae vocis significet, ac proinde ad laetitiam invitet, tamen ostendit gaudium suum plenum adhuc non esse, et in ipsa Missa hanc vocem ipsam cum *Tractu*, vocabulo nempe maestitiae conjungit; ex quo liquet gaudium cum luctu Ecclesiam miscere; et si gaudium Paschale est, plenum tamen, completumque non est, nam Christi Resurrectio nondum plene, perfecteque est patefacta. Eadem ratione in Missa ad Evangelii cantum luminaria non deferuntur ad significandum Angelos annuntiare quidem nobis Christum resurrexisse; quemadmodum Evangelium, quod canitur, annuntiat, sed nondum Christum, qui resurrexit, manifeste apparuisse. Item quibusdam caret Missa partibus, ad indicandam hanc incompletam Ecclesiae laetitiam: caret Introitu, Graduali, Offertorio, Symbolo, Communione, vel quia ut putat *Durandus cap.* 85. *num.* 2. *et Belethus cap.* 111. sicut Introitus, ut alias de cujusque partis omissione rationes omittam, quae ab Auctoribus proferuntur, est caput Missae, et Christus nostrum est caput; ita omittitur ad significandum Christum Dominum nobis subtractum, et in sepulchro silentem, manere, et quamvis resurrexerit, nocte tamen Resurrectionis suae Discipulos ipsum surrexisse adhuc ignorare; vel quia, ut *Rupertus de divin. offic. lib.* 7. *cap.* 11. opinatur, cum tam Introitus, quam aliae partes quae omittuntur, considerari possint tamquam totidem ornamenta solemnis diei, detrahuntur diei ipsi licet jucundo, licet festivo ad indicandum moerorem, ac tristitiam, qua Ecclesia adhuc quodammodo afficitur. Et si nihilominus Ecclesia, ut innui, per Levitas suos solemniter Paschalia gaudia filiis suis annuntiat; si laetitiae vestes Ministris suis praescribit, si Altaria festivo ornantur apparatu; haec omnia, aliaque, quae afferri possent, si cum aliis omnibus conferantur ritibus, et coeremoniis super expositis, non comprobant plenam perfectamque ejus laetitiam, et per anticipationem fiunt. Nam hujus Sabba-

SSma Eucharistia dall' enunciata Urna . Supplica pertanto umilmente l' Eminenze Vostre Rme perchè vogliano benignamente degnarsi dargli sù di ciò una benigna dichiarazione :

Implora inoltre, che l' Eminenze Vostre si degnino dichiarargli, se il Diacono quando portasi al Tabernacolo ad esporre, o ad abbassare il SSmo Sagramento per la rinnovazione, o Processioni deve portare il Velo sopra le spalle, o lo può effettuare senza di quello con la Tonacella, giacchè nella sudetta Città di Messico alcune Chiese pratticano in un modo, ed altre in diversa maniera ; ma nella Metropolitana sempre uno dei Sagrestani è quello, che cala sopra l' Altare il Santissimo, e nel piano del medesimo lo porge al Diacono, il quale senza velo lo prende, e lo colloca sopra l' Altare . Che &c.

Sacrorum Rituum Congregatio, me infrascripto Secretario referente, respondit ad 1. *Excluso Cappellano*, *Calix extrahatur*, *et deponatur a Diacono juxta Rubricas*. (1)

thi dies nullum per sè de die officium haberet, et esset per se, inspecta aeque ac praecedens Feria VI. dies aliturgica, et totum officium antiquitus erat sequentis noctis ejusdem Sabbathi . Haec omnia quae sunt huc usque adnotata, si quis attente consideret, facili negotio sibi persuadere poterit, solemnitates omnes, quae cum imperfecta laetitia non conveniunt, quae cum gaudio et moerore simul componi nequeunt, prorsus excludi, ac proinde Processiones, de quibus sermo est in Decreto, locum memoratis diebus, nempe Feria V. et VI. majoris hebdomadae habere non posse, ac jure proinde Episcopum esse laudandum, qui illas prohibuit, et Decretum ab eo latum servandum in posterum esse, ut sapienter S. R. Congregatio sancivit .

(1) Cum agitur de Ritibus, ac Caeremoniis omnia sunt peragenda juxta Rubricas, et ab hac nunquam recedendum ; et si aliquando vel locus, vel Ministrorum defectus, vel alia quaecumque rationabilis caussa haud sinat stricte eam sequi, id minus quam fieri potest eveniat, et in iis, quae rei substantiam non attingunt, sed minima et pauca : Jam quid indicat Rubrica hujus diei, cum agit de extractione Calicis a Capsula ? A quo peragenda est actio, nisi a Diacono ? *Diaconus*, inquit Rubrica, *interim aperit Capsulam . . . tum Diaconus* ( nempe is, qui cum Celebrante processit ad locum Sacramenti non alius ab illa diversus ) *extrahens Calicem cum Sacramento de Capsula dat ad manus Sacerdotis etc.*

Diacono haec extrahendi Sacramentum a Capsula actio tribuitur non aliter, sive Sacristae, sive Sacerdoti cuicumque Stola induto . Adeo hoc verum est, ut ipsum Coeremoniale Episcoporum, si quam actionem Sacristae assignat, non aliam assignat, nisi Capsulae aperitionem . Et rursus ( legitur §. 31. cap. 25. lib. 2. ) *genuflexus super pulvino incensat triplici ductu Sanctisimum Sacramentum*, *Sacrista aperiente Capsulam* : extractionis vero actionem primo Diacono adsistenti assignat ; *Tunc primus Diaconus assistens accipit Sanctissimum Sacramentum de dicta Ca-*

Ad 2. *Si Tabernaculum est eodem in Altari Velo Humerali non est opus, si diverso in Altari extaret Tabernaculum, Velum Humerale est adhibendum. Die* 16. *Decembris* 1828.

4500. BAREN.

Honoris Insignia, et ea potissimum quae ad Divinum Cultum, Sacrae rei decorem, et Sacerdotum dignitatem promovendam amplificandamque maxime conferebant, a Summis Pontificibus larga manu nonnullis Ecclesiis attributa, propter innumeros, qui irrepserant, abusus sa: me: Pius VII. Constitutione, quae incipit = *Decet Romanos Pontifices* = ea omnia in universum certis limitibus ita cohibuit, ut singulis Canonicorum Capitulis, quae amplioribus privilegiis se aucta fuisse arbitrarentur, peculiaria sua jura in Sacrorum Rituum Congregatione deducendi potestatem adjecerit, ut quod a Canonicarum Sanctionum praescripto visum esset, opportune decerneretur. Eapropter et Barensis Metropolitana Ecclesia quae sibi fuerant diversis temporibus ab hac Sancta Apostolica Sede indulta, illico deposuit. Quum autem penes Populum mutatio isthaec admirationem, dissentionemque conciliaret, modernus Rmus Archiepiscopus dum ab Ecclesia Cathacensi ad Barensem Metropolitanam esset evectus ab sa: me: Leone XII. oretenus impetravit ut suae Cathedralis Canonici in usu omnium privilegiorum, sicuti ante memoratam Constitutionem, libere perseverarent. Illi itaque Canonici licite, plenissimoque jure Pontificalibus privilegiis hodie utuntur. Cupientes vero recensitae Constitutionis praescriptum non declinare, praefataequae novae concessionis authenticum in Archivio futuris temporibus, successoribusque Canonicis monumentum asservare, Sacrorum Rituum Congregationi supplices, enixasque porrexit preces tam idem Rmus Baren. Archiepiscopus, quam Metropolitanae Capitulum postulantes privilegiorum omnium legitimam confirmationem.

Sacra autem Congregatio ad Vaticanum in ordinario Coetu sub infrascripta die coadunata, omnibus mature perpensis, consideratisque allatis documentis, rescribendum censuit = *Pro gratia confirmationis*, *ex-*

*psula, illudque in manibus Episcopi adhuc genuflexi reverenter collocat*. Idem prorsus indicatur in Memoriali Rituum *Benedicti XIII. fel. rec. Tit. XVI.* §. 3. *num.* 18.: *Diaconus prope Altare, facta genuflexione unico genu, sine capitis inclinatione, extrahit de Capsula* Calicem Sanctissimi Sacramenti suo velo coopertum .... et stans tradit Calicem eidem ( Celebranti ). Satis haec sint, quae breviter sunt adnotata. In re enim tam clara diutius immorari supervacaneum prorsus esset. Nil mirum si S. Congregatio nihil de Stolae colore proposito dubio respondit, nam Rubricae inhaerens, inductum abusum reprobare tantum censuit excludendo Sacristam ab actione extrahendi Sanctissimum Sacramentum, et sic Rubricam accurate servari decrevit.

*cepta Mitra auro contexta , et ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo . Die 19. Decembris 1829.* (1)

(1) Mitra per se nihil est aliud quam capitis ornamentum , et ea Mulieres antiquitus , et apud Haebreos , et apud Paganos ornabantur , et erant mitrae Foeminis , , quod galei sunt Viris , et diversae erant Virginum , diversae Matronarum Mitrae : *Judith.* 10. 3. legitur : *discriminavit crinem capitis sui , et posuit mitram super caput suum* . Isaias inter muliebra ornamenta adnumerat *torquem* , *monilia* , *et mitram* , et de Magdalena scribit *Hieronymus cap.* 10.: *Non habuit crispantes mitras , nec stridentes calceolos* . Nunc Mitra est Episcoporum capitis ornamentum , ac inter sacra Pontificalia ornamenta adnumeratur , quae pariter suam habet particularem benedictionem , ut chyrothecae , annulus , Pastorale , et ab Episcopo consecrante peculiari adhibita verborum formula consecratis imponitur et peculiaris oratio pronunciatur , dum in Missis Pontificalibus Episcopus ea ornatur . Sicuti mitra varia sortita est nomina , et varia fuit pro diversis temporibus forma , sic diversa fuit , et adhuc est in Ecclesia earumdem qualitas , sive species . Ut de nomine dicam , appellata est *Apex* , *Sertum* , *Corona* , modo *Sacerdotalis* , modo *Gloriae* , *Galea* , *Pileum* , *Thiara* , *Infula* , *Cidaris* . Si de forma loquamur , diversa haec quoque fuit , alia Pontificum , alia Episcoporum , alia in cuspidem in superiori parte ad instar Coni terminabat , alia minus cuspidata et valde obtusas cuspides habebat , aliae bifides erant et breviores , sed temporis progressu adeo earum forma varia evasit , ut de his certi nihil possit affirmari. Si eruditorum scripta hac in re persequi vellemus , si picturas , si musiva opera , quae in antiquioribus tum nostrae hujus Urbis , tum in aliis Ecclesiis conspiciuntur , invisere , satis superque hoc evinceretur . Adeat , si quis optet eruditissimum Christianupul , qui in suo Opere plures profert veterum Mitrarum figuras , et duodecim enumerat , quarum una ab altera differt , et una tantum ex his nostrorum temporum Mitris assimilatur . Ex his autem pleraque non in lateribus , ut nostrae , sed in anteriori parte sunt apertae . Haec advertenda putavi , ut quisque agnoscat , quanta fuerit in Sacris ipsis ornamentis per varia saecula varietas .

Antiquissimum est hoc ornamentum , quidquid putent Panvinius , et Menardus , qui solo quorumdam Auctorum silentio innituntur . Adeat , si quis velit , Martenium , Mabillonium , Georgium , et si velit etiam Cardinalem Bona , qui licet conciliet sententias , aliquod saltem capitis ornamentum Episcopis assignat ab ipso Ecclesiae exordio . Antiquissimum sane est hoc Mitrae ornamentum , et si a veteri Lege illud desumptum dicamus , a veritate certe non discedemus . In hac enim Sacerdotes , et Levitae Mitra utebantur , et Deus ipse hoc praescripserat ornamentum . *Et impones eis Mitras* , legitur *Exodi cap.* 9. *Posuitque Mitras , ut jusserat Dominus* , legitur in Levitico ; et in Mitra Summi Haebreorum Pontificis Dei nomen scriptum inspiciebatur . In nova quidem lege , ipsa nascente Ecclesia , Mitra adhibebatur , et si audiantur Epiphanius , et Hieronymus , atque Baronius , Mitra erat ea , qua utebatur

Facta autem de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio VIII. Pontifici Maximo per me infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua

S. Jacobus Apostolus ut Episcopus Hierosolymitanus, et Mitra pariter erat ornamentum illud S. Joannis Apostoli et Evangelistae, de quo scribit Polycrates Episcopus Ephaesinus, et ut scribit Epiphanius, *auream laminam* in fronte eumdem Apostolum habuisse quam et Mitram fuisse clarissime asserit. Nostris hisce temporibus eadem est omnium Mitrarum forma, sed varia earum species, quae triplex est juxta Coeremoniale Episcoporum. Una, quae *pretiosa* dicitur, *quia gemmis, et lapidibus praetiosis, vel laminis aureis, vel argenteis contexta esse solet*, altera *auriphrygiata sine gemmis, et sine laminis aureis vel argenteis, sed vel aliquibus parvis margaritis composita, vel ex serico albo auro intermixto, vel ex tela aurea simplici sine laminis, et margaritis*. Ex hoc quisque videt in hac secunda Mitrae specie Coeremoniale non excludere aliquod ornamentum a materia serica auro intexta, qua conflata est, sed et solum laminas, et margaritas, eas nempe, quibus pretiosior ornata est, unde si quis hac utatur, ut descripta reperitur a Coeremoniali, non ideo posset reprehendi quasi praetiosa uteretur. *Tertia quae simplex vocatur sine auro ex simplici serico damasceno, vel alio, aut etiam linea ex tela alba confecta rubeis laciniis, seu frangiis et cistis pendentibus*.

Haec triplex est Mitra ex ipsa Coeremonialis Episcoporum descriptione et Statuto. Unum hic adnoto, quoad Mitram, quam ex serico damasceno confectam dicit, hanc nempe esse, sive ex consuetudine et praxi, sive ad distinctionem Dignitatis prae aliis propriam exclusive esse solummodo S. R. E. Cardinalium, qui dum simplicem gestant non ex *tela linea*, sed damascenam in capite gostant. Plura hic proferri possent de usu Mitrae. Mitrae usus non solum Episcoporum, sed et Presbyterorum et Diaconorum Cardinalium propria est ex concessione Summorum Romanorum Pontificum, et si monumenta persequemur, vel hujus generis investigemus memorias, ea a paucis annis post millesimum jam utebantur. Aliqua etiam de Mitris Summi Pontificis addi hic possent, sed ne longior aequo sim, satis sit innuere olim Mitram Summorum Pontificum a Mitris Episcoporum diversam fuisse. Haec noscere qui cupiat, adeat Mabillonium, Papebrochium, Cajetanum, Ciampinium, et Vaticanos Codices. Unaquaeque Mitra duo habet cornua, duasque in posteriori parte, quae super humeros fluctuantes pendent, lineas ad instar vittarum, quorum extremitates quoad primam; alteramque Mitrarum speciem aureis laciniis ornata est; tertia vero rubei coloris lacinios habet. Haec de Mitra ait Sicardus Cremonensis, eam breviter describens, *Mitra* sumitur a lege, *quae thiara, cydaris, infula, pileum appellatur. Eo bysso conficitur auro et gemmis ornatur, habens duo cornua, duasque lingulas posterius, et fimbrias dependentes inferius. Hac caput velatur et coronatur*. Huic consonat Innocentius III. lib. I. de mysteriis Missae cap. 44. qui simul et materiam et formam describit, et significationes mysticas tradit. *Mitra Pontificis*, scribit ipse, *scientiam utriusque Te-*

Sacrae Congregationis rescriptum adprobavit, et confirmavit in omnibus,, adeo ut in posterum Metropolitanae Ecclesiae Barensis Canonici licite uti

*stamenti significat: nam duo cornua duo sunt Testamenta, duae fimbriae, spiritus et littera: circulus aureus, qui anteriorem et posteriorem partem complectitur, indicat, quod omnis scriba doctus in Regno Coelorum de thesauro suo nova profert et vetera. Caveat ergo diligenter Episcopus, ne prius velit esse Magister, quam norit esse Discipulus, ne si coecus coecum duxerit, ambo in foveam cadant. Scriptum est enim in Propheta* ( Osaea ) *quia tu scientiam repulisti, ego te repellam, ne Sacerdotio fungaris mihi*. Hae diversae Mitrarum species non inutiliter non sine ratione ab Ecclesia statutae sunt, sed vel varias plus minusve dierum aut actionum solemnitates possunt indigitare, vel etiam temporis et Ecclesiae aut moestitiam aut luctum. Prima quae aliis praetiosior est et ornatior in solemnioribus diebus et actionibus adhibetur, et si in eadem primaria aut solemni actione, ut in Missa solemni, ea secundi quoque generis adhibetur Mitra, illa prima in aliquibus Missae partibus nihilominus adhibetur, et ea Episcopi aliquibus in actionibus ornantur: ut in lotionibus, in benedicendo populo etc. hinc colligi posset secundi generis Mitram, scilicet auriphrygiatam, hoc in casu, si ea utuntur licet minus praetiosa sit, ad commoditatem Episcoporum quia levior est, eam adhiberi, ne ipsi, cum hymni Angelici, aut Symboli cantus ( quibus praesertim temporibus ea adhibetur ) longe protrahitur, dum mitrati sedent, molestiam accipiant. Tertia demum, quae simplex est et linea, adhibetur in functionibus, quae moestitiam, luctumque redolent, ut in Exorcismis, in Processionibus poenitentiae, ferialibus Quadragesimae diebus, aliisque vel dum Episcopi vel Cardinalibus ( qui propria suae dignitatis, ut innui, utuntur ) praesente Summo Pontifice Mitris ornantur. De vario hoc Mitrarum diversarum usu, et variis sive temporibus, sive diversis ritibus accomodato, audiatur ipse *Durandus in suo Ration. Div. off. lib.* 3. *cap.* 13. *n.*6., quibus comprobatur pro diversis temporibus diversi generis Mitras adhiberi. *Sane* scribit, *Mitra aurifrisata utendum est a Pascha usque ad Adventum, et a Nativitate Domini usque ad Septuagesimam in omnibus festis duplicibus, et novem lectionum totius anni ( nisi in Festo Innocentium, et in Dominicis praedictorum temporum ) et generaliter quandocumque Gloria in excelsis, et Te Deum laudamus dicuntur . . . In aliis vero temporibus regulariter non auriphrisata, sed simplici utendum est, videlicet ab Adventu ad Nativitatem . . . Item in festis trium lectionum illius temporis, et in omnibus Vigilis, in quibus jejunium celebratur, et quatuor Temporibus, et in Rogationibus item in officio Defunctorum*. Ex ordine Romano pariter evincitur sicut triplex Mitrae species, sic et diversus pro diversis temporibus usus. Plurima his addenda essent, sed haec videri possunt, in allatis Auctoribus quibus addo et Cangium et Spalmannum et Baquillottum.

Jam quaedam ornamenta et honoris praeclariora insignia jure Episco-

valeant Pontificalibus, sicuti ante memoratam Constitutionem, in Ecclesiasticis Functionibus, excepta tantum Mitra auro contexta. Die 23. recensiti Mensis, et Anni.

4501. CATHANIEN.

Sodalitas SSmi Sacramenti erecta in Collegiata Ecclesia Civitatis Aci-Reale in Dioecesi Cathanien. expostulat facultatem decantandi Missam de Requie cum SSmo Sacramento exposito in Altare laterali.

porum inter quae et Mitra recensetur, a variis Saeculis per privilegium et aliis a Summis Pontificibus concessa fuerunt quibusdam Canonicorum Collegiis, Abbatibus, ac Praelatis Episcopis inferioribus, vel ob rem aliquam praeclare gestam erga S.Sedem, vel ad distinctionem aliarum Ecclesiarum ob peculiaris ipsius Ecclesiae antiquitatem, vel etiam ut splendidiori per haec honoris, et decoris signa apparatu Divini cultus majestas magis eluceret, et Fideles per hunc ipsum externum Ministrorum ornatum ad rerum altissimarum contemplationem excitarentur. Sed cum non semel eveniret, ut ii, qui singulari modo his privilegiis honestati essent latius accepta privilegia, et honores interpretando, majora sibi concessis arrogarent, et terminos Concessionis excederent, ita contra Concedentis voluntatem agerent, ordinem perverterent, et abusus inducerent, S. Rituum Congregatio modum aliquem huic quorumdam libertati ponere ex munere statuens, et Pontificiorum Diplomatum violationes vel praecavere, vel continere, singulari Decreto declaravit sub die 27. Augusti 1822. quae Pontificalia sint privilegia, quod adprobavit, confirmavitque fel. rec. Pius VII. qui Praedecessorum suorum Pontificum Alexandri VII. et Benedicti XIV. exemplo inhaerens, peculiarem etiam Constitutionem edidit sub die 4. Julii Anni 1823. cujus initium est. *Decet Romanos Pontifices.* Hac, ut ii, quibus aliquod hujusmodi privilegiorum ante fuerit concessum, statutis Legibus continerentur, neve illorum jura laederentur, ad quos inspecto Ecclesiasticae Hierarchiae ordine hujusmodi insignia stricto pertinerent sensu, neque in posterum alii inducerentur abusus, et omnis perturbationis, querimoniae, et dissidiorum tolleretur accessio, hac, inquam et memoratum S. R. Congregationis Decretum confirmat, et Praedecessorum suorum Leges et Statuta quoad usum Pontificalium Praelatis Episcopis minoribus, aliisque concessa sapientissime renovavit, jus ut suum sarctum tectumque Episcopis servaret, ne quid per illimitatum privilegiorum usum praescriptos in privilegiis ipsis terminos praetergrediendo, Episcopalis Dignitatis splendori detraheretur. Cum autem tam in memorato Decreto, quo privilegia Pontificalium declarantur, quam in dicta Pii VII. Constitutione statuatur, ut ii, qui amplioribus gauderent privilegiis, peculiaria sua jura ad S. Congregationem perpendenda deducerent, ut inde de illis juxta Canonicarum Sanctionum opportune posset decerni, Ecclesia Metropolitana Barensis Summi Pontificis mandatis obtemperans, privilegia sibi indulta illico deposuit, sed ad vitandam quamcumque aliorum admirationem ob repentinam hanc insigniorum dimissionem, preces porrexerunt pro

Sacrorum Rituum Congregatio rescripsit : *Obstat Instructio Clementis XI. nec non Decreta Sacrorum Rituum Congregationis*. : Die 19. *Decembris* 1829. (1)

usu privilegiorum, quibus gaudebant, quae a fel. rec. Leone XII. benigne concessa iterum fuere.

Laudabilis haec Canonicorum Bariensium obedientia confirmationem privilegiorum quasi promerita est, quae simul ostendit legitime eos concessis privilegiis uti, et a statutis legibus non declinasse. Quo factum est, ut iisdem postulantibus, et Rmo Archiepiscopo ipsis favente, Sacra Congregatio quoque *pro gratia confirmationis* rescripsit. Unum tamen excepit; usum nempe Mitrae auro contextae, ut Decreti et Constitutionis statutis, eorumque fini gratiae confirmatio responderet, qui in eo praecipue situs est, ne quis ex Praelatis Episcopis minoribus, si forte aliquibus Pontificalium privilegiorum gaudeat, illorum jura laedat. Vidimus supra ex diversis Mitrarum speciebus, et antiquissimo eorum usu, quid ad Episcopos spectet, quid aliis conveniat, qui ex privilegio Mitra utuntur. Cum itaque Canonici Metropolitanae Barensis ex privilegio ea utantur, non alia uti possent, nisi memorata, nempe simplici ex tela alba cum sericis laciniis, ea nempe, quae a Decreto sub num. 8. describitur.

(1) Instructio Clementina haec habet §. *XVII. num.* 1.: *Non si celebrino Messe di Requie nel tempo che durerà l' Orazione delle Quarant' ore*: In Instructionis verborum adnotationibus *num.* 1. haec subjicitur ratio: *Dedecet enim, quod cum lugubri apparatu celebrentur Defunctorum Missae, ubi Sacramentum est triumphaliter expositum, praesertim*, (en alia ratio), *quia in his haud adjici potest commemoratio Sacramenti, quam in Missis votivis omnibus, si per Rubricam liceat, eadem Instructio demandat*. Scio equidem nonnulla S. R. Congregationis Decreta reperiri, quibus videtur non absolute prohiberi Defunctorum Missas, idque erui quodammodo posse ex verbis, quibus eadem S. Congregatio usa est in una Canonicorum Regularium Lateranensium sub die 12. *Decembris* 1684., et in altera *Eugubina* 27. *Aprilis* 1697. Legitur enim in prima *regulariter negative*: in altera vero *congruentius abstinendum*, ex quibus utriusque Responsionis verbis tam Cavalerius, quam Tetamus in ea sunt sententia, ut absoluta hujusmodi Missarum prohibitio non eruatur, licet per eos etiam satius sit eas non celebrari. Sed advertendum hac in re est, haec Decreta, quae de congruentia, de regularitate quoad non celebrationem loquuntur, Instructionis Clementinae promulgationem praecessisse, atque hinc quod posteriori Lege in contrarium statuta sunt contra haec ipsa esse non posse nec legem, nec regulam posse efformare; hinc si absolute non prohibentur a Decretis Congregationis anterioribus per ipsam Instructionem prohibentur, quae et vim regulae habet, et Legem constituit, qua Constitutione, qua regula, qua Lege ea ipsa Decreta revocata, atque abrogata censeri jure possunt ac debent: nihil enim clarius dici potest, ut inde pateat absoluta prohibitio: *Non si celebrino le Messe di Requie*: quae qui-

Director Kalendarii Ordinis Capuccinorum Provinciae Florentinae Fr. Paulus ab Apua sequentia Dubia discutienda, enodanda, et resolvenda Sacrorum Rituum Congregationi proposuit, videlicet:

1. An tempore Sacrosancti Missae Sacrificii in administratione Viatici praesertim in Xenodochiis liceat ab Altare recedere usque ad aegrotorum lectum recitando interim Psalmum Miserere, ut fieri solet extra Missam?

2. Utrum tempore etiam Sacrificii Missae administrari possit SSmum Viaticum in Paramentis Nigris?

dem verba omnem excludunt, si qua esse posset, ambiguitatem, et praeceptum de non celebrandis hujusmodi Missis includunt in iis saltem Ecclesiis, quas Instructio Clementina respicit. At reponet fortasse quis. Haec Instructio de Ecclesiis loquitur, in quibus Sanctissimum Sacramentum in forma Quadraginta horarum est expositum, pro quibus apposite edita est; non sequitur hanc Legem aliis etiam Ecclesiis aptari debere, in quibus quocumque alio modo est expositum. Nemo ignorat praecipuum hoc esse Clementinae Instructionis objectum, sed, si quid video, alias etiam expositiones cum SSmo Sacramento includit. Et sane S. R. Congregatio Anno 1726., cum jam nempe suam mutavit post Clementinam Instructionem sententiam, in una Varsavien. respondit: *Missae de Requiem extra Altare ubi est expositum Sanctissimum Sacramentum poterunt celebrari dummodo tamen Oratio cum Sanctissimo Sacramento non sit ex causa publica*.

Haec responsione S. Congregatio occurrit dubio, quo quaesitum est: *An permitteret Rubrica celebrari Missas de Requiem durante expositione Sanctissimi Sacramenti in Pyxide?* Jam quis non videt differentiam inter expositionem Sanctissimi Sacramenti in Pyxide, et aliam in Throno, sive umbella. Haec aliquam semper habet solemnitatem, ut demonstrat ipse expositionis modus, cui etiam saepe conjungitur publica caussa. Illa vero nullam vel publicam caussam, vel solemnitatem, ut plurimum saltem, praesefert. Hoc posito discrimine, videt per se quisque permissis hujusmodi Missis *taxative* dum Sanctissimum Sacramentum est expositum in Pyxide, indirecte quidem, sed non obscure hac responsione prohiberi Missas de Requiem cum Sacramentum est expositum in Throno eo vel magis, 1. quia singulari dubio de Sanctissimo Sacramento in Pyxide respondit, 2. quia publicum excipit bonum, in quo semper est quaedam solemnitas. Insuper ut non inopportune quoad rem nostram pertinet, advertit Auctor Adnotationum ad Instructionem Clementinam *dedecet quod cum lugubri apparatu celebrentur Missae Defunctorum*, ubi expositum est triumphaliter Sanctissimum Sacramentum. Jam si dedecet has Missis tali in casu celebrare, quid dicendum de Missis de Requiem cum cantu, quo nihil solemnius in luctu dici potest, nullus apparatus magis lugubris esse potest? Haec in luctu ipso solemnitas, hic lugubris apparatus directe adversaretur solem-

3. Quum occasione mortis alicujus Episcopi praescribat Coeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 38. §. 27. quod ipso sepulto preces pro opportuna electione Deo fundantur, quaeritur utrum haec collecta pro eligendo Episcopo continuari debeat usque ad diem Consecrationis, an Electionis tantum?

4. An Festum S. Joachim Patris Beatae Mariae Virginis in concurrentia Festi alterius Sancti aequalis ritus considerari possit ut Patriarchae, an simplicis Confessoris?

Et Sacra Eadem Congregatio accepta in scriptis sententia alterius ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris, re mature diligenterque discussa respondendum censuit:

Ad 1. *Negative quoad Psalmum Miserere recitandum. Insuper animadvertendum, quod si Celebrans pro Viatici administratione intra Missam, Altare e conspectu suo amittat, hanc administrationem non licere.* (1)

nitati expositionis. His addendum, si Missae, praesente Cadavere, exposito Sanctissimo Sacramento prohibentur, quid dicendum, si hae, absente cadavere, cum cantu celebrarentur? Praeterea, vigeret semper et alia ratio de commemoratione Sacramenti in Missis omnibus privatis, quae cum per Rubricam addi potest, omnino non est omittenda, quaeque hoc in casu deberet omitti: qualitas enim Missae illam excludit. Vigeret denique ratio ex fine desumpta, quo fiunt expositiones quocumque modo solemnes, qui est ut Fideles in tanti Sacramenti institutionis meditatione immorentur, in illius Auctoris charitate admiranda, in Christi recolenda Passione, et in eo, quod nobis per ipsum datum est, aeternae gloriae pignore considerando, a quo tam excellenti fine mens abstraheretur, si eo, quo Sanctissimum Sacramentum veneraremur tempore, ad aliud per lugubrem cantum Defunctorum Missae vocaremur. Multa his addi possent, sed finis sit, et qui plura desiderat adeat Cavalerium, Tetamum, Instructionem Clementinam, et subjectas adnotationes, quibus haec quae hactenus dicta sunt, confirmantur.

(1) Missae Sacrificium ea est actio, quae cum caeteras actiones ad Divinum cultum spectantes longe maxime aliis antecellat virtute, dignitate, ratione et victimae, et offerentis: Christus enim ipse est victima, et Sacerdos se ipsum Patri offerens, et major sit actio, quae in Dei honorem peragi possit ab Ecclesiae Ministris Ecclesiae ipsius nomine, nihil in ea addi potest, nihil intermisceri, et nullis sive precibus, sive actionibus diversis ab Ecclesia praescriptis debet abrumpi, quae actionis unitatem adimat, et iis peragi debet Legibus, quae ab Ecclesia pro illius celebratione statutae sunt. Potest immo, et debet Sacerdos, qui Minister est Dei, in cujus honorem Sacrificium offert, et Ecclesiae sive Fidelium, pro quibus offert Eucharisticum panem e divina mensa petentibus praebere, iis tamen semper Legibus, eo ordine, qui ab Ecclesia ipsa praescriptus est. Ast in proposito Dubio et actionis unitas abrumperetur, preces intermiscendo, quae pro Sacrificio Missae non sunt

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Collectam continuari debere usque ad diem electionis, qui est dies consistorii secreti.*

Ad 4. *Quum Festum S. Joachim pertineat simpliciter ad illa Confessorum in aequali ritu observari debere Rubricam de concurrentia Festorum*. Atque ita respondit. *Die* 19. *Decembris* 1829.

4503. HISPALEN.

Moniales Spiritus Sancti Ordinis Sancti Spiritus in Civitate Hispalen. rogarunt pro facultate retinendi Pallium coloris rubri in Altari, in quo exponitur SSñum Sacramentum Dominica Pentecostes, et duabus sequentibus Feriis.

Sacrorum Rituum Congregatio respondit = *Obstant Decreta*. *Die* 19. *Decembris* 1829.

4504. PISANA.

Emi e Rmi Signori.

L'odierno Arcivescovo di Pisa Ranieri Alliata rappresenta con profondo ossequio all' Emze Vostre Rme, che dopo aver proibito ad un Nobile Signore di far celebrare la Santa Messa, e di esporre nella di lui Cappella pubblica di Campagna colla Pianeta e Piviale di Broccato paonazzo dietro le assicurazioni, che aveva avuto tanto dal defunto Monsignor Fornici, che da Monsignor Perugini Sagrista della Pontificia Cappella „ ch' era stata fissata la massima di non ammettersi fuori che il

praescriptae, quaeque dicendae essent in casu. Ipsa enim Rubrica praecipit *de Communione Infirmorum* psalmum *Miserere*, et alios psalmos, et cantica esse dicenda; ideoque in casu unitas actionis Sacrificii tolleretur, nec regulae servarentur, quae pro simplici Fidelium communione sunt adsignatae, si quis e contra, ne videretur Missam abrumpere, Orationes pro hac actione statutas omitteret, aut ordinem illum servaret, quem Rubrica in administranda Communione bene valentibus indicat. Jam haec Rubricae praescriptio aptari nequit proposito dubio, nisi ordinem pervertere velimus, et unum cum altero ritu confundere, quod nefas esset. Hinc etiam est, quod S. Rituum Congregatio respondit etiam *non licere administrationem Viatici infra Missam, si Celebrans e conspectu suo amittat Altare.* Hoc enim esset Sacrificium quodammodo interrumpere, tum propter longum iter, quod supponi debet, si Sacerdos e conspectu omittat Altare, tum propter interpositionem aliarum precum, sive psalmorum, qui recitari deberent a discessu ab Altare ad Infirmorum lectum; quae si aliunde omitterentur, et Sanctissimum Sacramentum nihil recitando (ne actio videretur abrupta) deferretur, hoc in casu quaedam quasi irreverentia in Sanctissimum Sacramentum oriretur, et quoddam etiam scandali genus Fidelibus oriri posset; et ageretur directe contra Rubricam, quae praecipit, ut cum Sanctissimum Sacramentum ad infirmos defertur, non sub silentio, sed psalmis, et canticis adhibitis deferatur.

fondo del Drappo per il colore, che può usarsi secondo il Rito senza attendere nè il recamo, nè i fiori ,, e che perciò non si poteva permettere nè il Piviale paonazzo per le esposizioni del SSmo Sagramento, nè la pianeta di broccato di fondo paonazzo per la Messa allorchè il colore dev' essere bianco, o altrimenti; hà potuto risapere, che lo stesso Cavaliere, lo hà fatto usare anche in quest' Anno ad onta della sua proibizione, solo perchè un' Ecclesiastico gli aveva detto che gli ordini emanati dalla sa. me. di Leone XII. erano veri, ma che portavano ancora, che fino a tanto che durassero i vecchi Paramenti di altri colori, fosse tollerato l' uso di quelli anche per l' Esposizioni, purchè nel farli nuovi si stesse alla regola stabilita. Questa eccezione non essendo stata rilevata dai sullodati Prelati allorchè gl' interpellò, non crede che possa sussistere, e d' altronde per procedere con ogni regolarità sottopone alle elevate menti dell' Emze Vostre Rme come l' organo più diretto, la presente questione, affinchè si degnino accordargli quella risoluzione, che crederanno poter convenire, Onde ec.

Perillustris et Rme Dne uti Fr. Acceperunt Eminentissimi Patres Sacrorum Rituum Congregationi praepositi ex tuo supplici libello, quem huic reperies fasciculo insertum, in quodam rurali publico Sacello sacras peragi Functiones, nec non sacrosanctum Missae Sacrificium cum Paramentis textilis serici violacei coloris, etiamsi Missae colori non respondeant. Quae omnia quum Emi Patres Rubricarum dispositionibus obstare cognoverint, et ex parte Sacrorum Rituum indemnitati provideri posse confiderint rescribendum censuerunt in Congregatione ordinaria sub infrascripta die coacta ad Vaticanum = *Archiepiscopus provideat omnibus juris remediis, etiam nomine Sacrae Congregationis* = Et Amplitudini Tuae diuturnam ex animo exopto felicitatem. *Die* 19. *Decembris* 1829. = Rmo Archiepiscopo Pisano = .

4505. VELITERNA.

Sacrorum Rituum Congregationi sequens proposuit Dubium Eques Colonnesi Veliternus. A sa. me. Pio Papa VII. facultatem obtinuit pro se, coeterisque de familia aditum aperiendi e propriae domus viridario ad Ecclesiam publicam S. Apolloniae, ibique Sacrum audiendi; quaeritur utrum Sacrosanctum Missae Sacrificium in praecepti adimplementum valeat etiam pro aliis Inquilinis ibi morontibus.

Sacrorum Rituum Congregatio respondit = *Strictim servetur privilegium*, *Die* 19. *Decembris* 1829.

4506. VICEN.

Inter postulata ab Rmo Episcopo Vicen. in Visitatione ad Limina transmissa unum extat, quo ipse jure conqueritur de confusione colorum in paramentis Sacrosancto Missae Sacrificio, aliisque Ecclesiasticis Functionibus deservientibus, quae etiamsi Sacris Ritibus opposita, in dicta tamen Civitate, et in caeteris Episcopatus Ecclesiis conspicitur. Huic propterea abusui providere, imo de medio tollere volens, humillime supplicavit idem Episcopus pro opportuno remedio. Et Sacrorum Rituum Congre-

gatio in ordinario coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto respondendum censuit = *Serventur omnino Rubricae Generales, facta tamen potestate Episcopo indulgendi, ut in Ecclesiis pauperibus permittat illis uti donec consumentur. Die* 19. *Decembris* 1829.

4507. GERUNDEN.

Rmus Episcopus Gerunden in relatione status suae Ecclesiae ad Sacram Congregationem Concilii transmissa sequens proposuit Postulatum. Usque ab Anno 1308. in hac Ecclesia Cathedrali Matutinum Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi Vespere prima Vigilia Noctis decantatur, et circa Auroram dicitur prima Missa, quae juxta Ecclesiae ritum videtur mihi continuo post Matutinum debere celebrari. Eapropter precor VV. EE. ut indicetis mihi quid circa hanc praxim decernendum? In Congregatione Sacrorum Rituum ordinaria responsum fuit = *Serventur Rubricae Missalis, et Matutinum cum prima Missa et Laudibus dicatur summo mane, si adsit impedimentum canendi prope mediam noctem. Die* 3. *Aprilis* 1830. (1)

(1) Rubrica Breviarii tum particularis hujus diei, tum Generalis hanc divisionem primae Missae a Matutino et Laudibus in nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi non admittit, quemadmodum et Laudum a dicta Missa separationem excludunt, et cum haec Rubrica sit particularis hujus noctis (quae quidem ut videbimus, sui non caret ratione) et ordinata sit pro Choro, in hoc servari debet quidquid praescribitur, et Ordo prorsus non est invertendus, nec pro libitu prima Missa a Matutino, et a Missa Laudes dividi debent. En verba Rubricae particularis: *Et dicto Benedicamus Domino, celebratur prima Missa post mediam noctem, qua finita, dicuntur Laudes*: Rubrica autem generalis Tit. XXX. de hymno Te Deum *num.* 4.: *Similiter quando dicitur Te Deum, eo hymno dicto, statim inchoantur Laudes praeterquam in nocte Nativitatis Domini, quia tunc dicitur Oratio, postea celebratur Missa*: Habemus itaque clarissime praescriptum ordinem, et unionem Missae cum Matutino, et Laudum cum Missa. Dixi ordinem hunc a Rubrica pro Choro praescribi; in privata enim recitatione nulla est obligatio sejungendi Laudes a Matutino, ut omnes ferunt Auctores. Item Caeremoniale Episcoporum eumdem omnino ordinem indigitat *lib.* 2. *cap.* 24. §. 9. Super allatis Rubricae verbis seu praescripto inquit Tetamus: *Post Matutinum dicitur Missa in Choro*, et Gavantus in Rubrica Breviarii *Sect.* 6. *cap.* 5. *num.* 5.: *Laudes sequuntur Missam primam de aeterna Generatione*: Et *num.* 6. ubi Francolinii sententiam negativam profert de cantanda Missa ante Canonicam horam Primae, secundo loco haec habet: *Neque dicas sufficere Laudes ante Missam secundam, tum quia non debent dividi a nocturnis, nisi quantum Missa prima occupat temporis quod intercedit, cum sint unica hora*: Sive itaque sequamur Rubricam particularem Breviarii, sive generalem attendamus, sive Episcoporum Coeremoniale inspiciamus, is ordo ab omnibus Rubricis praescribitur, ut novum omnino sit, et contra Ru-

4508. BAREN.

Quamvis per Decretum diei 19. Decembris superioris anni 1829. a S. R. C. prolatum, atque a SSmo Domino Nostro Pio VIII. Pontifice Maximo sub die 23. recensiti mensis et Anni confirmatum privilegia omnia Capitulo Metropolitanae Barensis diversis temporibus a Summis Pontificibus concessa sarta tecta fuissent; quum tamen exceptio in eodem inserta quoad Mitram auro contextam aliquid impedimenti et Capitulo et privilegiis ipsis afferre videretur, quoniam ejusdem Capituli Canonici ambricas, et contra vetustissimam Ecclesiae consuetudinem, et universalem disciplinam Missam primam a Nocturnis dividere, et Laudes ante Missam canere, quae uniri semper debet, et eo ordine, qui a Rubrica praecipitur, sive media nocte, sive summo mane, aliqua accedente juxta causa, officium Nativitatis peragatur.

Juvat hic aliquid animadvertere, et generalem proferre regulam, quoad Matutinum et Laudum recitationem (loquor de Officio in Choro persolvendo) ut inde rationem investigemus peculiaris hujus diei Rubricae. Certum est Laudes a Nocturnis ex generali regula dividi non debere, et Laudes ab Amalario Matutinale Officium appellantur, ac ideo sic vocari, quia sunt pars Officii Matutini, et idcirco etiam non terminatur separatim a Laudibus. Ex hoc ipso, quod juxta Romanum Ritum Matutinae Laudes recitantur conjunctae cum Nocturnis, factum est, ut Matutini nomen aequivocum quandoque fuerit, et quid diversum juxta Auctores varios non semel hac voce intelligatur. Aliquando acceptum est pro solis Nocturnis separatis a Laudibus, aliquando pro aggregato ex Nocturnis cum Laudibus usurpatum est, quatenus una, eademque sit officii pars, et diversas non constituant partes; aliquando denique pro solis Laudibus. Benedictus XIV. Institut. XXIV. num. 9. Amalarium sequens, unionem Matutini cum Laudibus indicat: *Nobis satis est tempus indicare, quo juxta Canonum Sanctiones Matutinum una cum Laudibus persolvantur; quae sane conjunguntur, cum Amalarius tradat, se a Magistris Romanis responsum habuisse nullum inter Matutinum et Laudes tempus intercedere*: Ex hac doctrina, et auctoritate et ex Rubrica patet certissimum Laudes a Nocturnis nunquam sejungi. Sejungi tamen debent, ut vidimus, in Officio Nativitatis Domini. Quaenam, quaeso, particularis hujus Rubricae erit ratio? Si Benedictum XIV. audiamus, memorata Institutione hanc rationem effert: *In pervigilio Nativitatis Domini Matutinum a Laudibus sejungitur ante quas Sacrum peragitur. Cum enim circa mediam noctem Missae Sacrificium celebrari debeat, nimis absone Laudes eo tempore canerentur.* Quodnam est illud tempus? Illud nempe, quod paullo ante eadem Institutione, eodemque numero Amalario adhaerens indicaverat, scilicet, ab initio crepusculi ad ortum solis. Est ergo haec ratio ab hora desumpta simul et ab unione Laudum cum Missa, cui cum Laudes conjungi debeant, Missae vero Sacrificium circa mediam noctem debeat celebrari, ut utrumque servetur, et unio scilicet Laudum cum Missa, et tempus minus Laudibus in-

plioribus privilegiis et gratiis se aucti fuisse arbitr entur, propterea exhibitis denuo Apostolicis Litteris sub forma Brevis expeditis a sa. me. Pio

conveniens, hae post Missam potius, eas a Nocturnis dividendo, recitantur, quam immediate post Nocturnos, ut generalis regula exposceret. Haec est ratio a Benedicto XIV. adducta. Jam quis tam sapienti, tam erudito Pontifici audeat contradicere, quin temeritatis notam apud omnes incurrat? Ratio quidem haec est, sed non sola. Haec enim ex convenientia potius horae qua Laudes, juxta morem, recitari debent, et ex praecepto simul eas a Missa non dividendi, quam ab intrinseco desumpta est. Alia tamen est ratio, si quid video, ex ipso intrinseco mysterio, quod recolitur, deprompta, et Officii hujus diei propria, quam affert Durandus in suo Rationali Divini Officii lib. 6. cap. 13. num. 16. quam et hic afferre haud dubitem: *Generatio Divinitatis*, scribit ipse, *praecessit generationem humanitatis*, *et quia illarum notitia fuit nobis laudis materia*, *ideo Laudes sequuntur*. *Missa praecedit*, *quia prius fuit aeterna generatio*, *de qua Missa ista loquitur*, *quam aliqua creatura fuerit*, *quae Deum laudare potuerit*. *In Laudibus quasi choream ducimus*, *quem vidistis Pastores? Et ipsi responderunt*; *Natum vidimus etc.* Haec Durandus.

Jam totum Officium Divinum nihil aliud per sese est, nisi quoddam Divinarum Laudum genus, quae sive psalmis, sive hymnis, sive canticis, sive aliis hujusmodi ab Ecclesia statutis, in Dei laudem et honorem canuntur. Tamen haec officii pars, quae *Laudes* specialiter nominatur, ideo hoc donatur nomine, quia speciali quodam modo laudes Deo concinuntur. In his enim ad jubilandum Deo, ad Ei benedicendum, ad Eum laudandum Fideles excitantur. Hoc posito, si ex Durando Missa hujus noctis *est nobis laudis materia*, quia sane in prima Missa Nativitas Christi ad salutem,et redemptionem humani generis speciali modo Fidelibus per Evangelium annunciatur, quae jam per Angelos vigilantibus super gregem suum Pastoribus annunciata fuit, et gaudium magnum nunciatum pariter fuit, quod omni Populo erat futurum ob Salvatoris nativitatem, quid aequius, quid rationabilius quam et in recolendo quotannis hoc mysterio speciali hoc Deum laudandi genus, *sive Laudes*, post Missam reservetur, et Missae immediate conjungatur? Cum specialis haec nocte ratio reperiatur eas a Nocturnis dividendi, et Missae immediate conjungendi?

Unum postremo hic addere non alienum a proposito erit, quo confirmatur et sejunctio Laudum a Matutino, Missa interposita, et Laudum cum Missa immediata conjunctio. Antiquitus non modo separatae erant Laudes hujus Officii a Nocturnis, sed Missa prima, quae media nocte celebrari solebat complebatur cum *Benedicamus Domino*, non autem cum *Ite Missa est*, quae verba juxta communiorem Liturgicorum sententiam nihil aliud nisi dimissio Populi est. Testatur hoc Micrologus, qui hanc adducit veteris hujus ritus rationem his verbis: *Ne Populo quasi licentiam abeundi infra Matutinales Laudes dedisse videamur*, *quas statim post Missam iterum concrepantibus*

Papa VII. sub die 18. Novembris 1819. ab Eidem Sacrorum Rituum Congregatione expostularunt usum Mitrae auro contextae, seu filo serico flavo

*signis incipere solemus*: Jam si antiquitus, ut Populus post Missam Laudibus adesset, omittebantur hae nocte verba, quae illius dimissionem sive ab Ecclesia discessum indicabant, quo majori argumento utemur ad probandum ex antiquitate ipsa hanc Laudum cum Missa conjunctionem, quae adhuc ab Ecclesia servatur, suam habere originem, ac proinde male prorsus se gessisse, qui contrarium servavit? Demum aliquibus in Ecclesiis alius hac nocte servabatur peculiaris ritus, et ideo servabatur ut Populus in Ecclesia retineretur. Ritus autem erat, ut inciperentur Laudes statim post Communionem et complebantur post Orationem, quae dicitur in fine Missae, eo sane modo, quo Vesperae una cum Missa in Sabbato Sancto decantari solent, in quibus una eademque oratio et Missae est, et Vesperarum. Jam si antiquitus, ut Populus post Missam Laudibus adesset, verba apposite omittebantur, quibus illius dimissio, sive ab Ecclesia discessus indicebatur, ne Populus discederet, Laudes post Communionem inchoabantur, et complebantur cum Missa. Quonam majori argumento utemur ad demonstrandam Laudum cum Missa in hoc nocte conjunctionem, quae servatur ab Ecclesia, non solum jure adhuc servari, sed ex ipsa antiquitate suam habuisse originem, ac proinde male sese penitus gessisse, qui ut ex Dubio patet a speciali hoc Ecclesiae ritu discessit.

Aliud quoque hic breviter investigandum occurrit, quod non inutile fortasse erit. Quidam sunt, sed pauci sane, qui autumant Matutinum hujus noctis dicto post Orationem *Benedicamus Domino*, concludendum esse cum versiculo: *Fidelium animae etc.* Innituntur fortasse hi Decreto S. R. Congregationis in Thelesina sub die 14. Aprilis 1742. dato, quod sic enunciatum est: *Non est omittendus in fine cujusvis horae, Fidelium animae, quando post eam immediate dicitur Missa, sed servandus adamussim textus Rubricae XXX. Breviarii Romani*; Versiculum hunc addendum statuit Ecclesia, cujus pietas erga Defunctos ea est, ut peracto Divino Officio, aut illius partibus ad utilitatem vivorum, suffragetur statim et Defunctis, qui degunt in Purgatorio. Hic est finis Ecclesiae, quae etiam praecipit per Rubricas, ut quibusvis Horis Canonicis addatur. Jam videamus, si locum habeat hac nocte in fine Matutini. Ex Decreto, et intentione Ecclesiae dicendus est hic versiculus in fine Horae cujusvis. Si itaque hora non terminatur, versiculus hic non est addendus, ac proinde fallitur qui illum in casu omittentes, erroris, et culpae arguit. Laudes numquam a Nocturnis separantur, et unam eamdemque horam simul junctae constituunt; hine si hac nocte ex specialis Rubricae Statuto Nocturni a Laudibus dividuntur, non sequitur diversas, per hanc peculiarem hujus noctis Rubricae dispositionem, et a se separatas Horas ex Nocturnis, et Laudibus constitui, proindeque, absoluto Matutino, Hora revera non terminatur: hinc profecto est, quod in nullo liturgico Sacro Codice, sive in Missali, sive in Breviario, sive in Coere-

aurea lamella intextae, ac ormisino etiam serico ejusdem flavi coloris subsutae sibi non esse denegandum.

Sacra Congregatio ad Quirinale in Ordinario Coetu sub infrascripta

moniali Episcoporum hujus versiculi mentio invenitur, et *taxative* ab his tempus determinatur, quo Missa post Nocturnos debeat inchoari, sive qua prece, quo versiculo absoluto. Quod spectat ad particularem Breviarii Rubricam hujus diei legitur: Et dicto *Benedicamus Domino, celebratur prima Missa post mediam noctem*; quod vero pertinet ad Rubricam generalem ejusdem Breviarii sic in ea legitur Tit. XXXI. de Hymno *Te Deum* num. 11. *Similiter quando dicitur Te Deum, eo hymno dicto, statim inchoantur Laudes, praeterquam in nocte Nativitatis Domini, quia tunc dicitur Oratio, postea celebratur Missa*. Demum Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 14. §. 9. *Iterum responso Dominus vobiscum, dum Chorus cum Organo prosequitur lente Benedicamus Domino, et Deo gratias, ipse (Episcopus) deposito Pluviali . . . demum accedit ad infimum gradum Altaris pro Missa inchoanda*: Ubinam, quaeso, mentio fit de hoc versiculo *Fidelium Animae etc.* quo terminari debeat Matutinum, aut potius ubi, tacite saltem, non excluditur? Excluditur quidem, statim ac taxative dicitur; *dicto Benedicamus Domino, celebratur prima Missa: Prosequitur lente Benedicamus Domino, et Deo gratias . . . . accedit . . . pro Missa inchoanda*, Cur autem excluditur? Quia nempe, absolutis Nocturnis, non terminatur Hora, et hinc Decretum, quo hujus versiculi recitationis Defensores (si qui sunt, paucissimi autem sunt, et fortasse unus, vel alter) innituntur, officio hujus noctis nequit aptari, quod peculiarem et propriam sibi vindicat Rubricam, quae clara satis est ad excludendum hunc versiculum. Hinc est, quod Tetamus cap. 25. ad diem 25. Decembris Sect. III. scribit: *Ubi post Matutinum dicitur Missa in Choro, dicto Benedicamus Domino, non addatur versus Fidelium Animae*: hinc quod *Gavantus* scribit *Section. V. cap. XXII. num. 4.*: *Qui versus non dicitur ante Pretiosa ad Primam, quia adhuc non terminatur Officium . . . ueque dicitur post aliam Horam, si aliud sequatur, ut vel Missa, sicuti fit in nocte Nativitatis Domini*. Quid plura? Omittitur quandoque hic versus, quando etiam quaedam officii Hora est absoluta. Hinc apposite idem Gavantus eodem num. 4. addit *neque ad Completorium habet in fine locum congruum. Non enim ante Antiphonam B. Virginis, quae ad Officium vivorum attinet, neque post eam, quam sequitur Oratio Dominica cum Salutatione Angelica*. Sic autem explicit, *vel Officium parvum B. Mariae, septem Psalmi, Litaniae, in quorum fine dicitur Fidelium etc.* Quod hic dicit Gavantus Rubricae generali apprime consonat, cujus sequens est dispositio Tit. XXX. de Oratione num. 3.: *Postea dicitur (nempe post Orationem) Benedicamus Domino*, deinde dicitur versus: *Fidelium animae etc.* qui versus non dicitur post *Benedicamus Domino ad Primam . . . . nec quando post aliquam Horam immediate sequitur Officium parvum B. Mariae, vel Officium Defunctorum*,

die coadunata ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Petri Francisci Galleffi Ponentis, juribus de novo productis ad tramites Constitutionis „ *Decet Romanos Pontifices* „ ejusdem Pii Papae VII. attente, diligenterque libratis, consideratisque allatis documentis, ac praesertim Informatione et Voto Rmi Baren. Archiepiscopi rescribendum censuit = *Ad mentem = et mens est ut solus Celebrans utatur Mitra ad formam concessionis sa. me. Pii Papae VII. absente Episcopo* = : atque ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 17. *Julii* 1830.

Super quibus omnibus facta postmodum SSmo Domino Nostro Pio Papa VIII. Pontifici Maximo per me infrascriptum Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium relationo, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Rescriptum in omnibus adprobavit, et confirmavit. Die 22. recensitis Mensis, et Anni.

4509. RHEDONEN.

Dum novissimis temporibus in florentissimo Galliarum Regno divina, humanaque omuia summo bonorum omnium dolore partim confusa, partim sublata erant, sacra ipsa Liturgia, ac Psalmodia in vetustissimo suo ordine non mediocrem perpessa est perturbationem. Ne autem haec vel in Divinis Reparationis nostrae Mysteriis recolendis, vel Sanctorum Festis celebrandis penitus deperiret sa. me. Pius Papa VII. id consilii coepit, quod et temporibus, et divinis restituendis magis accomodatum videretur. Considerato itaque Regni, rerumque divinarum statu ea qua pollebat in universam Christi Ecclesiam auctoritate, ad servandum in illis ordinem, et externum cultum sine Religionis detrimento revocandum, facta Emo Cardinali suo Legato a Latere facultate, constituit, ut quaedam Festa non propriis, ut fieri debuisset juxta Rubricae regulas, diebus, sed Dominica proxima occurrente in omnibus Galliarum Provinciis, et Dioecesibus celebrarentur. Etsi plures ab hoc Indulto jam Anni

*aut septem Psalmi Poenitentiales, vel solae Litaniae etc.* Jam si omittendus est hic versus, quando quaedam Divini Officii Hora penitus est absoluta, et sequitur Officium ab illo quod celebratur diversum, quaecumque sit hujus omissionis ratio, quae quidem a Gavanto adducitur, (quae tametsi prodest potius, quam officiat in casu nostro), cur erit dicendus in nocte Nativitatis cum absoluto Matutino absoluta nequit credi hora, cum integram horam Matutinam cum Laudibus constituat, cum Missa sequi debeat immediate Nocturnos ob intrinsecam rationem noctis et diei, et Festivitatis propriam, quae peculiarem ritum exposcit nulli alteri Festivitati communem? Quod si quis reponeret peculiarem esse rationem omissionis in casibus a Rubrica notatis, peculiarem aeque rationem agnoscat in Officio Nativitatis, quae peculiarem Rubricam habet, qualis ea est, per quam interposita prima Missa Laudes a Nocturnis dividuntur: et sicuti hoc officium ritum a generali regula diversum habet ex ipsa Rubricae dispositione et praecepto, sic et in fine Nocturnorum hujus noctis excludi debet memoratus versiculus, nec sub adducto Decreto debet comprehendi.

defluxerint, semper tamen dubitatum est de diebus, in quibus haec Festa forent celebranda, quasi verus ac genuinus verborum Indulti sensus esset ambiguus ac dubitationi locum praeberet. Idcirco diversis ea diverse interpretantibus, ac in contrarias abeuntibus sententias, ex hac opinionum varietate varius pluribus in Dioecesibus exortus est usus, ita ut alii Dominicam, quae hujusmodi Festa praecedit, alii eam quae illa subsequitur pro Dominica proxime occurrente suo lubitu accipiant. Ad hanc sententiarum varietatem tollendam, omnemque ambiguitatem eliminandam, Sacrorum Rituum Congregationi Rmus Episcopus Rhedonen. sequentia proposuit Dubia enodanda:

1. Quum ex Pontificio Indulto statutum sit quaedam Festa in Gallarum Regno celebranda esse Dominica proxime occurrente, quaeritur quae sit Dominica haec proxime occurrens?

2. Utrum translatis supradictis Festis, translata intelligatur solemnitas tantum, an potius una cum solemnitate tota etiam Octava translata intelligatur pro Officiis in Choro?

Et Sacra Eadem Rituum Congregatio in Ordinario Coetu ad Quirinale sub infrascripta die coadunata, exquisita prius alterius ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris sententia scriptis exarata, praeloque cusa ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Joannis Francisci Falzacappa Ponentis, omnibus mature, diligenterque examinatis rescribendum censuit = *Affirmative juxta Votum Magistri Coeremoniarum, nimirum*.

Ad 1. *Dominica proxime occurrens intelligenda est Dominica, quae Festum subsequitur*.

Ad 2. *Negative ad priman partem, affirmative ad secundam*. Servatis in omnibus Rubricis. Atque ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 17. *Julii* 1830. (1)

4510. ROMANA SEU ORDINIS CISTERCENSIUM.

Spiritu intelligentiae replevit Dominus Deus ad Fidelium exemplum et instructionem Sanctum Bernardum Clarevallensem Abbatem, qui mentis acumine, suavitate morum, ac sacrarum Litterarum peritia excellens tamquam imbres emisit eloquia sapientiae suae, quum tot Volumina ediderit, Apostolicam Sedem, Summosque Pontifices studio, et ardore maximo contra Schismaticos adjuverit, ac debaccantium ea aetate Novatorum errores voce, et calamo oppugnaverit, atque extinxerit. Licet vero pluribus abhinc Saeculis, et viginti tantum Annis elapsis a pretiosa illius morte ab Alexandro III. sanctitate vitae, miraculisque cognitis inter Sanctos Coelites adscriptus fuerit, ejusque cultus in Ecclesia amplificatus, adhuc tamen desiderabat inter Ecclesiae Doctores Sanctum Bernardum referri, ac per totum Orbem haberi Monachorum Cisterciensium Ordo, cujus propagator ac decus praecipuum Sanctus Abbas refulsit. Plures insuper Cardinales Patres ejusdem erga Ecclesiam merita recensentes cum iisdem Cistercensibus a

(1) Vide Decretum inferius positum sub num. 4522. et subjectam Adnotationem.

SSmo Domino Nostro Pio Papa VIII. postularunt, ut S. Bernardi Abbatis festum cum Officio, et Missa de Communi Doctorum celebrandum decerneret. Hujusmodi precibus in Ordinario Sacrorum Rituum Conventu in Quirinali Palatio habito die 18. Julii 1829. relatis ab Rmo Cardinali Julio Maria De-Somalea jam Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, caeteri Cardinales Sacris Ritibus tuendis praepositi simul omnes proclivem animum ostenderunt: attamen SSmus Dominus Sacrorum Rituum Congregationis morem servandum in omnibus ratus, si quid objici posset, id per Sanctae Fidei Promotorem appositis Animadversionibus in medium proferri voluit. Quibus quum Responsiones subjecissent Postulatores in Ordinario Conventu die 17. Julii 1830. in Quirinalibus Aedibus, referente Rmo Cardinali D. Placido Zurla Urbis Vicario, re diutius perpensa, solutisque objectis omnibus, ea fuit unanimis Rmorum Cardinalium sententia, nimirum: = *Pro gratia confirmationis Tituli Doctoris cum Officio et Missa de Communi Doctorum, et Epistola secundo loco pro Ecclesia Universali, ad Emum Ponentem cum Promotore Fidei, et ad D. Secretarium cum SSmo. Die 17. Julii 1830.*

Horum omnium et singulorum facta SSmo Domino Nostro Pio VIII. Pont. Max. per me infrascriptum Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Rescriptum in omnibus adprobavit et confirmavit, hac desuper re Apostolicas Litteras in forma Brevis expediri jussit. *Die 23. recensiti Mensis et Anni.*

PIUS PAPAE VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quod unum ad Divi Bernardi Claravallensis Abbatis honorem et laudem plene cumulateque amplificandam maxime pertinere videbatur; quod erat in votis inclyto Monachorum Cisterciensium Ordini, de hac S. Sede semper optime merito cujus propagator, ac decus praecipuum S. Abbas memoratus refulsit; quod erat optandum ab Universa Catholica Ecclesia, cui mentis illius acumine, suavitate morum, ac sacrarum Litterarum peritia maxime fuit adjumento, quum tot ipse Volumina ediderit, Apostolicam Sedem, Summosque Pontifices studio, et ardore maximo contra Schismaticos adjuverit, et debacchantium ea aetate Novatorum errores voce, et calamo oppugnaverit, atque extinxerit, ac quoscumque Romanae Ecclesiae osores sua doctrina retuderit; quod VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium sollicitabant preces, id, divino disponente consilio, Humilitati Nostrae perficere datum est. Licet enim pluribus ab hinc saeculis, et viginti tantum annis elapsis a pretiosa illius morte, a fel. rec. Alexandro PP. III. Praedecessore Nostro, sanctitate vitae, miraculisque cognitis albo Sanctorum fuerit ipse adscriptus, ejusque cultus in Ecclesia amplificatus, adhuc tamen ejus virtutum, meritorumque coronae aliquid fulgoris erat addendum, titulus Doctoris, quo Divus Bernardus jam appellabatur, supremo hujus Sanctae Sedis Decreto in Universa Ecclesia confirmando. Quamvis autem VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus tuendis Praepositi in Ordinario Conventu in Quirinali Palatio habito die

18. Julii anno 1829. referente cl. me. Cardinali Julio Maria de Somalia jam Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, petitae confirmationi tituli Doctoris simul omnes proclivem animum ostendissent, Nos nihilominus, suspenso hujusmodi judicio; Sanctae hujus Sedis morem servantes, si quid objici posset, id per S. Fidei Promotorem appositis Animadversionibus in medium proferri mandavimus. Quibus quum responsiones subjecissent Postulatores in Ordinario Conventu diei 17. Julii currentis anni in Quirinalibus Aedibus, referente dilecto Filio Nostro Placido S. R. E. Cardinali Zurla nuncupat. Nostro in hac Alma Urbe Vicario in spiritualibus Generali, re diutius perpensa, solutisque objectis omnibus, ac ejusdem Sacrorum Rituum Congregationis Cardinalium sententiis consentientibus, Rescriptum pro Gratia confirmationis tituli Doctoris cum Officio, et Missa de Communi Doctorum, et Epistola secundo loco pro Ecclesia Universali die dicta datum, confirmandum esse censuimus, ac Litteras Apostolicas hac desuper re expediri mandavimus. Quapropter precibus totis Ordinis Monachorum Cistercensium, quibus plures dignitate, ac pietate praestantes Viri sua studia, ac postulata junxerunt, benigne annuentes, de ejusdem Cardinalium Congregationis consilio, Auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentium, titulum Doctoris, quo Divus Bernardus Abbas est hactenus in dicto Ordine, et in aliquibus Ecclesiis appellatus, confirmamus, et quatenus opus sit, denuo ei attribuimus; ita quidem, ut in Universali Catholica Ecclesia semper Is Doctor habeatur, et in anniversario die festo tum a Regulari, tum a Saeculari Clero celebrando, Officium ac Missa fiat de Communi Doctorum, et cum Epistola secundo loco, quae incipit: *Justus etc.* cum additione VI. Lectioni, et Martyrologio juxta Decretum ejusdem Sacrorum Rituum Congregationis. Ac praeterea hujus Doctoris Libros, Commentaria, Opuscula, Opera deniquo omnia ut aliorum Ecclesiae Doctorum, non modo privatim, sed publice in Gymnasiis, Accademiis, Scholis, Collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus, sermonibus, omnibusque aliis Ecclesiasticis studiis, Christianisque exercitationibus citari, proferri, atque cum res postulaverit, adhiberi volumus, et decernimus. Tandem, ut Christifidelium devotio ad hujus Doctoris diem festum colendum, ejusque opem pie implorandam eo magis accendatur, quo ex hoc coelestis gratiae dono se uberius conspexerint esse refectos, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui die festo ejusdem Doctoris vere poenitentes, et sacramentali confessione praemissa, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, et unam ex Ecclesiis Ordinis Cistercensium a primis Vesperis usque ad occasum Solis ejusdem diei devote visitaverint, ac pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias inibi ad Deum preces, prout sua cuique suggeret devotio, effuderint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus, et elargimur, declarantes hanc praesentem Nostram concessionem

perpetuo duraturam, sub quibusvis indulgentiarum revocationibus, vel limitationibus nullo modo comprehendi. Quocirca Universis VV. FF. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis filiis aliarum Ecclesiarum Praelatis per universum terrarum Orbem constitutis per praesentes mandamus, ut quae superius sancita sunt, in suis Provinciis, Civitatibus, Ecclesiis, et Dioecesibus solemniter publicari, et ab omnibus personis Ecclesiasticis Saecularibus, et quorumvis Ordinum Regularibus ubique Locorum, et gentium inviolate perpetuo observari procurent. Haec praecipimus, atque mandamus, non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem praesentium Transumptis, seu Exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae, vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris *die* 20. *Augusti* 1830. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

*J. Card. Albani.*

IN FESTO S. BERNARDI ABBATIS, ET DOCTORIS.

Missa de Communi Doctorum, cum Epistola secundo loco, quae incipit: *Justus cor suum*.

Officium pariter de Communi Doctorum cum Antiph. *O Doctor*, in utrisque Vesperis. Lectiones I. Nocturni de Scriptura occurrente. Lectiones II. Nocturni propriae ut in Breviariis, et in fine VI. Lectionis addatur ut sequitur.

Pius vero VIII. Pont. Max. ex Sacrorum Rituum Congregationis consilio Sanctum Bernardum universalis Ecclesiae Doctorem declaravit, et confirmavit, nec non Missam, et Officium de Doctoribus ab omnibus recitari jussit, atque Indulgentias Plenarias quotannis in perpetuum Ordinis Cisterciensium Ecclesias visitantibus die hujus Sancti festo concessit.

Lectiones III. Nocturni: *Vos estis sal terrae*.

In Martyrologio addatur: Quem Pius VIII. Pont. Max. universalis Ecclesiae Doctorem declaravit et confirmavit.

DECRETUM.

*Suprascriptam additionem VI. Lectioni faciendam in Officio S. Bernardi Abbatis, et Doctoris, et Martyrologio Romano ab Emo, et Rmo D. Card. Placido Zurla Relatore Caussae, et R. P. D. Virgilio Pescetelli S. Fidei Promotore revisum, SSmus Dominus Noster Pius VIII. Pont. Max. adprobavit, atque in suprad. Officio et Martyrologio in universali Ecclesia legi posse concessit. Die* 23. *Julii* 1830.

C. M. Episc. Praenest. Card. Pedicinius Praef.

Loco ✠ Sigilli.

J. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

4511. FANEN.

Ad nonnullas dirimendas quaestiones, quae in Parochialibus Ecclesiis

Rurium Fanensium frequenter insurgunt quoad Missam de Requie canendam praesente Cadavere: quum alii dicant omnibus diebus festivis primae classis illicitam esse Missam cantatam, exceptis tamen secunda, et tertia Feria Paschae, et Pentecostes; alii vero dicant Missam cantatam illicitam esse tantum omnibus diebus festivis primae Classis solemnioribus, non vero et praedictis feriis, et Dominica prima Quadragesimae, primaque post Pascham, et Pentecosten, et prima etiam Sacri Adventus tamquam diebus primae Classis minus solemnibus; alter ex Parochis memoratae Fanen. Dioecesis, perpensis aliquibus S. R. C. Decretis hisce de rebus, quae nullo modo cantari posse Missam solemnem de Requiem etiam praesente Cadavere, in festis duplicibus primae Classis (nulla distinctione facta inter festa majoris, minorisve solemnitatis) statuit Decreto 5. Julii 1698. quod confirmavit die 21. Martii 1744., sub qua interrogata fuit, num licitum id foret in Dominicis primae Classis; quum nihilominus inter tot controversias res in dubio sit adhuc, enixis precibus Sacram Rituum Congregationem rogat, ut declarare dignetur, utrum praesente Cadavere illicitum sit canere Missam de Requie non solum in duplicibus primae Classis solemnioribus, ut alii dicunt, nempe diebus etiam Dominicis supradictis. Hujusmodi precibus relatis in Ordinariis Comitiis sub infrascripta die ad Quirinale habitis, Sacra Congregatio rescribendum censuit: *Detur Decretum in Veronen. die 23. Julii 1607. uimirum non licere Missam Defunctorum cauere praesente Corpore diebus solemnibus, et in Bergomen. diei 21. Martii 1744. ad tertium Dubium; nec non in Compostellana die 8. Aprilis 1808. ad primum et secundum Dubium. Die 17. Julii 1830.*

4512. JANUEN.

Capitulum, Clerus, et Seminarium Civitatis Clavarensis Dioecesis Januen. Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicant, ut sequentia Dubia declarare dignetur:

1. Utrum Seminarium in publicis Processionibus incedere debeat immediate post Crucem Collegiatae ante Presbyteros Civitatis, ceterosque Clericos adventitios, vel potius immediate ante Capitulum Cathedralis?

2. An censeri debeant Professores Seminarii unum et idem Corpus efformare cum Clericis Seminarii in publicis Processionibus?

3. An Professores praedicti, qui sunt simplices Sacerdotes, jus habeant in Processionibus incedendi post Seminarium immediate ante Capitulum Collegiatae, vel potius incedere debeant cum aliis Presbyteris Civitatis, et adventitiis absque ulla praecedentia?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio ad Quirinale sub infrascripta die coadunata rescribendum censuit:

Ad 1. *Deutur Decreta in una Nucerina Paganorum diei 19. Januarii 1704. et diei 26. Aprilis ejusdem Anni.*

Ad 2. et 3. *Negative quia nullibi adest consuetudo.* Et ita rescribendum censuit. *Die 17. Julii 1830.*

4513. ISERNIEN.

Capitulum Cathedralis Isernien. Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit.

1. An Vicarius Generalis ad Cathedralem cum Episcopo accedens in Pontificalibus, aliisque Sacris Functionibus uti possit, eique adponendum sit Stratum, et Pulvinar?

2. An eidem Vicario Generali accedenti vel ad dandam Canonicis possessionem, vel alia quacumque de caussa praestanda sit honorifica associatio duorum Canonicorum?

3. An eidem ut in dubio secundo accedenti ministrandum sit ad fores Ecclesiae Aspersorium ad instar Episcopi?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio sub infrascripta die ad Quirinales Aedes in ordinario Coetu coadunata omnibus mature perpensis rescribendum censuit: *Negative in omnibus ad formam Decretorum, nimirum ad primum juxta Decretum in una Urbevetana Praeminentiarum diei* 3. *Augusti* 1737. *ad Dubium quintum quo nec pulvinar, nec stratum deberi Vicario Generali statuitur, et confirmatur in una Melphiten. Praeminentiarum diei* 10. *Decembris* 1740. *ad Dubium septimum*. Ad secundum, et tertium *juxta Decretum in una Vercellen. diei* 7. *Augusti* 1655. *quo injungitur nullo modo Vicario Generali competere honorificam associationem Clericorum, et Beneficiatorum, aut ministrationem Aspersorii per Canonicum*. Et ita rescripsit. *Die* 17. *Julii* 1830.

4514. URBIS.

Quum Sanctissimus Dominus Noster Pius VIII. Pontifex Maximus ad preces Emi Cardinalis in Urbe Vicarii sub die 8. Maii currentis Anni inter cetera Officia, extenderit ad Clerum Saecularem Urbis, nec non ad Regulares utriusque sexus Kalendario Romano utentes Officium Sanctissimi Redemptoris instar concessionis jam factae Clero Venetiarum, recitandum decimo Kalendas Novembris, nonnulla subinde exorta sunt Dubia, praesertim ex parte eorum Regularium, qui illud Officium ex peculiari Indulto juxta praedictam concessionem Dominica Tertia Mensis Julii recitabant pariter cum Octava. Dubia autem Sacrorum Rituum Congregationi enodanda proposita sunt sequentia, nimirum

1. An qui ex Apostolico Indulto Officium recitant Sanctissimi Redemptoris Dominica Tertia Julii sub ritu duplicis secundae Classis cum Octava, teneantur illud iterum recitare die 23. Octobris?

2. An illud Officium omittere debeant die 23. Octobris, quum recitaverint Dominica Tertia Julii?

3. Utrum debeant illud omittere eadem Dominica tertia Julii et recitare die 23. Octobris, sed quo ritu, et an cum Octava?

Sacrorum Rituum Congregatio ad Quirinale sub infrascripta die coadunata, ad relationem per me ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium factam, propositis Dubiis unica responsione occurrit, nimirum: *Officium Sanctissimi Redemptoris fiat tantum decimo Kalendas Novembris ad for-*

*mam nuperrimi Decreti diei* 8. *Maii currentis Anni*, *servato ritu*, *et forma juxta priores particulares concessiones*. Atque ita servari mandavit. *Die* 17. *Julii* 1830.

4515. AESINA.

In Bulla erectionis Collegiatae Ecclesiae loci Cuprae Montanae vulgo Massaecio intra fines Dioecesis Aesinae haec habentur: *Canonici Rocchettum cum suis Manicis*, *et Mozzettam violacei coloris tam in dicta Parochiali Ecclesia*, *quam extra eam* . . . . *quibuscumque Actibus*, *et Functionibus publicis*, *et privatis* . . . . *deferre*, *et gestare* . . . . . *libere et licite possint*, *et valeant*, *et quilibet eorum possit*, *et valeat*. Ex illimitata Bullae enunciatione usque ab Anno 1778., in quo Collegiata erecta fuit, Canonici cum Rocchetto et Stola Sacramenta Baptismi, Poenitentiae, et Eucharistiae administrare caeperunt, et Archipresbyter, qui est unica Collegiatae Dignitas, Rocchetto, Mozzetta, et Stola indutus Domorum benedictionem in Sabbato Sancto perficit. Hisce positis alter ex Canonicis Sacrorum Rituum Congregationi supplicavit pro declaratione; nimirum an stante illimitata concessione tum Canonici, tum Archipresbyter perseverare queant in invecta consuetudine.

Sacra autem Rituum Congregatio ad Quirinale sub infrascripta die in Ordinario Caetu coadunata, re mature, diligenterque perpensa, rescribendum censuit: *Negative et detur Decretum in una S. Mariae in Cosmedin Urbis diei* 19. *Junii* 1773. (1)

Et ita rescripsit, ac servari mandavit: *Die* 16. *Aprilis* 1831.

(1) Responsio S.Congregationis responsionibus est conformis alias datis tum *die* 12. *Julii* 1628., tum *die* 19. *Julii* 1773. cum simile huic Dubium fuit propositum, nec diverso potuisset modo respondere. Cum enim accuratae Rituum, et Rubricarum observationi S. Congregatio sit praeposita, quidquid abusum, vel novitatem redolet, debet reprobare, atque eliminare debet ex ipso suae Institutionis fine. Abusum autem, et novitatem praesefert consuetudo, quae in medium profertur, quaeque Sacrae Congregationi perpendenda proposita est, administrandi scilicet Sacramenta Baptismi, et Eucharistiae a Canonicis cum Rocchetto,et Stola, et domos benedicendi in Sabbato Sancto cum Rocchetto, Mantelletto et Stola ab Archypresbytero: praeter quod enim solum Rocchetum non possit haberi tamquam vestis Ecclesiastica, nec in Choro quis cum hoc tantum adesse possit, et Rocchettum cum Mozzetta sit habitus choralis tantum, nimis clara est Ritualis Rubrica: *De iis*, *quae in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt*, quae praecipit, ut Sacramenta administrentur cum Superpelliceo, et Stola: *In omni Sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus*, *et desuper stola*: Teneutur igitur Sacerdotes stolam et cottam induere dum Sacramenta administrant, et id ab hac Rubrica praecipitur (demptis casibus ab ipsa Rubrica notatis, qui locum in nostro casu nullum habent) quod etiam monitum fuit a S. Congregatione Episcoporum die 8. Novembris 1588. Si qui sunt, qui ex Concessione, usu

4516. BONONIEN.

Sacrorum Rituum Congregationem requisivit Emus, et Rmus D. Cardinalis Opizzoni Archiepiscopus Bononien. pro sequenti declaratione nimirum; Quum per Breve sa. me. Pii VIII. Sanctus Bernardus Abbas Claravallensis accenseatur inter Sanctos Doctores, an in Litaniis Sanctorum de Eodem mentio fieri debeat inter Sanctos Doctores, vel an retinendus inter Sacerdotes, et Levitas?

Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Quirinale sub infrascripta die habito respondendum censuerunt: *Nihil innovandum. Die 16. Aprilis* 1831.

4517. CASALEN.

Bmo Padre: Il Ceremoniere di Monsig. Vescovo di Casale di Monserrato Oratore Umo della Santità Vostra facendo lo funzioni di Calendarista dimandò, ed ottenne l' autorizazione a fissare i giorni ai Traslati per dar luogo a tutti i Santi occorrenti fra l' anno nel Calendario; ora ad onta della grazia ottenuta gli conviene lasciare in oblio molti dei Santi occorrenti non rimanendogli giorni liberi da poter loro assegnare. Supplica pertanto la Santità Vostra volerlo autorizzare o a celebrare come semplici i Santi di rito semidoppio, o a porre i Santi di rito semidoppio benchè traslati nelle Ottave non privilegiate. Che ec.

Sacra Rituum Congregatio ad Quirinale sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata rescribendum censuit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, et dentur Decreta. Die 16. Aprilis* 1831.

4518. MURANA.

Bmo Padre: Il Canonico Teologo Filippo Martuscelli Vicario Generale della Città, e Diocesi di Muro nel Regno di Napoli rispettosamente espone, che nel passato Gennajo insorse una questione di precedenza fra il Seminario, ed i Chierici fuori di esso nelle Processioni. L' Oratore all' appoggio del Decreto della Sacra Congregazione de' Riti in Andriensi: *Clerici Seminarii praecedant aliis Clericis*: e del Ceremoniale de' Vescovi, che situa i Seminaristi immediatamente avanti i Curati, e della prat-

gaudent Rocchetti, et Mozzettae his uti nequeunt in administrandis Sacramentis, pro quorum administratione taxative vestis praescribitur a Rubrica, ut vidimus, sed illis tantum uti possunt in Choro, in Processionibus, et Functionibus omnibus, in quibus habitum choralem induunt. Hinc enunciatio Bullae, quae illimitata dicitur, suos utique habet limites nempe *Functiones publicas et privatas* respicit, quae collegialiter sive in Ecclesia, sive extra peraguntur, et hic habitus toti Collegio, non singulis est concessus, exclusa tamen semper Sacramentorum administratione, in qua unusquisque eam debet vestem induere, quae pro hac est a Rubrica praescripta. Non igitur illimitata est Concessio, sed illimitata potius, et nimis libera, et contra Rubricae praescriptum illius interpraetatio, ex qua abusus est exortus, quem Sacra Congregatio dato Decreto, et confirmatis aliis jam super hac re existentibus, eliminandum esse censuit.

tica di altre Cattedrali, e prendendo in considerazione che il corpo deve precedere a degl' individui particolari, ed in picciol numero a fronte del Seminario, nel passato Febraro decretò a favore del Seminario sopra gli altri Chierici non Sacerdoti, e che non hanno nella Cattedrale alcun Beneficio, anche sul riflesso che i detti pochi Chierici non hanno a favor loro una legittima consuetudine. Il supplicante però a quiete, e tranquillità propria implora l' oracolo della Santità Vostra. Che ec.

Sacra Congregatio Rituum ad Quirinale sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata rescripsit: *Serventur omnino Decreta in Rodigien. Dioecesis Andrien. diei* 21. *Martii* 1620., *et in Pennen. diei* 1. *Martii* 1636. *praecedentiam nimirum competere Clericis Seminarii*. *Die* 16. *Aprilis* 1831.

4519. SARZANEN.

Sacrorum Rituum Congregationi sequens Dubium enodandum proposuit unus ex Parochis Dioecesis Sarzanen. nimirum:

Utrum in die Sabbati Sancti post Missam Solemnem de die liceat celebrare Missam solemnem de Requie in die depositionis, praesente Cadavere?

Sacra Congregatio Rituum ad Quirinale sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata rescribendum censuit: *Negative*. *Die* 16. *Aprilis* 1831.

4520. MARSORUM.

In suo pastorali munere exercendo Rñus Marsorum Episcopus quamplurima animadvertit ad ritus, et coeremonias spectantia, quae potius privatam interpretationem redolerent, quam servarentur juxta leges Coeremonialis, et Rubricas; atque ut hunc privatum sensum de medio tolleret, et ab universo suae Dioecesis Clero quoad omnia idem ordo eademque agendi ratio exquiretur, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia Liturgica enodanda proposuit.

1. Si Episcopo detur facultas conferendi Ordines Sacros diebus festivis, potestne illos conferre in diebus Apostolorum, ceterisque per Apostolicam Sedem abrogatis? hisce autem diebus licet ne conferre etiam Ordines minores?

2. In Ordinatione Clericorum antequam Tonsurandi nominatim vocentur a Notario, debet ne Archidiaconus eos invitare dicens: *Accedant*, *qui promovendi sunt ad Tonsuram*?

3. In collatione primae Tonsurae legitur in Pontificali: *Quilibet quum tondetur dicit*: *Dominus pars etc*. Haec verba suntne proferenda etiam ab Episcopo?

4. Pontificale praescribit quod, completa Ordinatione, Ordinati, suggerente Archidiacono, recedant ad loca sua, Quibus verbis uti debet Archidiaconus hisce occasionibus?

5. Quando Ostiarius, Archidiacono comitante, claudit, et aperit fores Ecclesiae debet ne claudere, et aperire etiam cum Clavi, praesertim si in foribus Oratorii, ubi confertur Ordo, non adsit Clavis?

6. *Amen* quod Pontificale praescribit respondendum in traditione vel materiae, vel sacrorum indumentorum in Ordinatione, dicendum est ab ipso Ordinando, vel ab adstantibus?

7. An Ordinatis Episcopo Candelam offerentibus post Offertorium, tolerari possit usus, ut una tantum Candela accendatur, quae a singulis Ordinatis Episcopo offeratur?

8. In ordinatione unius Subdiaconi legitur in Rubrica; *Quatuor Candelabra cum Cereis etc.* Quot ergo Candelae in Altari sunt accendendae, si Missa ordinationis non fiat in cantu?

9. Pariter si Missa Ordinationis non fiat in cantu, Subdiaconus, et Diaconus debent ne cantare, vel legere Epistolam, et Evangelium, et quando?

10. Diaconi, et Subdiaconi in sacra ordinatione quando dicere debent *Confiteor* ante, vel postquam communicati sunt Presbyteri?

11. Si ordinatio Presbyteri fiat in cantu, Praefatio et alia, quae cantantur ab Episcopo, quomodo dicenda sunt ab Ordinatis?

12. In Pontificali legitur: *Ordinati ad Praesbyteratum dicant Evangelium in fine Missae*: Dicere ne debent una cum Episcopo ad suam sedem redeuntem, an ex se solis?

13. Quando sermo post Evangelium sit habendus legitur in Coeremoniali lib. 1. cap. 27. num. 3.: *Concionatori Indulgentias petenti, Episcopus concedit Indulgentias consuetas*: Quibus eas verbis concedere debet?

14. Finito sermone praescribit idem Caeremoniale ibidem cap. 25. num. 1.: *Diaconus qui cantavit Evangelium stans ante infimum, vel in supremo gradu Altaris . . . . cantat Confessionem*: In libro 2. vero cap. 39. num. 1. legitur: *Statim finito sermone Diaconus stans ante infimum gradum solii . . . . cantabit Confessionem*. Quaeritur primo: An liberum sit Diacono in Confessione cantanda stare vel ante infimum gradum solii, vel in supremo, aut in infimo gradu Altaris? Quaeritur secundo: An dicta benedictio semper danda sit ab Episcopo etiam quando, finita Missa, debet dare Benedictionem Papalem? Quaeritur tertio: An si Episcopus assistat cum Cappa debeat stare cum Bireto, an sine dum cantatur Confessio? Quaeritur quarto: An si Episcopus assistat cum Cappa debeat stare cum Bireto, an sine dum a Presbytero assistente incensatur?

15. Dum Episcopus Missae per alium cantatae assistens Missam cum Celebrante incipit ante infimum gradum Altaris, Praesbyter assistens, et Diaconi assistentes ubi stare, et quid agere debent?

16. In Communione Ordinandorum si communicentur etiam Ordinati in Minoribus Episcopus uti ne debet forma: *Corpus Domini Nostri Jesu Christi custodiat Te in vitam aeternam*: an dicere: *custodiat Animam tuam?*

17. Praestita a Praesbytero ordinato in fine Missae obedientia, Pontificale Episcopo injungit ut eum osculetur. Quomodo ista deosculatio est facienda?

18. Coeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 20. injungit Episcopo, ut memoriam habeat praedecessoris sui proxime defuncti: Quid faciendum, si proximus Praedecessor translatus sit ad aliam Ecclesiam?

19. An Episcopus semper debeat manu benedicere Canonicis, caeterisque de Clero, qui in sacris functionibus ei reverentiam faciunt?

20. Quum Episcopus diebus festivis applicare debeat pro ovibus suis, quaeritur, an Episcopo hisce diebus pontificaliter celebrante, Canonici debeant Missam Conventualem pro Benefactoribus cantare, et quando?

21. Debent ne Episcopi, et Sacerdotes Concionem habentes adhibere Stolam?

22. Episcopi tenentur ne ad applicationem Missae pro ovibus post adeptam possessionem, an statim ac electi sunt in Consistorio?

23. Vicarii Capitulares tenentur ne ad hanc Missae applicationem, Sede vacante?

24. Coeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 28. injungit Episcopo aegrotanti, ut antequam communicet, profiteatur Catholicam Fidem ex formula ab Apostolica Sede praescripta. Quaeritur quae sit ista formula?

25. Cadavera Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, aliorumque de Clero debent ne sepeliri cum vestibus proprio Ordini congruentibus, an sufficit ut cum his in Ecclesia exponantur?

26. Canonici habentes usum Rocchetti, et Cappae, seu Mozzettae, quo habitu debent concionari, Confessiones excipere, baptizare, aliaque Sacramenta ministrare tam in propria, quam in aliena Ecclesia, et Dioecesi?

27. In festis solemnibus, quae occurrunt in Feriis Quadragesimae licet ne continuare usum canendi Missam de Feria post Tertiam, et Missam de Festo, cui assistit Episcopus, post Nonam circa meridiem, an aliter faciendum?

28. Aliqui Rubricistae volunt quotiescumque Nomen Jesu nominatur in Missa, vel dicitur Gloria Patri, vel acceditur ad medium Altaris, vel ab ipso receditur, Caput Cruci esse inclinandum: alii sentiunt hujusmodi inclinationes tunc tantum faciendas, quum a Rubrica praescribuntur. Quaeritur quando hujusmodi inclinatio sit facienda?

29. Quum Rubrica clare non loquatur, quaeritur quando in Missa, et in Officio facienda sit reverentia simplex, quando mediocris, et quando profunda tam in Sacristia, quam in Altari?

30. Aliqui Rubricarum expositores dicunt, post signum Crucis, quod fit in fine Gloria in excelsis, Credo, et Sanctus manus esse jungendas, etiam si nihil hujusmodi praescribat Rubrica. Rectene?

31. In Oratione *A cunctis* ad litteram N. juxta Decretum hujus Sacrae Rituum Congregationis 26. Januarii 1793. nominandus est Patronus, seu Titularis proprius Ecclesiae, in qua celebratur. In Canone Missae ubi dicitur *et pro Antistite nostro* N. juxta Rubricam titulo 8. n. 2. nominandus est Episcopus loci, in quo celebratur etiam a Sacerdotibus alienae Dioecesis. Ex his et Rubricae, et citati Decreti verbis videtur posse

inferri celebrantem in altera Ecclesia, non Missam suae Ecclesiae, sed Missam, quae celebratur in illa aliena Ecclesia recitare debere. Quum vero variae circa id sint Sacrae Rituum Congregationis decisiones, et varia Rubricistarum placita; quaeritur 1. quae Missa celebranda sit a sacrum facientibus in aliena Ecclesia vel Oratorio privato? 2. An Patronus nominandus in dicta Oratione *A cunctis* intelligi debeat Patronus principalis loci, et quid si plures sint principales Patroni? 3. Qui nominandus sit ad litteram N. si Patronus vel Titularis jam nominatus sit in illa Oratione, aut de eo celebrata sit Missa?

32. Rubrica Missalis titulo 8. postquam num. 9. dixit quod Subdiaconus ante medium Altaris sustinere debeat Patenam, num. 11. praescribit ut *ad Sanctus* accedere debeat cum Diacono ad Altare ad dicendum *Sanctus* etc. An tollerandus usus earum Ecclesiarum, in quibus Subdiaconus non accedit?

33. Ubi cantus Chori non producitur usque ad elevationem Hostiae: *Benedictus qui venit etc.* cantari debet post elevationem, an immediate post primum *Hosanna in excelsis*?

34. An festum Titularis Cappellarum publicarum, et Oratoriorum, quae existunt in Aedibus Episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus, domibus Regularium, domibusque privatis celebrari debeat sub ritu duplicis primae Classis cum Credo, et Octava? Nam Oratoria publica vocautur etiam Ecclesiae?

35. Si alicui Ecclesiae consacratae nullus Clerus sit addictus, debet, aut potest Clerus Ecclesiae Parochialis, intra cujus fines Ecclesia illa existit, recitare Officium, Missamque celebrare in Anniversario dedicationis Ecclesiae cum Octava?

36. In Cathedralibus, Collegiatis, et Parochialibus Ecclesiis Crux Altaris, in quo Missa Conventualis vel Parochialis celebratur, tegi ne debet ipsa Dominica Passionis post Evangelium, an Sabbato praecedenti? Dicitur enim in Cappella Pontificia post Evangelium in Dominica Passionis tegi.

37. In Ecclesiis in quibus non solet quotidie Missa decantari, vel adest solus Parochus, quum Rubrica clare non loquatur, quaeritur quae Missa legenda sit in Processione Sancti Marci, ac Rogationum minorum praesertim si occurrat Officium duplex?

38. In benedictione Candelarum, Cinerum, et Palmarum dicit Rubrica Missalis: *Ter aspergit . . . . aqua benedicta . . . . ter adolet incenso*; et sic legitur in Coeremoniali Episcoporum. Item Rituale Romanum in Rubrica de exequiis dicit: *circumiens feretrum . . . . aspergit corpus defuncti, et corpus incensat ut asperserat*: Similia leguntur in Coeremoniali Episcoporum. Nihil autem dicitur an praedictae aspersiones, sicut et aspersio, quae fit diebus Dominicis, faciendae sint cum Aspersorio per modum Crucis ut praescribitur in Rituali Romano pro benedictione Mulierum post partum, an alio modo. Similiter iis in Locis, sicut et in thurificatione Sanctissimi Sacramenti expositi, Crucis, Reliquiarum, Alta-

ris, et Evangeliorum in Missa solemni nil dicit Rubrica, an tres thuribuli ductus debeant esse simplices, an duplicati. Quaeritur quomodo facienda sit tam aspersio, quam thurificatio, quum praxis videatur arbitraria?

39. Officia concessa alicui Regno, Nationi, Dioecesi, Civitati, aut Oppido si ob occursum aliorum Festorum celebrari nequeant diebus assignatis sunt ne trasferenda?

40. Si Officium, quod die fixa celebratur in aliqua Dioecesi per Sedem Apostolicam ad aliam Dioecesim extendatur, potest aut debet celebrari eadem die, amoto Officio Ecclesiae universalis? Et in casu negativo, quid faciendum si talis amotio ab annis jam facta fuerit?

41. Civitates, et Oppida, quae jam habent Patronum principalem debent ne aut saltem possunt continuare celebrationem Protectoris principalis Dioecesis sub ritu duplicis primae Classis cum Octava, et cum obligatione utriusque praecepti ex consuetudine?

42. Quum duo vel plures Officium Divinum privatim recitant debent ne ad *Confiteor* omittere verba illa *vobis fratres*, et *vos fratres: misereatur tui*, et *misereatur vestri*, sicut quando unus tantum illud recitat?

43. Aliqui in recitatione Divini Officii tam in Choro, quam privatim Signum Crucis sibi efformant, pectus percutiunt, caput detegunt, et se inclinant etiam in his locis, in quibus Rubrica, nec Missalis, nec Coeremonialis id praescribit. Quaeritur ergo quando haec omnia sint facienda tam in publica, quam in privata Divini Officii recitatione?

44. Preces feriales, et Antiphona finalis Beatae Mariae Virginis non solum in Choro, sed etiam in privata Officii recitatione, flexis genibus sunt ne recitandae? An vero damnandi, qui in privata recitatione hanc genuflexionem omittunt?

45. Juxta Rubricam Breviarii tit. 36. num. 3. et Decreta Sacrorum Rituum Congregationis die 7. Septembris 1816. et 25. Augusti 1818 Antiphona finalis Beatae Mariae Virginis praeter tempus Paschale dici debet stando omnibus diebus Dominicis infra Annum a primis Vesperis Sabbati usque ad occasum Solis ipsius Dominicae. Quaeritur ergo 1. a qua hora Sabbati incipiant primae Vesperae tam in Quadragesima, quam aliis Temporibus. 2. An hic occasus Solis possit intelligi usque ad crepusculum vespertinum more Indulgentiarum. 3. An a primis Vesperis Sabbati usque ad occasum Solis in Dominica semper standum sit etiamsi non recitetur Officium Dominicae, sed vel Sabbati, vel feriae secundae. 4. Utrum sit genuflectendum, si post occasum Solis Officium Dominicae recitetur?

46. An Octava cujuscumque Festi Domini Nostri Jesu Christi occurrens cum duplici majori, vel minori debeat habere Vesperas integras uti fit in Octava Ascensionis, Corporis Christi, et uti declaratum fuit a Sacrorum Rituum Congregatione die 13. Septembris 1704. pro Octava Sanctissimae Trinitatis?

47. Varia sunt Officia, quae Hymnos proprios habent. Si quis Hymnus neque in Vesperis, neque in Laudibus possit recitari, potest ne,

aut debet uniri Hymno Nocturni, uti fit in Festo Sanctae Martinae, ad hoc ut omnes Hymni proprii recitentur?

48. In Festo Sanctae Pulcheriae in aliquibus Breviariis Lectiones primi Nocturni assignantur de Virginibus, in aliis de Scriptura occurrente. Quaeritur quae sint recitandae, si in Breviariis ipsis nulla reperiatur concessio?

49. In aliquibus Breviariis, et Missalibus Orationes Sancti Juliani, Sancti Fidelis, Postcommunio Sancti Joannis Nepomuceni, Sancti Bernardini, Sancti Hieronymi Aemiliani, Sanctae Joannae Franciscae, Postcommunio Sancti Januarii, Octavae Passionis Domini Nostri Jesu Christi, Feriae quartae post Dominicam secundam Quadragesimae in Vesperis concluduntur: *in unitate Spiritus Sancti*: quaeritur an nomen *Spiritus* quod in iis Orationibus legitur indicet revera Spiritum Sanctum, et quomodo sint concludendae?

50. Quando quis caussa itineris, vel studii, vel aliis de caussis extra Patriam, sive Dioecesim versetur, debet ne recitare Officium sui Capituli, Ecclesiae, et Beneficii, vel etiam simpliciter Dioecesis, an vero Officium illius Loci, in quo reperitur?

51. Quando Celebrans genuflectit ante Altare Sanctissimi Sacramenti tam expositi, quam in Tabernaculo reconditi, debet ne genuflectere in plano Presbyterii, an in infimo gradu Altaris?

52. Quum Celebrans coram Sanctissimo Sacramento exposito debeat thurificare, et lavare manus extra Altare, debet ne stare in plano Presbyterii, an in supremo gradu Altaris?

53. Genuflexio, quae fit coram Sanctissimo Sacramento exposito tam in Missa, quam in oratione Quadraginta Horarum, ceterisque Functionibus quando fieri debet unico genu, et quando utroque tum a Celebrante, tum a Ministris, vel alio qui exponit, et reponit?

54. Potestne continuari usus illarum Ecclesiarum, quae pro colore tam albo, quam rubro, viridi, et violaceo utuntur paramentis vel flavi coloris, vel mixtis diversi coloris floribus? praesertim si colores a Rubrica praescripti in floribus reperiantur. In Rubrica Missalis Fratrum Ordinis Praedicatorum num 6. legitur: *In diebus vero illis solemnibus .... uti possumus pretiosioribus paramentis cujuscumque sint coloris, dummodo non sint nigri*.

55. Anniversaria, quae celebrantur a Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus etc. pro omnibus in genere Canonicis, Confratribus etc. defunctis possunt ne celebrari, si in illis diebus occurrat Officium duplex?

56. In aliquibus, multisque Altaribus Deo, Beatae Virgini Mariae, aut alicui Sancto dicatis apponi solent vel stabiliter, vel occasione festorum Imagines alterius Sancti. Quaeritur 1. an Visitantes hujusmodi Altaria lucrari possint Indulgentias concessas visitantibus Altaria postremi hujus Sancti? Quaeritur 2. an ratione harum Imaginum in eorum Festis addi possit Credo in Missa? Quaeritur 3. an in eorum Festis celebrari

queat Missa de his Sanctis etiamsi in Kalendario Dioecesano non sint descripti, sed considerentur, ut Simplices?

57. Sunt multi Hymni qui habent conclusionem propriam: Conclusio ista semper ne adhibenda est etiam in Completorio?

58. Stante antiqua consuetudine potest ne permitti ut Statua Virginis Dolorum possit exponi in Altari Feria Sexta post Dominicam Passionis: et deferatur cum Christo mortuo in Processione, quae fieri solet Feria Sexta in Parasceve?

59. Crux quae Feria Sexta in Parasceve est detegenda, et adoranda debet ne esse lignea, an potest esse etiam de metallo, praesertim si in ea lignum verae Crucis includatur?

60. In ultimo majoris Hebdomadae triduo removenda ne est a vasis Ecclesiae aqua benedicta?

Et eadem Sacra Congregatio ad Vaticanum sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata ad relationem Emi, et Rmi Domini Cardinalis Petri Francisci Galleffi Ponentis, exquisita prius alterius ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris sententia, scriptis pandita, praeloque cusa, omnibus mature libratis, ac rite perpensis rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative ad primam partem, et etiam ad secundam sed mane tantum.*

Ad 2. *Potest juxta morem generalem.*

Ad 3. *Proferat juxta morem.*

Ad 4. *Ad loca vestra, vel similibus.*

Ad 5. *Non est stricte necessarium.*

Ad 6. *Juxta consuetudinem ab Ordinando.*

Ad 7. *Affirmative.*

Ad 8. *In Ordinatione privata possunt accendi quatuor Cerei ut in Rubrica, sed in Ecclesia, et publica Ordinatione septem ut in Missa Pontificali.*

Ad 9. *Legant dum Episcopus legit.*

Ad 10. *Post Communionem Presbyterorum.*

Ad 11. *Sine cantu legenda.*

Ad 12. *Una cum Episcopo.*

Ad 13. *Satis est ut dicat numerum dierum.*

Ad 14. *Ad Quaestionem 1. Negative, sed stabit ante gradum Solii celebrante Episcopo, ante gradum Altaris, assistente tantum Episcopo. Ad Quaestionem 2. Negative quando in fine impertienda est Populo Papalis Benedictio. Ad Quaestionem 3. Juxta Coeremoniale capite cooperto. Ad Quaestionem 4. Sine Bireto.*

Ad 15. *Presbyter assistens cum aliis Canonicis, Diaconi vero assistentes a tergo Episcopi, et Celebrantis.*

Ad 16. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad 17. *Dextera vultus pars deosculanda est.*

Ad 18. *Illius Episcopi, qui decessit Cathedram tenens.*

Ad 19. *Danda est dum ascendit ad Thronum, vel ex eo descen-*

*dit, post Circulos, et quotiescumque Canonici collegialiter obsequium praestant Episcopo.*

Ad 20. *Hebdomadarius, vel is, cui onus inest Missae Conventualis, illam celebret lectam vel ante, vel post Missam Pontificalem.*

Ad 21. *Servandam esse immemorabilem consuetudinem.*

Ad 22. *Post adeptam possessionem.*

Ad 23. *Negative.*

Ad 24. *Eadem, quae a Cathedralibus, et Superioribus Ecclesiasticis, vel Beneficiatis curam Animarum habentibus observanda est.*

Ad 25. *Servetur cujusque Loci consuetudo.*

Ad 26. *Detur Decretum diei 31. Maii 1817. in una Dubiorum, nimirum tam intra, quam extra propriam Ecclesiam tenentur Canonici in Sacramentorum administratione Cappam, vel Mozzettam deponere, et assumere Superpelliceum et Stolam. Si Concionem habeant in propria Ecclesia Cappa vel Mozzetta utantur, non item extra.*

Ad 27. *Negative, sed Rubricae servandae quoad horam Solemnis Missae in Choro.*

Ad 28. *Serventur Rubricae.*

Ad 29. *Patebit ex Rubricarum collatione.*

Ad 30. *Serventur Rubricae.*

Ad 31. *Ad Quaestionem 1. Servetur Decretum in una Varsavien diei 7. Maii 1746. nimirum Missam concordare debere cum Officio quod quisque recitavit, dummodo cum colore Ecclesiae, in qua celebrat, aptetur. In Oratorio autem privato semper concordare debet. Ad Quaestionem 2. Nominandus Titularis Ecclesiae. Ad Quaestionem 3. Si jam fuerit nominatus, omittenda nova nominatio.*

Ad 32. *Servetur cujuscumque Loci consuetudo.*

Ad 33. *Cantari debet post elevationem.*

Ad 34. *Negative.*

Ad 35. *Juxta Decretum in una Urbis diei 5. Octobris 1679. Negative.*

Ad 36. *Serventur Rubricae, nimirum tegendas esse Cruces, et Imagines in primis Vesperis.*

Ad 37. *Si fiat Processio legenda est Miss Rogationum; secus de Festo cum commemoratione earumdem.*

Ad 38. *Serventur Rubricae, et praxis communis.*

Ad 39. *Juxta Decreta alias edita vel omittenda, vel imploranda facultas transferendi.*

Ad 40. *Negative ad primam partem, iterum supplicandum quoad secundam.*

Ad 41. *Affirmative ad primam partem, seu continuationem Officii, negative quoad secundam, seu quoad obligationem utriusque praecepti juxta Decreta alias edita.*

Ad 42. *Possunt, et non debent.*

Ad 43. *Serventur Rubricae.*

Ad 44. *In Choro tantum juxta Rubricas*.

Ad 45. *Serventur Rubricae, et ad quaestionem primam consulantur Theologi: ad quaestionem secundam affirmative; ad quaestionem tertiam, affirmative: ad quaestionem quartam, negative*.

Ad 46. *Serventur Decreta*.

Ad 47. *Affirmative, si Hymni sint historici, secus negative*.

Ad 48. *Deficiente speciali concessione serventur Decreta in Santandarien. diei 26. Januarii 1793. et in Valentina 19. Septembris 1801. nimirum Lectiones de Scriptura legendas*.

Ad 49. *Negative ad primam partem; ideoque quoad secundam more solito concludendae*.

Ad 50. *Beneficiarii tenentur semper ad Officium propriae Ecclesiae, simplices vero Sacerdotes conformari possunt Officio Loci, ubi morantur*.

Ad 51. *Serventur Rubricae, sed in accessu, et recessu in plano est genuflectendum: in infimo autem gradu Altaris quoties genuflectere occurrat*.

Ad 52. *Servetur consuetudo; dummodo caveat, ne terga vertat Sacramento*.

Ad 53. *In accessu, et recessu utroque genu, intra Missam unico genu: pro reliquis functionibus consulantur Rubricistae*.

Ad 54. *Servetur strictim Rubrica quoad colorem Paramentorum*.

Ad 55. *Negative juxta Decreta praesertim in Corduben diei 5. Decembris 1733*.

Ad 56. *Circa quaestionem primam: si Altaria sint consecrata negative, secus affirmative, dummodo fiat de licentia Ordinarii. Circa quaestionem secundam, negative: Circa quaestionem tertiam, negative*.

Ad 57. *Negative, sed tantum in Festis Domini, et Beatae Mariae Virginis*.

Ad 58. *Juxta Decretum in Bergomen. diei 21. Martii 1744. permitti potest*.

Ad 59. *Servetur Rubrica Missalis, vel laudabilis consuetudo*.

Ad 60. *Affirmative, ac retinenda consuetudo illam amovendi*. (1)

Atque ita decrevit, et servari mandavit. *Die 12. Novembris 1831*.

(1) Nulla positiva Lege, nullo Rubricae praecepto, sed e praxi tantum removetur a Vasis prope Ecclesiarum fores Aqua Benedicta ultimo majoris Hebdomadae triduo. Hinc haec consuetudo suos habet adversarios, tum quia ab Alexandro I. sancitum fuit: *ut aqua benedicta sale admixta perpetuo in Ecclesia asservetur*; tum quia Ritualis Romani Rubrica praescribit, ut aspergantur aqua benedicta infirmi, quibus SSmum Viaticum, extraemae Unctionis Sacramentum hoc triduo administrari contigerit, et aqua pariter benedicta aspergi debeant Defunctorum cadavera, quae tribus his diebus efferuntur: quibus supponi debet aquam benedictam in

4521. PISTORIEN.

Clerus Saecularis Pistorien Civitatis Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit.

1. Quum ex Sacrorum Rituum Congregationis Indulto die Vigesima Septembris Missa Solemnis celebretur propria Beatae Mariae Virginis sub

Ecclesiis reperiri. Aliam quoque addunt animadversionem, quam ex Rubricis Missalis in die Sabbathi Sancti desumunt, quae agens de benedictione ignis, et incensi praescribit aquam benedictam adhiberi: *dicta Nona Sacerdos adstantibus Ministris, cum Cruce, et aqua benedicta .... et deinde praedicta grana incensi et ignem ter aspergit aqua benedicta*. Inferunt hinc Aquam benedictam in Ecclesiae Vasis existere debere, ac proinde etiam inferunt hi, quos inter praesertim *Cavalerius Tom. 4. dub. 9. num.* 11. hanc consuetudinem esse *contra morem, qui est ut habeatur in vasis prope Ecclesiae fores, et contra Statuta*, quia in Breviario ad diem 3. Maji Alexander decrevisse dicitur, ut aqua benedicta sale admixta perpetuo servetur in Ecclesia, demum *contra finem*, quia apponitur, ut Fideles Ecclesiam ingredientes, statim aspergi valeant, et a levioribus noxis mundari. Haec proferunt, qui stant pro aquae reservatione in vasis prope fores Ecclesiae hoc triduo. Verum tanti non sunt ponderis hae rationes, ut proscribenda sit consuetudo aquam ab Ecclesiae vasis removendi, ut Cavalerius vellet. Et sane quod spectat ad perpetuam in Ecclesia aquae benedictae asservationem, quae decreta dicitur ab Alexandro I., haec perpetuitas non tollitur per triduanam tantum illius remotionem; quemadmodum non tollitur aliquid faciendi consuetudo, si semel iterumque, et tertio faciendum omittitur, quod fieri ex consuetudine solet. Quod pertinet ad incensi, et ignis benedictionem, possunt haec benedici, quemadmodum revera benedicuntur cum aqua alio in loco, praeterquam in Ecclesiae vasis asservata. Alexander enim I. non praecipit perpetuam (quam haud tolli vidimus) asservationem in vasis, ita ut perpetuitas cesset, si in vasis desit, sed in Ecclesia. Hac ipsa aqua, nempe in alio reservata loco infirmi, et defunctorum cadavera possunt aspergi. Quod spectat ad intentionem, seu finem Ecclesiae, qui est, ut Fideles Ecclesiam ingredientes statim aspergi possint, et sic a levioribus noxis mundari, neque haec ratio ab hoc fine desumpta officit consuetudini aquam hoc triduo a vasis amovendi, quin immo probari aliquo modo potest remotionem aquae, quae hoc triduo ex consuetudine viget, sin minus Ecclesiae institutioni non adversari, et religiosum saltem quemdam et peculiarem ritum mysterio certe non vacuum continere, quod non admittit Cavalerius, qui etiam consuetudinem hanc proscribendam putat, quod nullum mysterium exhibet. Mysterium quidem fateor nullum in se continet haec aquae remotio, sed quin haec aquae remotio conformis aliquo modo est mysteriis, quae Ecclesia his diebus in Fidelium mentes revocat, idcirco mysterium inest in hac remotione, quia ad mysteria recolenda nos vocat, adeoque hic usus non improbandus, cum et Fidelibus pecu-

titulo *Humilitatis*, etiam si occurrat aliud Officium ritus duplicis, quaeritur an occurrente praedicta die Officio Dolorum Beatae Mariae Virginis, aut die Octava; Missa cum cantu celebrari debeat de *Humilitate*, aut Dolorum?

liarem ritum mysteriis, quae celebrantur, consonum offerat, neque damnandus ut novus aut sine auctoritate retentus, cum et ab immemorabili retineatur consuetudine, et sciente, inspicienteque Supremo Ecclesiae Capite, ac Rectore peragatur. Nemo quod sciam ex Auctoribus, qui hanc aquae remotionem defendunt, animadvertit, quod mox mihi animadvertendum esse puto, sed levibus rationum momentis usi sunt. Jam libeat haec mihi animadvertere ex ipsa, ut inui, Ecclesiae institutione, ex quibus consequens erit indicatum superius locum ab Ecclesia diversum pro asservanda aqua ad varias ignis, incensi, Infirmorum benedictiones admittendum, esse, aut saltem non improbandam.

Aquae benedictio non una, sed multiplex est in Ecclesia, sicuti et multiplex est diversis exorcismis, diversis precibus, diversis invocationibus, vel rerum diversarum infusionibus, aquae benedictae usus, ad finem aeque diversum, quam Ecclesia intendit et statuit. Inter has vetustissima illa est, quae singulis Dominicis diebus ab Ecclesia peragitur, qua Fideles, aliaque asperguntur, quamque ipsi in mundis vasculis domum etiam asportare ad Religiosos usus a veteribus temporibus consueverunt. Habuerunt et Ethnici aquam suam lustralem, et piacularem, ut constat ex ipsis prophanis Auctoribus, qui referunt adeuntes Templa aqua aspergi consuevisse, ut ab anteactis culpis purgarentur, et mundi sese Diis suis licet falsis praesentarent. Hanc Ethnici ab Haebreis usurparunt, et sicut illi ab his acceperunt, depravantes tamen quod habetur in *lib. Numerorum cap.* 19. de aqua lustrationis et expiationis, ita et nos Christiani aquam adhibemus sanctificatam per Verbum Dei, et Orationes, et sic sanctam reddimus. Quod Ethnici perverse, et superstitiose usurparunt ob finem diversum, ad quem dirigimus. *Quaedam sanctificamus*, ut ait Augustinus contra Faustum, *quae communia quodammodo cum illis habere videmus, quorum quaedam, Satan*, ut noverit Tertullianus *lib. de Praescriptionibus adversus Haereticos, tamqitam Dei symius, plenaque divina instituta aemulatus invenit*. Christiani itaque Aqua sanctificata utimur. Primis Ecclesiae saeculis fideles aqua baptismali utebantur, eamque priusquam in ea Chrysma infunderetur, domum deferebant, ut domos, vineas, campos, segetes aspergerent, eademque aute Chrysmatis infusionem in Ecclesia ipsa Fideles aspergebantur. Haec Fidelium aspersio in Ecclesia, nostris etiam diebus servatur. Nam in Missali Sabbatho Sancto Rubrica de Fontis benedictione, antequam Sacerdos infundat Oleum Cathecumenorum, praescribit, ut Sacerdotes adstantes aspergant: *Deinde per assistentes Sacerdotes spargitur de ipsa aqua benedicta super Populum*: quod in Ecclesiis, in quibus fit benedictio fontis baptismalis peragitur, servatur, et in Vaticana Basilica solemni quadam pompa haec fit super Populum aspersio. Insuper

2. An occurrente die tertia Octobris, in qua ex pervetusta consuetudine celebratur cum cantu Missa Beatae Mariae Virginis votiva de tempore, Solemnitate Sanctissimi Rosarii, Missa decantari debeat de Sanctissimo Rosario, vel Votiva de tempore?

de hac aqua ex Rubrica accipitur ad eam spargendam in domibus Fidelium, et aliis locis: *Et interim unus ex Ministris Ecclesiae accipit in vase aliquo de eadem aqua ad aspergendum in domibus, et aliis locis*: quae aqua in vasis etiam prope Ecclesiae fores existentibus infunditur. Licet hic mos apud nos servetur, et a Rubrica praescribatur, interdictum aliquando fuit, ut Fideles hac baptismali aqua aspergerentur; quia per errorem putabant nonnulli se iterum a peccatis omnibus mundari, quemadmodum et alia quaedam ob aliquem irreptum errorem fuerunt interdicta, inter quae lotio capitum Cathecumenorum antequam Baptisma susciperent Sabbatho Sancto, quae lotio peragebatur ad munditiam capitis ob Baptismi reverentiam in Dominica Palmarum, quae ab hac caeremonia Dominica in *Capitilavio* fuit quoque nuncupata. Abrogata fuit haec caeremonia, quia multi putantes hanc capitis lotionem ipsum esse baptisma, baptizari postmodum negligebant. Nil itaque mirum si haec quoque aspersio, de qua hic sermo est, fuerit olim interdicta. Sed Ecclesia uti sapienter omnia instituit, ita et sapienter quaedam diversis temporibus prohibuit, quae in bonum Fidelium initio statuta, Fideles ipsi vel ad proprium damnum, vel ad alium finem convertebant, ad quem pia Mater Ecclesia constituerat.

Praeterea quia eo usque hujus aquae, nempe fontis baptismalis ante Sacrorum Oleorum infusionem sacer usus devenit, ut tantae Fidelium multitudini, et ad diversos pios, ac religiosos fines adhibita non sufficeret, alia aquae benedictio instituta fuit, et ea est, quae singulis Dominicis diebus est peragenda, ut Fidelium pietati satisfieret. Sed hac etiam nova aquae instituta benedictione, duo excepta fuerunt pro hac, tempora, ea nempe, quibus fons baptismalis ex antiquissima Ecclesiae disciplina consecratur, et id statutum fuit ad indicandum fortasse hanc benedictionem ex illa aquae baptismalis originem habere, et huic illam fuisse suffectam, vel etiam ut adnotat Rupertus Abbas in memoriam lavacri regenerantis, quod et Durandus, morem hodiernum aeque ac veterem respiciens, aspergendi Fideles, ut Rubrica innuit, et nonnullorum veterum errorem advertit his verbis: *Non ut rebaptizemur, sed ut gratiam Divini Numinis cum memoria Baptismatis invocemus*.

Aqua haec benedicta, quae in Ecclesiarum foribus pro Fidelium usui prompta est, lotionibus etiam successit, quibus olim Christiani utebantur, antequam ad Ecclesiam accederent. Ad hunc morem respiciens S. Joannes Chrysostomus sic scribit *Homil.* 32. *in* Matthaeum: *In nonnullis Ecclesiis hunc morem corroboratum videmus, ut diligenter multi studeant quomodo lotis manibus, mundis induti vestibus in Ecclesiam ingrediantur; quomodo autem Animam suam puram offerant Deo nullam prorsus curam habeant*.

3. Quum Antiphonas majores Sacri Adventus praeintonare soleant Digniores de Choro, quaeritur an quando occurrit Officium feriale, in quo Antiphona major est illa Cantici Magnificat, praeintonari ipsa debeat ab altero ex Dignioribus juxta ordinem, vel ab Hebdomadario?

Pro his lotionibus apposita lavacra construebantur. Haec lavacra de antiqua Ecclesiarum forma ad disserendum me vocarent, sed non est hic longius quam par est, aut instituti ratio postulet in hac re pertractanda immorandum. Satis erit aliquid delibare, quod ad rem nostram opportunum, aut saltem non prorsus alienum videtur. Inter Ecclesiae partes, in quibus exteriora quaecumque apud veteres Christianos adnumerabantur, ut *atria*, *limites*, *perfugii loca*, *ac peristilia*, et ceu partes Ecclesiae haberi consueverant, illa erant, quae Nartex appellabatur, et duplex erat, una interior, exterior altera. In exteriori hac Nartice, sive exteriori Ecclesiae ambitu exteriora itidem atria includente, splendidum erat vestibulum primus *Introitus* nuncupatum, quod prior ejus pars erat, quae Porticibus persaepe circumsepta erat, et columnis undique extollebatur. In hujus areae medio *fons* erat sive per alios, *cisterna*, in qua Populus abluebatur priusquam Ecclesiam ingrederetur. De hac mentionem faciunt Auctores, quos inter *Eusebius*, qui *lib.* 10. *cap.* 4. sic scribit: *Hic Sacrarum expiationum signa posuit* (loquitur de Templo Paulini) *sive fontes ex adverso Ecclesiae extructos, qui interius Sacrarium ingressuris copiosos latices ad abluendum ministrent*. Paulinus Nolanus Episcopus quinque hos memorat, quos canthari nomine appellat. Jam fontes hi aquam simpliciter continebant nullo ritu, nulla benedictione, initio consecratam, qua Fideles materialiter abluebantur exterius, et hae lotiones ante Templi ingressum significativae tantum erant interioris munditiae quae esse deberet in Fidelibus Ecclesiam ingressuris, et sacris adfuturis actionibus. Nostra vero aqua, quae prope Ecclesiae fores reperitur nudum non est interioris munditiae signum, sed Ecclesiae exorcismis, ac precibus benedicta, et consecrata, unum est ex Sacramentalibus, et ad omnem immundi Spiritus infestationem abigendam instituta, terroremque venenosi Serpentis procul pellendum, ad omnes latentis inimici insidias praecavendas, eliminandasque, et praecipue ad Fideles a levioribus noxis liberandos, et ad delendas in illis veniales culpas positis requisitis dispositionibus, aliisque quae requiruntur. Haec itaque Aqua, fontibus, et cantharis ad simplicem manuum lotionem, quaeque in Nartice erant, lotionibus ipsis suffecta fuit, et tanta potiori ratione suffecta, quanto excellentiori fine adhibita, quanto venialium culparum delatio simplici, et materiali lotioni internae tantum munditiae significativae praestat. Ecclesia autem hanc in Templorum foribus aquam retinendam voluit ad Fidelium Templa ingredientium religiosum usum, ut puriores ingrederentur, et dignius incruento Sacrificio adstarent, mundioresque Divinae Majestati sese offerrent, et suas ad Deum preces mundiore funderent corde. Jam duo post haec animadvertenda sunt. Primum, cum praece-

Et eadem Sacra Congregatio ad Vaticanum sub infrascripta die in Orptum fuerit singulis Dominicis fieri aquae benedictionem, excepta duo tempora fuisse ob Fontis baptismalis, consecrationem. Cum autem inter haec adnumeretur Sabbatum Sanctum, et hac die Rubrica praecipiat aspergi Fideles ex ipsa aqua, antequam in ea Cathecumenorum Oleum infundatur; ex ipsa exceptione renovandi aquam sequitur supponi non immerito debere hac saltem die in Vasis prope Ecclesiae fores aquam benedictam usque dum Fontis baptismalis benedictio peragatur, non asservari. Praeterea hujus aquae institutionis multiplex est finis. Jam cum inter diversos fines is adnumeretur, ut Fideles puriori corde Sacro peragendo adsistant, patet ex hoc altera ratio, ob quam in foribus Ecclesiae hoc triduo licet non integro, non servetur haec aqua. Cum enim Feria VI. Sacrificium non celebretur, et ideo sit dies penitus aliturgicus, hinc nil mirum, si hac Feria VI. aqua benedicta memoratis in vasis non asservatur.

At reponet aliquis, quid de Feria V., quid de Sabbatho Sancto dicendum, si Sacrificii cessatio altera est ratio, ob quam ex consuetudine aqua benedicta removetur? In utroque enim die unicum quidem sed tamen Sacrum solemne peragitur, cui Fideles adsunt. Nihil omnino aquae remotioni haec animadversio officit. Nam quoad Feriam quintam in Agno Domini, hac die, quae dici certe nequit aliturgica, removetur aqua absoluto Sacrificio, dum Vesperae dicuntur, dum Altaria denudantur, verbo, dum tempus vere aliturgicum incipit, et luctus ob Christi mortem. Non deest igitur aqua, antequam eo die Sacrificium inchoetur, et ea uti possunt Fideles Ecclesiam ingredientes Sacrificio adfuturi. Quod vero pertinet ad Sabbathum Sanctum: haec dies esset pariter stricte aliturgica non secus ac antecedens Feria sexta, et Sacrum hoc mane per anticipationem peragitur; celebrari enim deberet nocte subsequenti; quemadmodum antiquitus celebrabatur, et ut ostendunt verba, quibus utitur Ecclesia in Oratione Missae *hanc Sacratissimam Noctem* et infra actionem: *Et noctem Sacratissimam celebrantes*: adeoque nil mirum, si mane aqua benedicta in Ecclesiae foribus non asservatur. Sed hoc omisso, quod quidem remotioni non officit, licet haec aqua non sit in vasis prope Ecclesiae fores dum Fideles Ecclesiam ingrediuntur, non deest tamen aspersio Fidelium antequam Sacrum peragatur. Nam juxta Rubricam, ut vidimus, baptismali aqua aspergendi sunt Fideles, antequam Catechumenorum oleum infundatur. Non deest aqua paullo post ingredientibus Ecclesiam, cum ex ipsa hac aqua ante olei Catechumenorum infusionem soleant Ecclesiae vasa impleri, uti de hac ipsa aqua Rubrica innuit: *In mundo aliquo vase per unum ex Ministris Ecclesiae esse accipiendam ad aspergendum in domibus, et aliis locis*: Et ita haec interpraetando Rubricae verba, Ecclesiae vasa ab Æditius, aliisque implentur: vel privatim quoque, solita aquae benedictio in Ecclesiis batismali fonte carentibus peragi solet, et hac ea impleri, cum Paschalis solemnitas jam per Coerei benedictionem, vel aut certe ab Ecclesiae Ministris Praeconii cantu est annuncia-

dinario Coetu coadunata omnibus mature perpensis, ac recte consideratis rescribendum censuit.

Ad 1. *Detur Decretum in una Bahien. diei 26. Januarii 1793. ad*

ta, et mox Resurrectionis Mysterium per anticipationem Fidelibus repraesentatur. Consuetudo itaque aquam benedictam ab Ecclesiae vasis amovendi non est contra Rubricam, cum nulla Rubrica id prohibeat, licet huic ritui *nulla*, ut inquit Cavalerius *adstipulatur Rubrica*. Non vacat mysterio aliquo; nam si per se nullum mysterium continet, ad ea saltem nos excitat, quae Ecclesia hoc triduo nobis consideranda offert: hac demum deficiente aqua benedicta, et in locis ab Ecclesiae vasis diversis asservata, benedici possunt, ac revera benedicuntur et novus ignis et Coereus, et infirmi, quibus ministratur Viaticum, et Extrema Unctio, et Defunctorum cadavera asperguntur. Secus dici deberet, quoties hae peragantur benedictiones, et aspersiones, aquam benedictam ad hos fines adhibendam necessario ex vasis Ecclesiae hauriri debere, et Ecclesiam ad hoc suos Ministros cogere, si his in casibus Aquam benedictam ex alio loco, aut vase, quam ex illis, quae prope Ecclesiae fores sunt, haurire contra Ecclesiae morem statuta, et finem esset, ut putat Cavalerius ipse, qui sane haud poterat inficiari morem, statuta, et finem Ecclesiae illum esse, ut Fideles in Ecclesia ingredientes ea sese aspergant, ac signent.

Sed habemus ipsum Cavalerium quodammodo sed involuntario confitentem, et praxim, quam citato paragrapho reprobat, adprobantem. Cap. XXI. de Sabbatho Sancto §. 12. haec habet: *Sacrista itidem, vel alius Minister infundit in aliud vas de aqua fontis* (antequam oleum Catechumenorum infundatur).... *et ex eadem aqua renovari consultius quoque erit vasa Ecclesiae*: inquit *renovari*: non inficior dici posse *renovari*, etiamsi paullo ante illa removeatur, quae erat in vasis praedictis. At removenda saltem erit, antequam Officium incipiatur? En igitur Fideles ingredientes sine aqua, qua se signent. Sed cum agit Cavalerius de ordine procedendi ad ignem benedicendum haec habet: *Praecedent tres Acolythi, quorum medius incedit deferens Vas aquae benedictae*. Quaeso undenam hausta est haec aqua? Non certe ex vasis Ecclesiae, quae supponuntur jam vacua, et illa quae prius nempe paullo ante in illis erat? Haud equidem possum admittere. Cum enim immunditiam et faeditatem ut plurimum habet ob Populi frequentiam, ob pulverem desuper cadentem, ob aliam etiam quamcumque rationem, indecens sane esset ea uti, et alia potius mundiori, ac puriori, adhibenda est, haec autem in casu alia esse non potest, nisi antea benedicta, et alio in loco a vasis Ecclesiae diverso asservata. At nullam habet vim postrema haec animadversio, haud sibi contradicat Cavalerius; semper tamen ex supra adnotatis, et ex aliis rationum momentis nec improbanda erit haec ultimo majoris Hebdomadae triduo quae viget, aquae remotio, neque proscribenda, ut vellet Cavalerius.

*secundum Dubium..., nimirum celebrandam esse Missam Festivitatis tamquam non votivam.*

Ad 2. *Ut in praecedenti.*

Ad 3. *Etiam non obstante consuetudine in casu, de quo agitur, Antiphonam praeintonandam esse ab Hebdomadario juxta praescriptum a Coeremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 3. et detur Decretum in una Tropejen. diei 24. Septembris 1605.*

Atque ita rescripsit, et servandum esse mandavit, *Die 12. Novembris 1831.*

4522. RHEDONEN, ET COENOMANEN.

Providentissimum consilium sa. me. Pii Papae VII., quo per suum a Latere Legatum in Galliis quinto Idus Aprilis 1804. adhibuit modum, et ordinem recolendi Reparationis Nostrae Divina Mysteria, Sanctorumque Festa celebrandi in ipsorum Festorum contractione sequenti Dominica, Indulti ejusdem finem assequutum esse facile quis sperare poterat, praesertim per subsequens Decretum sextodecimo Kalendas Augusti Anni 1830. a Sacrorum Rituum Congregatione datum, quo nonnullis Dubiis ab Rmo Rhedonensi Archiepiscopo propositis eadem super re omnia explanata fuere. Sed praeter spem quamplurimis novis Dubiis locum hoc dedit, quae dum de mandato ejusdem Sacrae Congregationis ab alterutro ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris judicio expendebantur, ut novae propositioni sterneretur via, alter supplex Libellus Rmi Coenomanensis Episcopi superadditus est, qui licet fateatur ad normam recensiti Decreti, quamvis inibi ignoti, eadem in Dioecesi festivitates fuisse celebratas in Dominicam proxime sequentem quoad omnia simul, nimirum quoad Officium sive publicum, sive privatum, et quoad feriationem cum earum integris Octavis, attamen quum certo sciat ipsum a Latere Legatum sua in responsione data ad Vicarium Generalem Archiepiscopi Mechlinien. undecimo Kalendas Julii ejusdem Anni 1804. qui super hoc ipso Indulti explanationem efflagitaverat, decrevisse quod Officia praedictarum festivitatum recitanda sint a Clero tam privatim quam publice in Ecclesiis, et Missa de iisdem festis dicenda in proprio suo die, et quod sola solemnitas praefatorum Festorum amandanda sit in Dominicam sequentem, in qua Officia quidem a Clero tam publice, quam privatim recitantur, ac Missa celebratur juxta consuetum ordinem servatum ante praedictam Festorum contractionem, et cantetur tamen una Missa Solemnis de Festo illo translato more votivo cum unica Oratione, merito sibi timendum exposuit ne praecedentes Episcopi Coenomanensis genuinum Indulti sensum pro reductione Festorum sint assequuti. Propatereaque pro suae conscientiae tranquillitate Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit.

1. Utrum sit in votis Sanctae Sedis Apostolicae, et Indulto diei 9. Aprilis 1804. sit consentaneum, ut Solemnitates Epiphaniae, Sanctissimi Corporis Christi, et Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, et Sanctorum Patronorum cujuslibet Dioecesis, et Paraeciae in Dominica proxime

sequentem in Gallia trasferantur quoad omnia, idest quoad feriationem, et Octavam simul, et Officium insuper sive publicum, sive privatum, sicut in sua Dioecesi Cocnomanensi ordinatum esse jam dixit? An vero ipsa Officia praedictarum Festivitatum cum earum Octavis seu publice, seu privatim propriis occurrentiae suae diebus juxta antiquum, et universalem ceterarum Ecclesiarum morem celebranda sint, solae vero solemnitates in proximiorem Dominicam differendae sint, sicut pro Dioecesi Mechliniensi statutum esse ex responsione diei 21. Junii 1804. concludere est?

2. Utrum in hypothesi quod sola solemnitas sit differenda, propriis occurrentiae diebus Solemnitates celebrari debeant, licet nullatenus interesse teneatur Populus fidelis, Missa major ac Vesperae sicut in Dominicis, et Festis in omnibus Dioecesis Paraeciis?

Et eadem Sacra Congregatio ad Vaticanum in Ordinario Coetu sub infrascripta die coadunata, ad relationem Emi, et Rmi Domini Cardinalis Ludovici De-Rohan Chabot, exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris scriptis pandito, praeloque cuso, Dubiis omnibus tum Rmi Archiepiscopi Rhedonen. tum Rmi Episcopi Coenomanen. mature perpensis, et discussis Sanctissimi Domini Papae Oraculum expetendum rata est per Rescriptum. *Ad Emum Praefectum cum Sanctissimo ad Mentem*. Et ita rescribendum censuit. *Die 12 Novembris* 1831.

Facta autem de praemissis omnibus Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo per Emum et Rmum Dominum Cardinalem Carolum Mariam Pedicini Episcopum Praenestinum Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum fideli relatione, Sanctitas Sua, attentis peculiaribus facti circumstantiis ad dubia omnia praecidenda, stabiliendamque uniformitatem benigne annuit in omnibus juxta Votum Magistri Coeremoniarum, nimirum recedendum esse a decisis sextodecimo Kalendas Augusti Anno 1830. ad Dubium secundum, atque ad proposita Dubia respondendum

Ad 1. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam juxta mentem Cardinalis Legati et ejus Instructionem, et juxta praxim Sacrorum Rituum Congregationis*.

Ad 2. *Affirmative, et juxta Rubricarum Leges* (1).

(1) Responsiones a S. R. Congregatione in Rhedonen. simul et Coenomanen. datae hac in re sunt attendendae; nam hae innituntur validioribus rationibus et argumentis, tum quia res maturius potuit perpendi, tum quia S. Congregationi per supplicem Libellum a Rmo Coenomanensi Episcopo missum innotuerunt, quae prius in facti narratione quibusdam scitu necessariis, ignorabantur, et clare hinc potuit aeque dignosci quaestionis status Dubiorum caussa, et dignosci pariter potuit ex ipsa explanatione Indulti, quam Vicarius Generalis Archiepiscopi Mechliniensis expostulaverat, quae fuerit Emi Legati a latere mens, quae dispositio, cum facultate sibi a Summo Pontifice Pio VII. fel. rec. concessa usus fuerit, ad omnem Religionis detrimentum vitandum, et externum cultum exercendum, et Festivitates celebrandas, eo quo fieri posset modo ad ordinem re-

Atque ita servari Sanctitas Sua mandavit omnibus in Locis, et Dioecesibus, queis Indultum Anni 1804. super reductione Festorum per Emum Dominum Cardinalem Caprara Legatum a Latere extenditur. *Die 29. recensiti Mensis, et Anni.*

4523. PISANA.

Eo, quo praefulget erga Divinum Cultum zelo, atque studio a Tridentina Synodo Praesulibus commisso, eidem promovendo prospicere nitens Rmus Pisanus Archiepiscopus Rubricas omnes, at Sacrorum Rituum Congregationis Decreta in Sacris Functionibus peragendis adamussim servari studet; eo vel magis quod id Ordinariis Locorum plenissime curandum esse, eadem Sacra Congregatio in una Dubiorum diei 17. Septembris 1822. omnino voluit. Quapropter quum in Metropolitana et Primatiali Ecclesia Pisana plures obtineant consuetudines, quae vel ab immemorabili, vel saltem pervetusto tempore ductae existimantur Ritualibus illius Ecclesiae Legibus plane refragantes, eas in Divinis persolvendis Officiis diutius ferri non posse censuit, ne, illis retentis, tum Ecclesiasticis jussionibus injuria fiat, tum ne inde approbationis suae inferatur argumentum. Ipse autem utpote religiosissimus non modo, sed prudentissimus, verens, ne illis omnino eliminatis consuetudinibus, earumdem vetustatem, et argumenta a Capitulo petita, despicere videatur, nec voluit, nec e re sua duxit de iisdem judicium interponere, sed consultius Eidem Sacrorum Rituum Congregationi rem omnem remisit, ac sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum.

1. An servari debeat immemorabilis consuetudo legendi Laudes in Nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, vel an eaedem sint decantandae? (1)

vocandas, quorum intuitu facta eidem fuit memorata facultas, ne sacra Liturgia, quae non levem infelicissimis Galliarum Regni temporibus perturbationem erat perpessa, penitus deperiret. Nil itaque mirum, si re perfectius cognita S. R. Congregatio novo edito Decreto a decisis sexto decimo Kalendas Augusti Anni 1830. censuit esse recedendum, et aliter putavit die 12. Novembris 1831. esse decernendum. Non itaque, ut quisque videt, hoc Decreto sibi contradicit, sed Summi Pontificis fini, et Emi Legati jam datis explanationibus sese conformavit. Ex hoc facile quisque potest sibi suadere S. Congregationem, si forte aliter in una eademque re decernat, non repugnantia edere Decreta, sed novis accedentibus rationum momentis, mutato consilio, novam sibi offerri aliter decernendi caussam, et rem ipsam ex documentis, quae afferuntur, diversum a primo Decretum postulare.

(1) Coeremoniale Episcoporum in Universali Ecclesia ab omnibus et singulis personis ad quas spectat observandum esse praecipitur a fel. rec. Clemente Papa VIII. in Litteris Apostolicis sub plumbo quae incipiunt: *Cum novissime*, in quibus statuitur *Coeremoniale hujusmodi sic emendatum et reformatum nullo umquam tempore in toto vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino de-*

2. Et quatenus negative, Archiepiscopus, Capituli Pisani nomine humillime supplicat, ut huic indulgeatur facultas Laudes sine cantu legendi post Missam Solemnem in illa Nocte, aeque ac haec eadem facultas die 31. Martii 1821. indulta est Canonicis Sulmonensibus.

3. An ob immemorabilem consuetudinem tolerari debeat usus post

*trahi posse, ac quascumque personas praedictas . . . . ad ea peragenda et praestanda juxta hujus Caeremonialis formam et praescriptum teneri*. Item Innocentius X. Bulla: *Et si alias*, ipsum Coeremoniale adprobando, et confirmando, eadem statuit ac praecipit. Et haec quidem Benedictus XIII. Bulla cujus initium est: *Licet alias*, pariter habet; additum autem in ea est, ut in virtute sanctae obedientiae nihil detrahatur nihil addatur, immutetur nihil, quemadmodum et in Bullis Praedecessorum suorum legitur. Summi itaque Pontifices toti in eo sunt, ut quae in Coeremoniali (idem dicatur de Pontificali, Missali et Rituali) sunt constituta accuratissime serventur, ut Sacri Ritus et Coeremoniae juxta Ecclesiae disciplinam et statuta peragantur, nec aut quadam aliquorum libertate, aut aliorum negligentia, aut aliquorum non recta interpretatione ex propria cujusque comoditate non semel orta, novitatibus inductis Ritus ipsi, et coeremoniae Ecclesiae corrumpantur, et per mutationes ipsas et novitates, externus cultus sancto studio, sancta sollicitudine, tam diligenti cura et labore ad Relligionis ipsius majestatem statuti poenitus cum ipsius Relligionis detrimento vilescant. His positis quidquid diverso modo, quo statutum est, peragitur, contra Coeremoniale peragitur et nulla umquam consuetudo, (si eas excipias quae ut legittime, et conditionibus necessariis inductae ab Ecclesia ipsa sunt adprobatae) contra illius legem potest praescribere, nullam potest constituere exceptionem, nullam normam aut regulam efficere, nec approbari umquam poterit, quin imo non summopere reprehendi. Aut enim consuetudo, quae profertur in medium, quamque nescio quis velit in casu protueri, est ante Coeremonialis correctionem, confirmationem et adprobationem Summorum Pontificum, qui illud correxerunt, confirmarunt, adprobarunt, aut postea: Si ante, jam consuetudines istae si peculiari modo non sint adprobatae (neque enim adprobari potest quod directe Coeremonialis praescriptis adversantur) per genericam abrogationem, abrogatae censendae sunt: si postea inductae sunt, jam eo ipso contra Coeremonialis statuta, ejusque leges sunt inductae et inobedientiam Ecclesiae legibus redolent, et novitatis notam merentur propriaeque comoditatis amorem praeseferunt, ideoque reprobandae sunt ac rejiciendae, utpote Coeremoniali adversae, quemadmodum haec est consuetudo in nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi Laudes legendi: nimis enim haec consuetudo contraria est Coeremonialis praescripto, nam satis superque clare Coeremoniale praescribit ut Laudes cantentur: *In Laudibus* (legitur lib. 2. cap. 14. §. 12.) *tandem, quae post hanc Missam solemniter cantari debent*: quae verba, ut quisque facili negotio videt, praeceptum important; adeoque consuetudinem om-

solemne Matutinum, Laudes sine cantu recitandi in solemnioribus Anni Festis?

4. Et quatenus affirmative, utrum idem usus sit ferendus in Festo triennali Sancti Raynerii Pisani Confessoris, et Dioecesis Patroni principalis?

5. An ratione memoratae consuetudinis in Festo Assumptionis Beatae Mariae Virginis ferri queat, quod recitatio Laudum omittatur, et privatim tantummodo a paucis Cappellanis tempore nonae Lectionis, et Hymni *Te Deum*, eae persolvantur? (1)

nem contrariam excludunt: Quod si praeceptum juxta Rubricam non est, ubi nam, quaeso, Rubrica praeceptum exhibebit, aut quando Rubricae servari poterint? Idem dicas de omnibus consuetudinibus, quae si sint hujusmodi neque umquam poterunt praescribere, ac nullo numquam tempore erunt admittendae ut in sequentibus dubiis 16.17.18.*et* 25. hujusce Decreti.

(1) Consuetudinem hanc S.R.Congregatio non ferendam decrevit, utpote contrariam Rubricae legibus novam prorsus, et idcirco improbandam. Si quidem omnes sive Canonici, sive Beneficiati; aliive hujus generis Ecclesiastici qui Chorali gaudent munere tenentur *omnibus Canonicis horis praesentes adesse non solum, sed et in Choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare*, ut Concilium Lateranense *Tom.* 2. *part.* 4. *Sess.* 2. §. 59. *et seq.* silentium nonnullorum psallendi tempore improbans, et Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reformatione loquuntur*. Jam si teneantur *omnibus Horis canonicis* adesse, et adesse ad psallendum nec sola praesentia sufficit ut, hoc adimpleant munus, eo etiam debent modo atque ordine psallere, qui ab Ecclesia statutus est; et sicut qui adest sola praesentia, quin psallat, quique comparari potest mutis simulacris, ut inquit *Benedictus XIV. in sua* 107. *Institutione* et fructus non percipit, ita, ut sponte fluit, tenentur omnes et singulas Horas cantare vel recitare, prout cujusque Ecclesiae constitutiones, tempora, dies, solemnitates vel praecipiunt, vel exposcunt: atque hinc patet nullam ab illis omitti Horam canonicam posse; nec anteverti, nec confundi; secus dici deberet, aut duabus obligationibus quae ex lege successivae sunt in Choro, uno eodemque tempore posse satisfieri si dum ab aliis *Nona Lectio et hymnus Te Deum* decantantur, ab aliis Laudes submissa voce dicuntur, aut Canonicos satisfacere obligationi recitandi Laudes, si dum ab ipsis cantatur praedictus hymnus soli Cappellani harum recitatione ab illis poenitus omissa, hac, praedicto tempore, a paucis tantummodo, ut in dubio recitarentur. At falsum utrumque est, et neutrum probatione indiget, ut quisque facili negotio intelligit. Quisque enim, sive privatim, sive publice tenetur, et per se tenetur divinum recitare Officium, et leges servare, quae recitationem sive publicam sive privatam respiciunt, nec obligationi putet satisfacere, si quid omittat; vera autem omissio est ea de qua in dubio est sermo. Cappellani enim in casu nostro pro

6. Utrum ferendus sit ritus numeri, ordinis, et loci Cereorum seu Candelarum in persolvendis Officiis Tenebrarum ab Ecclesiae Pisanae Capitulo servari solitus?

Canonicis et Beneficiatis Laudes recitarent, quas ipsi omittunt: hoc autem admitti nequit: ex Concilii enim Tridentini verbis supra allatis consequitur Canonicum, sive alium quemque muneri suo deesse, si quosdam alios solum psallere permittat, is autem omittat, aut pro se eum supplere sinat, qui pariter tenetur psallere, quique idcirco supplere nequit. Quid vero dicendum nostro in casu si integra omittatur Hora a Canonicis, aliis pro se supplentibus alterius Horae canonicae tempore? Onus autem singulorum est, singulas officii partes, et eo ordine, quo sunt dispositae, recitare. Quid autem Officii nomine intelligatur, ad cujus recitationem singulis diebus tenentur qui sacris Ordinibus initiati sunt, vel clerici Beneficio praediti, satis percipitur *ex cap. Presbyter* de celebratione Missarum, ubi haec habentur: *Si Matutini* (id Laudes etiam complectitur) *Primae*, *Tertiae*, *Sextae*, *Nonae*, *Vesperae Completorii tempore*, *nostrae servitutis officia persolvamus*:

Totum itaque Officium his diversis Horis constituitur. Canonici, ut et alii omnes, idem facere tenentur, hoc solum interposito discrimine, quod alii Clerici, quocumque in loco persolvere Divinum officium possint, Canonici vero, caeterique omnes, qui alicui addicti sunt Ecclesiae, ad eam convenire et ibi idem Officium recitare aut canere omnino debeant.

Dubitandum autem non est, quin haec lex Cathedrales et Collegiatas Ecclesias comprehendat, et colligitur ex *Clementina Prima de celebratione Missarum*, in qua haec sunt: *In Cathedralibus aut Collegiatis Ecclesiis*:

Dixi singulas Horas recitari vel cani, prout tempus exposcit, in Choro debere, et ita, ut una ab alia distincta sit, quemadmodum Ecclesia illas distinctas voluit, et ita etiam, ut earum non invertatur ordo, nec una cum altera confundatur, nec pariter una eo tempore recitetur, quod alteri est praescriptum. Confunditur autem si unius Horae recitationis tempore, altera, ut in casu, recitatur, quod intentioni, fini, et statutis Ecclesiae adversatur. Ecclesia autem, ut Horas, sic et tempus eas recitandi assignavit, a quo, ut videtur, et nomen unaquaeque Officii pars desumpsit suum. Quid si primae Ecclesiae Fidelium morem inspiciamus? = *Olim christiani*, scribit Cardinalis Bona, *tribus primis vigiliis tres Nocturnos divisim*, *quarta vigilia Laudes recitabant*. *Tantus erat ardor charitatis*, *ut quater in nocte surgerent ad orationem*, *prima vigilia ad primum Nocturnum*, *secunda ad secundum*, *tertia ad tertium*, *quarta ad Laudes persolvendas*, *vel omnes simul*, *vel divisi in cohortes* =. Haec disciplina sive vetus mos generice obsolevit, licet quaedam Monasticae familiae et Religiosae, aliquod de hac veteri consuetudine retineant vestigium. Nunc in praesenti disciplina, loquor de Clero saeculari praesertim, statutae sunt quidem Horae pro recitandis divinis laudibus

7. Utrum Feria V. in Coena Domini servari debeat usus denudandi Altaria post *Mandatum* hora quarta pomeridiaoa ?

8. Utrum probari possit usus obeundae in Sabbato Sancto benedictionis novi ignis, et inceosi ab alio Sacerdote, licet Missam non celebraturo; et deinde ab eodem Diacooalibus vestibus induto defereodae Arun-

seu psalmodia; sed quamvis diversa ab antiquioribus sint assigoata tempora, tamen tempus unicuique Horae debetur, licet hoc non accuratissime, ut Horarum nomen indicat, servetur, sed juxta praesentem disciplinam utcumque servatur.

Ecclesia, insuper, per Rubricarum dispositiones et statuta, tempus ad Sacrum celebrandum constituit modo post Tertiam, modo post Sextam vel Nonam, ratione habita, vel ad tempus, vel ad mysteria, quae aut recolit, aut ad quae nos praeparat et vocat, vel ad moestitiam aut gaudium, vel ad Missae qualitatem, quae omnia ex Rubricis ipsis desumuntur, quae quidem probant ita eam voluisse Horas Officii Divini etiam tempore distinctas, ut ad servandam hanc distioctionem et veterem recitaodi morem, Sacrum Divinum esse peragendum inter uoam alteramque Horam jusserit. His omnibus positis quid diceodum foret de hac in dubio asserta allataque consuetudine, et a S.R.Congregatione improbata, si ea cum veteri Ecclesiae disciplina aut praeseoti etiam conferatur? Nihil profecto aliud nisi quod directe intentiooi, fini, et statutis Ecclesiae adversetur. Tandem, quod hic decretum est a S.Coogregatiooe cum alio Decreto concordat, quod edidit in *Casalen die* 3. *Aprilis* 1751. (*in authentica hac Decretorum Collectione num.* 4066. Io hoc eoim Decreto, proposito dubio respondit = *Canonicos non satisfacere obligationi Chori recitando modo praedicto Completorium tempore, quo a Musicis Vesperae decantantur* = Modus autem hic erat, ut ex immemorabili asserta consuetudine Canonici Ecclesiae Cathedralis, diebus Dominicis, aliisque Festis infra Annum occurrentibus, quando a Musicis Vesperae decantabaotur, consueverant eo tempore bioi et bioi Completorium persolvere. Modus hic a S.R.C. reprobatus nihil omoino differt a modo, de quo est sermo in praeseoti dubio, nempe recitandi Laudes tempore hymni *Te Deum*, quinimmo aliquid magis contrarium praebet: nam in dubio *Casalen.* omoes recitabant Completorium. Io hoc autem a Caoonicis Laudes prorsus omittebantur, quod certe majorem defectum coosideranti offert. Ac propterea haec S.Congregatio Ritibus omnibus sua in integritate ac puritate servandis protuendisque instituta consuetudinem hanc suo Decreto non ferendam declaravit. Illa enim aeque ac ista asserta consuetudo statutam singularem Horarum divisionem ac distiuctionem tollit, earumque permixtionem et confusiooem inducit, quae, iterum dicam, inteotioni, fioi, statutis Ecclesiae quam maxime adversatur, ac proinde abusus debet appellari et omni prorsus ratione eliminandus, quemadmodum hoc suo Decreto S. R. Congregatio jure meritoque sancivit.

dinis *lumen Christi*, et canendi Praeconii etsi in subsequenti Officio, et Missa ipse Celebranti non assistat (1)?

(1) Quoad hanc secundam hujus dubii partem, cui S. R. C. negative respondit, plurima jam sunt adnotata, eaque videri possunt in *Tiburtina*, quae in authentica hac Decretorum collectione sub num. 4453. reperitur. Ibi in subjecta adnotatione, eruditissimi Merati affertur auctoritas praxim improbantis quarumdam Ecclesiarum, in quibus diversus est Diaconus, qui Paschale Praeconium cantat, ab illo, qui in Missa mox celebranda ministrat. Praxis haec revera contraria est Rubricae Missalis, juxta quam unus idemque debet esse Diaconus, ut advertit Meratus, et Corsettus in ea adnotatione adducti. Merati verba in ea adnotatione leguntur. Corsettus autem Cap. 8. num. 5.: haec habet illis simillima verba = *Tum Diaconus, qui debet esse ille, qui in Missae officio inservire debet, et non alius ad hanc solam functionem, et ad cantandum tantummodo Praeconium, hoc enim repugnat Rubricae Missalis, neque in ullo habetur Coeremoniali cum sit quiddam addere (quod est contra Bullam Pii V., et maxime notandum)*. Quam opportune haec a Corsetto postrema verba addita sint, quisque per se videt: nam post reformationem, adprobationem, et evulgationem Missalis, Pontificalis, Coeremonialis, Ritualis, Breviarii, nihil addi, nihil detrahi, nihil immutari potest, et in Litteris Apostolicis Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi monentur ut accuratae illorum observationi advigilent, quae statuta in illis sunt: hinc si quis quid addat, quid detrahat, quid immutet, jam eo ipso et novitatem inducit, et jure inobedientiae notam incurrit. Jam diversum Diaconum cantare Praeconium, diversum in Missa ministrare est contra Rubricae Missalis praescriptum. Si enim haec inspiciatur, et illius dispositio, patet manifestissime unum eumdemque esse debere in utroque memorato officio Diaconum, idque ex toto contextu eruitur, initio sumpto ab ignis benedictione ad licentiam usque quae Populo datur discedendi ab Ecclesia. Mitto hic actiones, quae ad Diaconum spectant, quasque non memorat Rubrica, utpote illius muneris proprias, ac ab Arundine incipiam. *Tum* inquit Rubrica, *Diaconus indutus Dalmatica albi coloris etc.... Diaconus elevans Arundinem.... Diaconus dat Arundinem uni Acolytho....* deinde. *Completa benedictione Cerei, Diaconus depositis albis, sumit violacea paramenta, et vadit ad Celebrantem, qui exuitur Pluviali etc.* Quis, quaeso, Diaconus, nisi qui cantavit Praeconium? et hic non ad Sacrarium vestem depositurus, sed ad Celebrantem accedit depositis albis et sumptis violaceis paramentis. Demum inquit Rubrica = *Cum autem perventum fuerit ad ℣. Peccatores: Te rogamus: Sacerdos et Ministri surgunt, et accedentes ad Sacristiam induuntur paramentis albis pro Missa solemniter celebranda* = Iidem igitur debent esse et Celebrans et Diaconus et Subdiaconus, si iidem Ministri, ergo ex Rubricis is qui cantavit Praeconium, si loquamur de Diacono,

9. Utrum ferendus sit usus in Sabbato Sancto infigendi quinque grana Incensi non quidem in Cereo Paschali, sed cerae cuidam albae Cru-

is qui detulit Crucem, si loquamur de Subdiacono, de utroque enim dicitur quod debeat ministrare in Missa. Nullum dubium de Subdiacono; cur de Diacono dubium excitari potest, sed quid dico dubium excitatur? Cur diversus adhibetur Diaconus, dicere debuissem, et ex praxi quadam per abusum inducta in nonnullis Ecclesiis, diversus est Diaconus Missae a Diacono Praeconii. Praxis quae adversetur poenitus Missalis Rubricae, ex qua dispositione et ordine inspectis infertur, unum eumdemque esse debere Diaconum et Praeconii et Missae, quod quidem ex legittima illatione concluditur. Ratio autem hujus illationis patet ex officio ipso: nam qui Functionem incepit, idem et perficere debet. Hujus diei officium unum idemque est, sive Praeconium respiciamus sive Missam; omnia simul sumpta officium diei proprium constituunt; et licet diversa Ecclesia recolat, tamen Functionem unicam statuit peragendam. Si itaque Diaconus eam incepit, eam pariter et debet perficere; nisi peculiaris aliter agendi sit ratio, aut Rubrica ipsa aliter faciendum non indigitet. Sed ratio non adest aliter peragendi. Rubrica aliter peragendum non innuit: idem igitur Diaconus debet esse et Praeconii et Missae. Quod spectat ad Rubricam, si haec disponit diversum esse debere in aliqua functione Ministrum, non omittit sane vel indicare, vel etiam praecipere, ut evenit, cum Feria V. in Coena Domini alium Subdiaconum innuit esse debere a Subdiacono Missae, pro deferenda Cruce in Processione = *Et fit Processio more solito alio tamen Subdiacono parato Crucem ferente* =. Haec Ministri diversitas non indigitatur a Rubrica quoad Diaconum in Sabatho Sancto, sed unus idemque innuitur; a Rubricae igitur dispositione non est recedendum. Recte proinde statuunt Auctores unum eumdemque esse debere pro utroque officio Diaconum, et tamquam Rubricae violatores diversimode agentes considerant, cum audeant sic a Rubricae praescripto declinare. Si omnia secundum ordinem fieri debent, eo magis cum de Ritibus agitur, quorum unus in Ecclesiasticis functionibus legittimus et accuratus est omnino retinendus ac relligiose servandus. Haec fuit Summi Pont. Xyxti V. Constitut. LXXIV. maxima cura in S. R. Congregatione statuenda, ut Sacri Ritus ubivis locorum, in omnibus Urbis Orbisque Ecclesiis, a quibusvis personis diligenter observarentur; ut coeremoniae, si exoleverint, restaurarentur, si depravatae fuerint, reformarentur, si immutatae ad ordinem revocarentur. Quae olim fuit Summorum Pontificum cura, ea ipsa adhuc est et Summi Pontificis Gregorii XVI, quem sospitem Deus servet, ea ipsa adhuc est S. R. Congregationis, quae ritus omnes ut reviviscant, restaurentur, ad ordinem revocentur, accuratissime serventur, et proprio munere adnititur, ut sic et splendor Divinae majestatis magis effulgeat, et Fideles ad Divinarum rerum contemplationem sustollantur, ut inquiunt Tridentini Concilii Patres, et Supremae Apostolicae Sedis, a qua dimanat legislativa auctoritas, observe-

ci ab eo separatae, atque hujus muneris obeundi per Chori Cappellanum sive Sacerdotem, sive Diaconum a Diacono Praeconii, seu Missae diversum (1)?

tur. Habitualis autem rituum et coeremoniarum inobservantia tacitum, ut plurimum, potest inferre contemptum, et leviorum etiam Rubricarum omissio, vel mutatio, et libera illarum interpretatio confusionem in Ecclesia parere possunt, et ad Dei opus negligenter peragendum inducere. Non me latet, hac ipsa in re, de qua loquimur, in eadem Tiburtina (in not. ad pag. 131.) ut videri potest, S. Congregationem consulendum Sanctissimo respondisse; sed quid hoc probat? nisi S. Congregationem, cujus munus est vigilare Rubricarum observationi, allatam in contrarium consuetudinem noluisse admittere, sed attentis peculiaribus circumstantiis inclinasse, forsan ad illam non penitus saltem excludendam, sed eodem tempore noluisse eam propria auctoritate aut adprobare aut confirmare, utpote Rubricae dispositioni non apprime conformem, et, si quae Indulgentia hac in re posset concedi, a Supremo Pastore concederetur, quemadmodum revera factum est. Sed peculiaris haec Tiburtinae Ecclesiae Cathedrali, ob peculiares rationes concessa Indulgentia, generalem non constituit dispensationem, adeo ut liberum cuique sit ea uti. Si enim eadem non adsint rerum adjuncta, fortasse nec alteri Ecclesiae concedetur, eoque minus poterit aliqua Ecclesia per se hanc sequi praxim: persaepe enim evenit ut Diaconus Praeconii diversus sit a Diacono Missae non ex necessitate, non ex vocis defectu, vel ex voce aut nimis aspera, aut ad modulationem inepta, sed ex quadam vocis ipsius ostentationis specie, alius seligatur Diaconus, qui adstantium conciuna nimis vocis modulatione alliciendo aures, plausus captare velit, ac laudes. Nisi igitur necessitas adsit, unus idemque esse debet Diaconus Praeconii, et qui in Missa ministrat, sine enim necessitate aut rationabili caussa Rubrica accuratissime servanda est, nec ab ea declinandum, et omnis illius interpretatio, si qua in tam clara illius dispositione, esse potest, excludenda est.

(1) Improbanda sane in usu, de quo est sermo, Rubricae infractio reperitur, et novitas in Ritibus pro hoc officio praescriptis proprio lubitu inducta, quae nullo prorsus modo erat ferenda: atque ex hoc ipso nihil, ut quisque videt, advertendum occurrit, nec ratio ulla est adducenda ad usum praedictum eliminandum. Res enim ipsa per se apparet manifestissime, ac propterea nonnisi simplici negativa responsione poterat a S. C. dubio huic satisfieri. Quin igitur infractionem Rubricarum ac novitatem demonstrando immoremur aliquid quoad Cereum advertamus. Ecclesia hoc die ad resurgentem Christum recipiendum se praeparat, et mox ipsum resurrecturum Fidelibus pariter annuntiat. A consecratione itaque Luminis Paschalis solemnitatis annuntiationem inchoat, quae verae lucis claritatem humano generi contulit. Quod ad Cereum spectet, paschalis hic cereus benedicitur in Sabbato Sancto, quia ex simplici sua

10. Utrum servanda sit consuetudo deferendi praeter Cereum Paschalem duos alios parvos Cereos ex eo accensos in Supplicationibus,

natura absque benedictione non potest mysteria significare, quae per illum Ecclesia repraesentare intendit. Est haec benedictio non de constitutivis per quas immutato naturali rei alicujus statu sacrum quid efficitur, sed de simpliciter invocativis, quibus Dei benignitas invocatur, ut personis vel rebus aliquid boni tribuat: et licet per has benedictiones res nec statum suum naturalem non immutent, nec sacrum quid efficiantur, aliquid tamen relligiosum in se continent, nec amplius prophanae possunt haberi. Constans autem ac perpetua fuit Ecclesiae disciplina, ut nulla re ad relligiosum quemdam ritum publice uteretur, quin prius eam benedixerit, ut ex Thoma Massinio, Benedict. XIV. aliisque Auctoribus constat. Juxta Liturgicos Cereus hic columnam nubis et ignis, quae Haebreos in deserto ambulantes praecedebat, significat, et hinc illa Praeconii verba, *sed jam columnae hujus praeconia novimus*: vel Christum significat corporaliter prius extinctum, et postea resurgentem, sicut tunc Diaconus Cereum benedicens significat Evangelii praedicatorem, qui Christum passione corporaliter extinctum, debet laudem benedictionibus praedicando Resurrectionis luminosa gratia reddere illustratum. Item Cereus Paschalis ex Ecclesiasticis Scriptoribus, quos refert Theophilus Raynaudus, institutus primo fuit ut symbolice esset imago baptismi, ac propterea singulis qui baptizabantur parvus dabatur Cereus, et ideo dabatur, ut illum asservarent, et suscepti Baptismatis memoriam identidem in se suscitarent.

Instituti deinde fuerunt *Cerei Agnus Dei* ob Agni figuram quae in illis inspicitur, nuncupati, ut essent pariter suscepti baptismi symbolum, et singulis recenter baptizatis, depositis in Sabbato post Pascha vestibus albis, dabatur Cereus hic *Agnus Dei*, quia comodius hunc prae parvo etiam cereo gestare poterant. Hi autem *Cerei Agnus Dei* illorum collo appendebantur ne suscepti baptismatis memoriam una cum albis vestibus baptismalibus, quas deponebant, amitterent, sed hos prae oculis semper habentes, et tantum beneficium per baptismales aquas receptum recolerent, et gratias Deo redderent, et receptam gratiam fideliter custodirent.

Olim dispertiebantur populo particulae Cerei Paschalis ad suffumigandum una cum thure pio ac religioso animo ad avertenda mala, bonaque postulanda. Est ea secundaria Cerei Paschalis institutionis caussa. Quemadmodum vero substituti fuerunt *Cerei Agnus Dei* ad excitandam retinendamque baptismi memoriam in recenter baptizatis, et pro cereo Paschali sive hujus particula parvi cerei ipsis dabantur, ita et cerei *Agnus Dei* postmodum pro cerei magni particula et pro parvis cereis populo distribui caeperunt, et praecipuo fini, qui fuit in illorum institutione, ut Deus illis utentibus mala averteret, ut bona conferret, secundarius successit, ut reliquis etiam fidelibus, praeter recenter baptizatos distribuerentur in octava Paschae, quemadmodum cerei Paschalis particulae distribueban-

quae in Ecclesia Pisana fiunt, tum in Sabbato Sancto ad obeundam Fontis baptismalis benedictionem, tum quotidie in octo dierum spatio ad eumdem Fontem ?

tur, ut liquet ex ordin. Romano *tit: de benedictione Cerei*, ubi sic legitur: *In octava vero Paschae dantur ipsi Agni ( cerei infra Civitatem Romanam ) ab ipso Archidiacono in ipsa Ecclesia post Missam et Communionem, et ex eis faciunt incensum accendi ad suffumigandum in domibus suis pro quacumque tribulatione eis evenerit necessitas. Similiter et in Forensibus civitatibus de cereo Paschali faciunt*: Multa addi possent de cereis *Agnus Dei* si res de qua hic praecipue agitur, postularet, sed haec sint obiter adnotata licet non inopportune, res enim ipsa haec pauca innuere deposcebat. Ne itaque finem nobis propositum praetergrediamur ad Paschalem cereum redeamus. Cereus itaque nubis, ignisque columnam significat qui Haebreos in deserto itinerantes per diem noctemque praecedebat, et Christum a morte ad vitam gloriose resurgentem, ut Rupertus et cum eo Auctores Liturgici pene omnes, et ideo Cereus ipse prius extinctus apparet, et dum adhuc extinctus est, in eo quinque incensi grana infiguntur, quae quinque Christi plagas repraesentant: deinde accenditur post verba Praeconii *rutilans ignis accendit*. Item Cereus in significatione columnae ignis et nubis Haebreos praecedentis illorum demonstrat defensionem a solis aestu, et illuminationem nocturno tempore: in significatione vero Christi nubis columna potest representare Christum fideles a vitiorum aestu defendentem. Ignis vero Christum ipsum, qui fideles in hujus saeculi nocte ac in ignorantia et peccatorum tenebris sedentes illuminat.

Ne quis autem putet, cum dicitur Cereum Paschalem nubis et ignis columnam significare, ita haec esse accipienda, ut Ecclesia id absolute recolat, quod Haebraico populo olim evenit, sed id tantum, quod illis quidem evenit, tamquam tamen in figura nostri omnia, quae illis eveniebant, *figura et umbra futurorum erant*, omnia enim in. figura facta sunt nostri, *omnia in figura contingebant illis*, ut scribit Apostolus Paullus ad Corint. ep. 1. v. 10., et alibi: *vetera namque transierunt, facta sunt omnia nova*. Hinc Ecclesia suos non instituit ritus ad ritus haebreorum ac gesta recolenda, sed in suis quibusdam mysteriis recolendis veterum haebraici populi rituum quandoque meminit, quae figura olim fuerunt eorum, quae postmodum adveniente temporum plenitudine erant eventura, et reapse evenerunt, et sic ostendit quomodo umbris et figuris lux et veritas respondeat. Ecclesia eadem, quae ritus et caeremonias instituit, non inepte, non inconsulto, non sine aliquo sapientissimo fine eos instituit, ut vellet Sacrorum Rituum perpetuus irrisor Vertus, qui cum Relligione ritus etiam voluisset evertere, sed sapientissime eos instituit, et ut Sancto est Spiritu edocta, et directa, in illis mysteria quaedam includit, aut ad illa nos revocat, et quidquid in suis divinis officiis recolit, quidquid celebrat, quidquid Fidelibus celebrandum offert ac proponit ad spirituales intelligentias eos

vocat, et per mysticas ipsas figuras ad mysterium aliquod contemplandum filios suos excitat, et quandoque in mysterio mysterium latet ut observat S.Petrus Damiani, et ipsae res sensibiles tamquam humanae infirmitatis adjumenta ad spiritualia et caelestia cogitanda contemplandaque inducunt, ut ipsum Concilium Tridentinum loquitur Sess. 22. de Sacrificio Missae cap. 5.: *Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, quaedam altiori pronunciarentur, instituit. Caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes aliaque id genus plura ex Apostolica traditione recepta, quo et majestas sacrificii commendaretur, et fidelium mentes per haec visibilia Religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur*.

Quod sensibilia signa quoad Sacrificium, quod mysticae figurae, quod enigmata praestant, idem et in aliis Ecclesiasticis officiis obtinent. Hinc nihil de illis, quae Ecclesia statuit, despiciendum est, nihil negligendum, licet parva, licet minima videantur, quae ipsa fidelibus repraesentat. Nam ut scribit citatus Petrus Damiani in lib. *Dominus vobiscum* inscripto: *nonnulla in Ecclesiasticis observationibus fiunt, quae in superficie quidem frivola videntur et levia, considerata vero subtilius magnae virtutis videntur veritate subnixa*: In confirmationis hujus sententiae plurima deinde affert exempla: Huic consonat Alcuinus cujus haec sunt verba in ep. ad Carolum Magnum: *Nihil sine caussa in Ecclesiasticis consuetudinibus a Doctoribus constitutum percipimus*; Caussam vero, ob quam Ecclesia symbola Filiis suis proponit, reddit S. Ivo Carnotensis his verbis quae habet in Sermone de Purificatione Sanctae Mariae Virginis: *Consuetudo Ecclesiastica multas ex rebus gestis retinet consuetudines, quibus et rerum gestarum repraesentat veritatem et simplicium corda excitat ad pietatem, ut per ea, quae foris venerantur, ad internorum amorem rapiantur. Hinc est quod ad recordationem Dominicae passionis in Ecclesia Cruces erigimus, quod tempore Ascensionis vexilla triumphum Christi significantia in eminentiori loco Ecclesiae tamquam in arcu triumphali sublimamus*:

Post haec quis umquam audeat Auctores reprehendere cum Paschalem cereum significare dicunt columnam ignis et nubis? quis Ecclesiae ipsi contradicere, quae mysticae hujus columnae ut figurae quae olim de futuris praecessit, meminit in Praeconio? Solus Vertus et qui cum eo aeque impie sentiunt, hoc auderent, et tantae essent capaces temeritatis, mysticas pariter figuras et enygmata rejiciendo.

In Cerei demum benedictione non semel sed saepius mentio fit noctis, licet de die haec benedictio peragatur. Id autem, ut nemo non ignorat, evenit, quia per anticipationem hoc officium ab Ecclesia peragendum statutum est. Olim enim,

debet in diebus Dominicis ante Missam Solemnem, peragi solitae non quidem a Celebrante, sed a Cappellano Chori cum Pluviali (a)?

quemadmodum plura alia officia, noctu hoc quoque peragebatur, ut Ecclesia tempori se accomodaret quo Dominus resurrexit, in nocte scilicet, seu prope auroram. Et licet de die jam a multis saeculis hoc Ecclesia peragat officium, noctis tamen mentionem facit in Praeconio, ut tum tempus indicet, quod verum horae Resurrectionis Domini respondeat, tum ut veteris disciplinae vestigium aliquod eo, quo potest, modo retineat, et ejusdem disciplinae praebeat in ipso officio testimonium.

(a) Responsio ad Dubium nulla prorsus indigeret adnotatione, clarissima enim per se res est. Ipsa enim Missalis Rubrica, et Coeremonialis Episcoporum praescriptio regulam suppeditat, quae servari debet in aspersione Cleri facienda diebus Dominicis; sed quoniam usus in medium adducitur, qui viget in Metropolitana Ecclesia Pisana, ut nempe non a Celebrante, sed a Cappellano Chori Pluviali induto aspersio cum Aqua benedicta peragatur, haud quidem inopportunum erit quaedam subjicere, ut abusus hac in re appareat, pariterque de medio servatus huc usque usus tollatur, ac Rubrica Missalis, et Coeremonialis Episcoporum, ut in responsione sancitum est, servetur. Missalis siquidem Rubrica in ordine ad faciendam Aquam benedictam haec habet: *Finita benedictione* (aquae) *Sacerdos celebraturus indutus Pluviali coloris Officio convenientis, accedit ad Altare, et ibi ad gradus cum Ministris genuflexus, accipit a Diacono Aspersorium . . . Interim Celebrans aspergit Clerum, deinde Populum.* His similia habet Coeremoniale Episcoporum cap. 15. §. 14. *Dominicis vero diebus . . . quia Clerus, et Populus ante Missam Aqua benedicta per Celebrantem est aspergendus, oportet illum incedere Pluviali indutum inter Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris de more paratos, qui postea facta Aquae benedictae aspersione, et dicta Oratione, et deposito Pluviali accipiet Manipulum, et Planetam, et incipient Missam.* Cui nam dubium poterit oriri, sit ne ipse Celebrans, qui Clerum Aqua benedicta aspergere debeat? aut quis potius contrariam praxim abusum redolere non existimet, Rubricae Missalis, et Coeremonialis adversantem praescripto? Nihil huic tam clarae praescriptioni addere oporteret; nihilominus aliquid adnotatur quod ipsa verba Rubricae Missalis, et Coeremonialis offerunt adnotandum ad clarius rem ipsam ostendendam, et extra omnem dubitationem, aut ambiguitatem adducendam. Quod ipse Celebrans debeat Clerum aspergere non modo ex his verbis Rubricae: *Interim Celebrans aspergit Clerum, deinde Populum*, vel aliis Coeremonialis: *quia Clerus et Populus ante Missam Aqua benedicta per Celebrantem est aspergendus;* verum etiam ex toto contextu eruitur, ut quisque per se videt, et percipit ex aliis, quae post illa, verbis sequuntur. Nam in Coeremoniali Episcoporum haec leguntur: *Oportet illum* (Celebrantem) *incedere Pluviali indutum inter Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris de more paratos; qui postea . . . accipient Manipulum, et Planetam, et incipient Missam*: Nulla hic interponitur mora inter aspersionem, et Missae initium, nullus alius a Celebrante diversus Sacerdos nominatur, qui aspergat, vel nullus alius ab eo, qui aspersit, ad incipiendam Missam parandus indigitatur; sed unus idemque, nempe qui aspersit, dicitur ce-

12. Utrum assertae consuetudinis immemorabilis vi liceat Canonico celebranti uti Pulvinari pro genuflectendo coram Archiepiscopo?

13. Utrum Celebrans in Missa Solemni, quum sibi est sedendum dum cantatur *Gloria in excelsis*, et *Credo* pergere debeat ad Scamnum capite oper-

lebraturus, unus igitur idemque debet esse et qui celebrat, et qui aspergit. Idem omnino iterum legitur in eodem Coeremoniali lib. II. cap. 30: *Absente Episcopo in Ecclesiis Cathedralibus, et Collegiatis, aliquis Canonicus, seu Dignitas, vel is, ad quem de consuetudine spectat hac die celebrare in absentia Episcopi, paretur in Sacristia more solito cum Pluviali albo, et accedat ad Altare medius inter Diaconum, et Subdiaconum paratos omnibus paramentis ipsis convenientibus... accepto de manu Diaconi Aspersorio cum Aqua benedicta..... asperget primo Altare, deinde seipsum, mox Diaconum, et Subdiaconum... quo facto deposito Pluviali capiet Planetam, et... inchoabit Missam.* Quod si haec postrema verba non leguntur in Missali, non ex eo sequitur, Sacerdotem, qui aspersit, non debere celebrare Missam, quod manifeste praescribitur a Coeremoniali, sed dicendum Missalis Rubricam omisisse, quia in eo solum est, ut indicet Ritum, quo debet Clerus, et Populus aspergi, et satis esse existimavit ab initio innuisse eum debere Missam celebrare, qui aspersit, per ea tantum verba, quibus Rubrica incipit, nempe *Sacerdos celebraturus indutus Pluviali.... aspergit Clerum.* Quid plura? Observat apposite ad rem nostram Merati: Sacerdotem Missam solemniter celebraturum ita paratum egredi cum suis Ministris e Choro ad Altare ad faciendam Aquae aspersionem, quod sane probat unum, eumdemque esse debere, qui aspergit, et qui celebrat, quod si alius a Celebrante esset, hoc utique indicasset. Hanc aliquorum quoad hunc ritum servandum renuentiam jamdiu cavit Sacrorum Rituum Congregatio, quae clarissimis innixa Rubricae verbis alias decrevit ab ipso Celebrante fieri debere aspersionem cum Aqua benedicta diebus Dominicis; Anno scilicet 1632. sub die 27. Novembris in Perusina. Quum enim Eminentissimus Cardinalis de Torres tunc Episcopus Perusinus mandaverit ut Dominicis diebus per ipsum Celebrantem fieret aspersio juxta Missalis praescriptum, et Archipresbyter Perusinae ejusdem Cathedralis Dignitas id aegre ferret, et peragere recusaret asserens numquam a Dignitatibus factam fuisse hanc aspersionem; Sacra Congregatio supplicante dicto Archipresbytero de non innovatione respondit: *Aquae benedictae aspersionem in diebus Dominicis fieri debere per ipsum Celebrantem*, et nulla facta distinctione inter dignitatem, et simplicem Canonicum, vel Presbyterum, ut ostenderet hoc munus esse cujusque celebrantis, adjunxit, *etiam quod sit prima, vel alia Dignitas:* nihili faciens, immo excludens contrariam consuetudinem, addidit, *non obstante contraria consuetudine*, immo improbans conclusit, *quae potius corruptela quam consuetudo dici potest, quum sit contra Rubricam Missalis, et Coeremonialis.* Et haec verba, quibus includitur etiam Dignitas, si ad eam celebrare spectat, consonant cum aliis, quae superius allata sunt ex lib. 2. cap. 30. Coeremonialis Episcoporum desumpta.

Neque quis dicat posse quemcumque Sacerdotem a Celebrante diversum hanc actionem peragere, quemadmodum et quicumque Sacerdos, qui non sit celebraturus, potest Aquam eo die benedicere: ex hoc sane illud non sequi-

to, et ita regendi ad Altare, ac utrum ad eos versiculos, ad quos sibi est inclinandum, excepto solo versiculo, *Et incarnatus est*, contecto pariter capite ei liceat inclinari?

14. Omissum semper fuit Anniversarium pro ultimo Archiepiscopo defuncto ex cap. 36. lib. 2. Coeremonialis, cura, et impensis Capituli quotannis faciendum. Putant quidam Canonici se ad id non teneri tum quia omni tempore factum est ita, tum quia superiores Archiepiscopi, si aliquibus cordi fuit hoc annuo suffragio post mortem frui posse, congruos census Mensae Capitulari in perpetuum legarunt (a)?

tur; nam praeterquam quod, ut vidimus ex Rubrica Missalis, et ex Coeremoniali, Sacerdos celebraturus Clerum et Populum debet aspergere, ipsa Rubrica innuit Aquam, qua aspersio fit, a quocumque Sacerdote a Celebrante distincto posse benedici, quod de eo, qui aspergit non innuit, neque innuere potuit semel ac statuerit ab ipso Celebrante faciendam esse aspersionem: Siquidem haec de facienda tantummodo aqua benedicta habet: *Die Dominico in Sacristia praeparato Sale, et Aqua benedicenda Sacerdos celebraturus Missam, vel alius ad id deputatus*, quae verba quum agitur de aspergendo cum hac Aqua Clero, et Populo non habet. Liberum itaque non est quemadmodum in benedicenda Aqua, sic et ad Clerum, et Populum aspergendum alium a Celebrante distinctum Sacerdotem deputare, sed Celebrantis, quicumque ipse sit, proprium est munus. Qui aliter vel sentit, vel agit, contra Rubricam agit. Hinc nisi quis velit inobedientis notam consulto incurrere, Missalis, et Coeremonialis praescripto debet conformari, et a contraria, si qua alicubi est, consuetudine recedere, quae a Sacra Rituum Congregatione corruptela declarata jamdiu fuit, et novitatem in Sacris Ritibus induceret.

Unum hic addendum non abs re erit, ut hujus ritus antiquitas innotescat. Haec Aquae cum Sale mixtae benedictio, et Populi Christiani cum ea aspersio juxta Auctores non paucos ab ipso Apostolorum tempore erat in usu, praecepta autem fuit Ecclesiae Saeculo secundo vix inito ab Alexandro Primo, ut constat ex Libro Pontificali, et ex multis Auctoribus de Ecclesiae Ritibus pertractantibus Rhabano Mauro, Walfrido Strabone, Micrologo: hinc Rubrica Missalis hanc praecipiendo aspersionem, vetustissimum immo priscum ritum servandum praecipit, et de hoc ritu extat antiquus Canon Concilii Namnetensis apud Burchardum Wormaciensem lib. II. cap. XII. in quo legitur: *Omnibus diebus Dominicis unusquisque Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solemnia aquam benedictam faciat in vase nitido tanto mysterio convenienti, de qua Populus intrans Ecclesiam aspergatur*. De antiquitate hujus ritus semper ab Ecclesia retenti, ut nempe Presbyter ipse die quolibet Dominico per Ecclesiam procedederet, et Populum Aqua benedicta aspergeret edocent vetusta Caroli Magni Capitularia, ubi lib. V. cap. 220. praecipitur: *Ut omnis Presbyter die Dominico cum psallentia circumeat Ecclesiam suam cum Populo, et Aquam benedictam ferat*.

Nonnulla hic examinanda superessent de *Presbytero*, et de *Ecclesia sua*, quibus probari posset quemque Parochum olim ad hoc implendum munus fuisse adstrictum, sed extra rem essent: idcirco omittenda putavimus ne a proposito aliena pertractare videamur.

(a) Non alia dari poterat ad hoc dubium responsio, quam ea, quae data est, quaque ad servandam Coere-

15. Die decimaquarta Novembris, vel si fuerit Dominica, insequenti Feria secunda, quotannis celebratur Anniversarium cum Missa de Requie post Nonam pro omnibus Canonicis, Cappellanis, et Clericis defunctis ipsius Ecclesiae Primatialis. Eapropter pridie immediate post Vesperas, omisso Responsorio, *Fidelium animae* proceditur ad Coemeterium, ibique cantatur cum Invitatorio Nocturnum Defunctorum, et post tertiam Lectionem dicitur Responsorium: *Libera me Domine*, et fit Absolutio ut in Rituali. Simili modo immediate post Vesperas itur ad Sepulchrum Henrici VII. Imperatoris die 24. Augusti, et die 21. Septembris ad Sepulchrum Beatricis Matris Comitissae Mathildis ad faciendam Absolutionem ut supra, quae fieri potius deberet sequenti mane post Missam de Requie. Haec consuetudo, licet Rubricis Missalis et Ritualis contraria, retinetur ratione suae longaevitatis.

16. Celebrante in Pontificalibus Archiepiscopo, ipsius Crux defertur sine luminaribus a Crucifero absque Tunicella, et habitu Chorali tantum induto: Crux vero, quae ante Clerum procedit, defertur ab Acholyto juxta morem Ecclesiae, Pluviali induto inter duos Ceroferarios candelabra accensa portantes similiter paratos.

17. Ad benedictionem Oleorum Feria V. in Coena Domini prima Dignitas, nempe Archipresbyter, officium facit Presbyteri Assistentis in Pluviali, eodemque tempore vices gerit Archidiaconi, cui juxta Pontificale incumbit sistere se coram Antistite, et dicere alta voce: *Oleum Infirmorum* etc. Interim Archidiaconus quum sit secunda Dignitas officio fungitur Diaconi Assistentis cum Dalmatica. Ob praeeminentiam Archipresbyteri propriam, sui juris esse videtur descripto modo se gerendi in hac sacra actione.

monialis dispositionem quisque tenetur, tam enim clara, tam absoluta est haec dispositio, ut nullum prorsus dubium super ea possit excitari: hinc mirum est quomodo hoc dubium Sacrorum Rituum Congregationi proponi potuerit. Quod fuerit semper omissum, omissioni non favet, neque idcirco in posterum omittendum, quia huc usque fuit omissum: aliter per omissiones, Leges omnes inutiles essent, et brevi deperirent, quod absurdum omnino est. Omitti autem in posterum non posse, satis ostendunt verba Coeremonialis, quae leguntur lib. II. cap. 36. et quisque, si attente consideret, id sibi facile persuadebit. Quod autem in dubio additur, ad hanc aliquo modo protuendam omissionem, quod nempe sic factum omni tempore fuerit, et a quibusdam putetur congruos census ad hoc Anniversarium celebrandum ab Episcopis relinqui oportere, si hoc post mortem vellent anniversarium celebrari, et id quia illorum aliqui dictos census reliquerunt, haud sane omissioni potest suffragari. Si loquamur de Anniversario perpetuo, facile concedimus; quia Coeremoniale non de omnibus Episcopis disponit, et tunc si celebranda sint perpetuo Anniversaria, census pro perpetua celebratione sunt relinquendi. Ast hic non est de his sermo, sed de Anniversario ultimi Episcopi defuncti. Quando de hoc agitur, Coeremoniale Episcoporum nihil de censu relinquendo innuit, sed absolute celebrandum Anniversarium edicit, quod quidem praeceptum importat, et ab omnibus ubique et semper servari debet, et revera servatur. Plura hic addere supervacaneum est: et legi poterunt, quae in *Tiburtina* apposite ad rem adnotantur, et in hac ipsa authentica collectione relata sub numero 4453. *ad Dubium* 4.

18. Post missam Pontificalem ejusdem Feriae V. duo Diaconi assistentes statim se recipiunt in Secretarium ad deponendam Dalmaticam, et in eorum locum succedunt Diaconus, et Subdiaconus Missae Archiepiscopum Sanctissimam Eucharistiam ad Sacellum deferentem comitaturi. Id etiam fieri solet in aliis Functionibus Sanctissimi Sacramenti ritu Pontificali ab Antistite celebrandis. Convenientius enim videtur ut interveniant Ministri cum Amictu, et Alba parati, quam super Amictu, et Rocchetto Dalmatica induti.

19. In Sabbato Sancto Arundo cum tribus candelis, vulgo dicta: *Lumen Christi*, amoveri solet ab Altari statim post Prophetias, quum Archiepiscopus accedit ad Ecclesiam benedictionem Fontis Pontificali more facturus, quae consuetudo retineri posse praesumitur; quamvis enim generatim praedicta Arundo removeatur dumtaxat post Missam, id non videtur praeceptivum, quum Rubricae omnino sileant.

20. In eodem Sabbato Sancto, et Vigilia Pentecostes post Benedictionem Fontis, Archiepiscopus cum Ministris paratis in Ecclesiam reversus ad Litanias procumbit super Faldistorio cum Pluviali, et Mitra, Ministri vero ad ejus latera super Cussinis procumbunt, qnin se exuerint Pluviali respective, et Planetis plicatis. Ratio hujus consuetudinis Rubricarum dispositioni resistentis ex eo desumitur, quia non videtur decere eosdem Ministros procumbere in solo Amictu super Rocchetto. Insuper Canonicus Missam celebraturus, post Prophetias, in Sacristia cum Diacono, et Subdiacono Missae se recipit, neque ad Altare revertitur donec Litaniae finem habeant, quibus quum sint pars Officii, et Missae hujus diei, ipse etiam interesse deberet.

21. In Vigilia Nativitatis Domini, Martyrologium cantatur a Cappellano in habitu Chorali tantum sine luminaribus, et incenso. Haec consuetudo omnino est contraria usui communi aliarum Ecclesiarum, ubi Martyrologium hoc cantari solet ab Hebdomadario cum Stola, et Pluviali, thure, ei luminaribus, ideoque non est laude digna.

22. Canonici, et Cappellani Ecclesiae Primatialis, itemque Parrochi, aliique Sacerdotes per Dioecesim occasione ministrandi Sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae induere solent Stolam super Cappam, et Mozzettam, aut Caputium. Hunc abusum est difficile evellere. Quum enim hujusmodi Presbyteri ex antiquissimo privilegio pro Superpelliceo utantur Rocchetto continuo conquaeruntur, praesertim pauperiores, sibi esse in promptu habendum Superpelliceum super Rocchetto imponendum. Pro Ecclesia vero Conventuali Divi Stephani Papae, et Martyris, quum ab jurisdictione Ordinarii non pendeat, nescio quo pacto animadverti possit in consuetudinem hujusmodi; seu: Utrum 1. Dignitates, Canonici, Parrochi, et Sacerdotes tum Ecclesiae Primatialis, tum aliarum Ecclesiarum Dioecesis Pisanae adigi debeant ad Superpelliceum cum Stola in administratione Sacramentorum juxta Rituale Romanum, deposita Cappa, et Mozzetta, vel Caputio etc.? Utrum 2. In Ecclesia Conventuali Sancti Stephani Papae, et Martyris exempta Presbyteri ministrantes Sacramenta sine Superpelliceo cogi valeant ab Archiepiscopo ad servandam recensitam Ritualis Romani Rubricam (a)?

(a) Haec praxis, quae in Primatiali Ecclesia Pisana in administrando Fidelibus Sacram Eucharistiam servatur, contraria est Rubricae Ritualis Romani, quae *Superpelliceum et Stolam* in administratione Sacramentorum adhi-

23. Laudatae Ecclesiae Primatialis Canonici dum e propria residentia ad illam, vel ab illius janua ad propriam Sedem Archiepiscopalem Archipraesulem in Cappa accedentem comitantur, juxta sublatum morem Canonicorum Ravennatensium, bini post Crucem Archiepiscopalem ante ipsum Antistitem

bendam praecipit, quod pariter singulari modo praescribit dum Sacra Eucharistia est administrada: sic enim praecepit in ordine administrandi Sacram Communionem: *Sacerdos lotis prius manibus, et Superpelliceo indutus, et desuper Stola coloris officio illius diei convenientis.* Jam omnia ordine fieri debent, quemadmodum monet Apostolus, et in Litteris Apostolicis sub plumbo Paulus V. fel. rec. repetit, confirmatque immortalis memoriae Benedictus XIV. et ea praecipue quae pertinent ad Ecclesiae Dei Sacramentorum administrationem. Insuper, qui in Rituali Romano comprehenduntur ritus, monet ut inviolate ab omnibus tamquam Ecclesiae filiis serventur, quia ejusdem Ecclesiae Matris, et Magistrae auctoritate constituti sunt. Qui quaeso, ordo esset in administranda Sacra Eucharistia, quomodo inviolabiliter servaretur quod de habitu, quo hoc Sacramentum debet administrari, praescribitur, si Superpelliceum, quod praecipitur, non adhiberetur? Sane hoc contra Rubricae praescriptum esset, ideoque improbandum foret. Esse abusum non denegatur in dubio, sed affirmatur aeque difficile esse illum evellere. Profiteri abusum sufficiens est ratio ad illum tollendum, evelli autem facili potest negotio si res ad ordinem redigatur, si religiose, et inviolabiliter, ut par est, quae praescripta sunt observentur, ut revera ab omnibus servari absque ullo dubio debent. Neque Rubricae servandae sunt, aut negligendae pro uniuscujusque commoditate, quia in promptu ex. gr. non est Superpelliceum super Rocchettum imponendum. Non agitur sane hic de administranda Sacra Eucharistia per modum Viatici infirmo proxime morituro, sed bene valentibus, adeoque nihil officit, aut potest officere communicandis, si parumper expectent· expectent utique donec Sacerdos habitu praescripto induatur, et, ut debet, ut hoc Sacramentum ministret.

Quodvero ad Ecclesiam sancti Stephani Papae, et Martyris spectat, quae ab Ordinarii jurisdictione non pendet, pro qua tamquam exempta difficilis et pene impossibilis asseritur animadversio in consuetudinem non adhibendi Superpelliceum, velim dicerent, num Ritualis Rubricae hos, illosve respiciunt, hanc ab illa Ecclesiam secernunt, hanc vel illam eximunt? An non potius omnes aeque Sacerdotes Sacramentorum Ministros respiciunt, et obligant? Quid exemptio Ecclesiae ab Ordinarii jurisdictione cum exemptione ab observandis Rubricis? Magnum quidem est inter utrumque discrimen. Apostolicae autem Litterae Summorum Pontificum neminem ab observandis Ritibus et eo, quo praecipiuntur modo, excipiunt, nullam Ecclesiam, quaecumque ea sit, eximunt. *Quapropter*, sic habetur in Apostolicis Litteris Benedicti XIV., qui aliorum Pontificum mandata refert, *hortamur in Domino Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos, et dilectos Filios eorum Vicarios, nec non Abbates, Parochos universos ubique locorum existentes, et alios, ad quos spectat, ut in posterum tamquam Ecclesiae Romanae filii . . . inviolabiliter observent.* Sane quae exemptio in his verbis apparet? quae exceptio? Quis inter Ecclesiae Filios per inobedientiam adnumerari recusaverit? Aut hoc nomine per inobservantiam Rituum, quos servare debet, no-

progrediuntur. Ad hanc tuendam consuetudinem maximi roboris esse perhibetur veterum picturarum testimonium, et perennis traditio a Majoribus accepta, adeo ut praesumatur hic usus ab eo tempore inchoatus, quo ab Urbano Papa secundo haec Primatialis Ecclesia in Metropoliticam dignitatem recepta est. Quaeritur igitur utrum recensita consuetudo servanda nec ne sit?

24. Utrum usus ab Archipresbyteris Pisanis invectus in Sacris Functionibus ritu Pontificali peregendis redigi debeat ad limites Indulti Pontificii?

Et eadem Sacrorum Rituum Congregatio ad Vaticanum in Ordinario Coetu sub infrascripta die coadunata ad relationem Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Thomae Weld Ponentis, exquisita prius sententia alterius ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris scriptis pandita, praeloque cusa, omnibus mature, diligenterque discussis respondendum censuit.

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Attentis peculiaribus circumstantiis in casu, de quo agitur, consulendum Sanctissimo pro Apostolica dispensatione recitandi Laudes sine cantu post Missam Solemnem, Canonicis tamen, aliisque de more aeque ac in aliis diebus obstrictis ad interveniendum ut lucrentur Matutini distributionem.*

Ad 3. *Affirmative illis diebus exceptis, in quibus Archiepiscopus postquam Matutinum solemniter peregit, Laudes quoque solemniter celebrare voluerit.*

Ad 4. *Negative.*

Ad 5. *Assertam consuetudinem non esse ferendam, et Laudes in Choro alternatim, solemni Matutino absoluto, recitandas esse.*

Ad 6. *Negative juxta modum, ea nimirum in parte, quae Coeremoniali Episcoporum adversatur.*

Ad 7. *Negative.*

Ad 8. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad 9. *Negative.*

luerit gloriari? Nemo sane, ut arbitramur, reperietur, qui tantam gloriam negligat. Atque hinc quisque intelliget rationem ab exemptione Ecclesiae desumptam nihili omnino esse faciendam, ut pariter a servandis Ecclesiae Ritibus exemptus quis putetur, et Rubricarum praeceptis renuat obtemperare.

Haec autem responsio haud recens est, nec unica, ita ut quid novi sit modo decretum. Conferantur quae alias ipsa Sacra Rituum Congregatio edixit, et eadem semper decrevisse apparebit, quippe quae ad tuendos, servandosque legittimos et antiquos Ecclesiae Ritus fuit instituta. Sic in *una Dubiorum Urbis sub die* 12. *Julii* 1628, sic *in Syracusana die* 2. *Augusti* 1698, in *Pisaurensi die* 12. *Decembris* 1750, et *in una Urbis Sactae Mariae in Cosmedin* 19. *Julii* 1773, in quibus omnibus Decretis, ut alia multa, et similia omittantur, praescriptum semper fuit *Superpelliceum cum Stola* in administratione Sacrae Eucharistiae, additumque semper aeque fuit *juxta Rituale Romanum.* Nulla itaque est ratio cur aliter responderi posset, adeoque servari debet, quod Rituale Romanum praescribit, contra quod nulla admittenda est contraria consuetudo, nulla vel Personarum, vel Ecclesiarum exemptio, nihili habendae sunt in contrarium sententium quaerimoniae. Omnes enim Ecclesiae praescriptis obtemperare tenentur, eaque inviolate, ac religiose servare.

Ad 10. *Affirmative.*

Ad 11. *Negative.*

Ad 12. *Probetur formiter asserta consuetudo.*

Ad 13. *Negative, atque ita servandum in omnibus aliis Pisanae Dioecesis Ecclesiis tam exemptis, quam non exemptis.*

Ad 14. *Servendam esse dispositionem Coeremonialis.*

Ad 15. *Serventur Rubricae.*

Ad 16. *Servandam esse dispositionem Coeremanialis lib.* 2. *cap* 6. §. 24. *et* 27. *eo modo ut Subdiaconus deferens Archiepiscopalem Crucem sit paratus; atque Acolytus deferens Crucem Capituli sit Cotta indutus medius tamen inter duos Ceroferarios cum luminaribus.*

Ad 17. *Negative.*

Ad 18. *Serventur in omnibus etiam in Vestibus Diaconorum Assistentium Coeremonialis Episcoporum, et memoriales Rituum dispositiones.*

Ad 19. *Servari poterit peculiaris consuetudo, sed consulendum Sanctissimo.*

Ad 20. *Diaconus, et Subdiaconus ut praesto sint ad induendum Episcopum, quum dictum fuerit in Litaniis Sancta Maria, surgentes recedant ad Sacristiam, ubi depositis violaceis Planetis, assumant Dalmaticam, et Tunicellam albas, nec revertantur ad Altare, nisi quum, absolutis Litaniis, solemnis inchoanda sit Missa.*

Ad 21. *Servari posse solitum, adamussim tamen servatis Rubricis novissimae Martyrologii editioni adjectis; dummodo Archiepiscopus noluerit solemniorem alium inducere ritum.*

Ad 22. *Affirmative quoad utramque partem.*

Ad 23. *Negative, et servetur omnino Coeremoniale Episcoporum.*

Ad 24. *Affirmative, sed attentis peculiaribus circumstantiis in casu, de quo agitur, consulendum Sanctissimo pro extensione Indulti Archipresbyteri Pisani ad tramites Constitutionis sa. me. Pii VII. die* 27. *Augusti* 1822.

Atque ita censuit, et servari mandavit. *Die* 12. *Novembris* 1831.

Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo fideli reatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Responsa *in omnibus adprobavit, et benigne annuit pro Apostolica Dispensatione quoad* 2. 19. *et* 24. *Dubium.* Contrariis non obstantibus quibuscumque. *Die* 18. *recensiti Mensis et anni.*

4524 SABINEN.

Ortae quum essent nonnullae quaestiones inter Capitulum et Canonicos Collegiatae Ecclesiae Sanctae Mariae Magdalenae ex una, et Parrochum Ecclesiae Sancti Hilarii partibus ex altera Oppidi Ereti Dioecesis Sabinen. quoad erectionem Crucis Ecclesiae Parrochialis in associandis Cadaveribus ejusdem Paraeciae, tam si haec essent sepellienda in dicta Parochiali, quam tumulanda in supradicta Collegiata, adeo Partes in suis studiis incaluerunt, ut ad rem omnem componendam opus fuerit mutuari praesidium ab Sacrorum Rituum Congregatione. Primitus vero solo exhibito supplici libello, nullisque datis allegationibus, Sacra Congregatio in Ordinario Coetu diei 17. Julii superioris anni 1830. in sensu fuit ut scriberetur Eminentissimo, et Reverendissimo Episcopo Sabinen. pro informatione, et voto. Dum haec agebantur,

et quisque pro suo tuendo studio liti necessaria pararet, dissentientibus adhuc animis, in hoc unum convenerunt, ut consuleretur expensis; proptereaque iterum supplicarunt Eminentissimis Patribus Sacris Ritibus tuendis praepositis, ut omni strepitu, et forma Judicii sublatis, atque sepositis, dignarentur eligere, et deputare Judices Compromissarios, seu Arbitros ad controversias easdem librandas, definiendasque, dato etiam authentico testimonio ab omnibus propria manu subsignato, quo declaratur paratos esse, sine ulla appellatione, amplecti, et observare judicium, et arbitramentalem sententiam. Rata est Sacra Congregatio rem omnem committere Eminentissimo Cardinali Praefecto, qui Arbitris electis, et nominatis, eisdem facultates omnes necessarias, et opportunas ad rem impertiret. Et Eminentissimus ac Reverendissimus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Praenestinus ceu Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus hisce facultatibus utendo sub die 11. Aprilis vertentis anni elegit, et nominavit in Judices Compromissarios RR. DD. Andream Mariam Frattini ejusdem Sacrae Congregationis Assessorem, et Aloisium Canonicum Tomassetti Sub-Secretarium Sacrae Congregationis Concilii utriusque Juris Doctores cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis ad controversias componendas, definiendasque; hac tamen adjecta lege ut in omnibus procederetur sine forma, et strepitu judicii, insuper ut Allegationes omnes una cum sententia Judicum, omniaque ad quaestionem quomodolibet spectantia, et exhibita refererentur in Actis Sacroruum Rituum Congregationis; denique ut nulli liceat ullo umquam tempore ab Arbitramentali sententia quoquo modo appellationem quaerere. Hujus itaque caussae arbitri Judices, utraque parte consentiente, ut omnia rite ac legitime procederent sequentia Dubia concordarunt, quae recensitas controversias complectuntur, nimirum.

1. An, et cui competat elevatio Crucis in casu?

3. An, et cui competat praecedentia in casu?

Dubiis concordatis, Judices ipsi pluries Partium Procuratores audierunt, et attente ac diligenter consideratis Allegationibus hinc inde distributis, visis videndis, consideratis considerandis, servatis in hisce judiciis de jure servandis propriam in scriptis, et in in hunc modum tulere sententiam, videlicet.

Quoad primum Dubium; *Crucis elevationem competere ad Ecclesiam Parrochialem tumulantem, nempe si Cadavera deferantur ad Ecclesiam Collegiatam Sanctae Mariae Magdalenae, hujus Ecclesiae Crux est elevanda etiam si defunctus ad Sancti Hilarii Paroeciam pertineret, et vicissim Crucis elevatio competit ad Paroeciam Sancti Hilarii si defunctus in hac Ecclesia sit tumulandus quamvis de Paroecia Collegiatae esset quum sub una tantummodo Cruce Ecclesiae tumulantis in funeribus esse procedendum pluries decreverit Sacrorum Rituum Congregatio, praesertim in Melphitana* 12 *Julii* 1628., *in Lucen*, 15. *Maii* 1694. *in Melvitana Jurium Parochialium et Praeeminentiarum* 27. *Februarii* 1723. *et omissis aliis novissime in Aletrina* 6. *Maii* 1826.

Quo vero ad secundum Dubium: *Affirmative ad Parrochum defuncti, dummodo non deferat Canonicalia Insignia, si fuerit Canonicus Collegiatae etiam si isti collegialiter incedant. Saepissime enim a Sacra Rituum Congregatione declaratum fuit ad Parrochum defuncti spectare in funeribus Stolam deferre, aqua benedicta Cadavera aspergere antequam e domo efferantur et Antiphonam praecinere: Exultabunt Domino: Immo a Sacra Congrega-*

*tione Concilii in Callien. Jurium Parrochialium* 20. *Decembri* 1828. *declaratum fuit hoc pertinere etiam in funeribus Canonicorum Ecclesiae Cathedralis. Praecedentia vero Parrochi supra Capitulum Collegiatae statuta fuit a Sacrorum Rituum Congregatione in Faventina* 15. *Septembris* 1668. *et alibi. Praesertim vero in casu hoc definire censuimus quum Collegiata Sanctae Mariae Magdalenae crecta fuerit a sa. me. Urbano VIII. absque ullo praejudicio alterius Paroeciae, quae quum jam extaret, dici nequit Collegiatae filialis. Quod si ad consuetudinem convertatur sermo numquam Cananici in funeribus Parrochum Sancti Hilarii praecesserunt. Si vero Parochus iste fuerit Canonicus, et Canonicalia Insignia deferre cupiat, tunc proprium locum inter Canonicos habere debet, nanque facto suo in illo, vel altero casu Parochialibus privilegiis vale dixit, et se esse contentum declaravit veluti Canonicum tantum censeri voluisse. Et ita dicimus, sententiamus, pronunciamus, et declaramus omni meliori modo.* Atque ita sententiarunt. *Die* 19. *Septembris* 1831.

Quum autem super re percuperent omnes ut opportunum ederetur Decretum, et ad ea, quae in arbitramentali sententia continentur, opportune servanda, atque ut sententia ipsa omnibus pateat, et authenticum Documentum in Archivio earumdem Ecclesiarum servari queat, Sacra Rituum Congregatio in Ordinario Caetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata praesens decretum expediri jussit, atque a Capitulo et Canonicis Collegiatae Ecclesiae Sanctae Mariae Magdalenae, et Parrocho Sancti Hilarii Ereti Dioecesis Sabinen. sine ulla appellatione servari mandavit. *Die* 12 *Novembris* 1831.

4525. MONTIS ALTI.

Multis ab hinc Annis, cujus initii memoria penitus obliterata est, consuevit Sodalitas Sanctissimi Sacramenti una cum quatuor Parrochis loci Comunanza vulgo nuncupat. in in Dioecesi Montis Atti singulis tertiis Dominicis cujusque Mensis Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum processionaliter deferre, extra Ecclesiam Sanctae Catharinae, in qua, utpote proprii juris, Officia peragit Sodalitas antedicta. Ex quo vero ab ipsis compertum fuit Decretum extare in una Sulmonen. diei, 12. Junii 1638. quo declaratur delationem Sanctissimi Sacramenti extra Ecclesiam non esse permissam, nisi occasione Solemnis Processionis in Festo, et per Octavam Corporis Christi, nec non occasione Infirmorum, et Orationis Quadraginta Horarum juxta Sacrorum Canonum Decreta, eidem obtemperantes Processionem extra Ecclesiam peragere desierunt. Verum ut antiqua consuetudo servetur, Procuratores recensitae Sodalitatis, humillimas Sacrorum Rituum Congregationi preces porrexerunt postulantes ut deinceps supplicatio ipsa effici queat ut antea extra Ecclesiam.

Et eadem Sacra Congregatio in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, referente me infrascripto Secretario, rescripsit. *Attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia. Die* 12. *Novembris* 1831.

4526. CAJETANA.

Beatissimo Padre: Il Rettore del quasi Santuario di Santa Maria della Civita presso la terra d' Itri in Diocesi di Gaeta Regno di Napoli divotamente rappresenta, che ivi concorrono moltissimi fedeli, fra quali molti Sacerdoti di altre diverse Diocesi, quali per la diversità de loro Ordinarj non possono in Coro uniformarsi nella recita del Divino Officio, e siccome sonovi de Sacerdoti, che vi si trattengono anche qualche giorno il desiderio

si è quello, come costumasi nelle Case delle Missioni, e qualche altro sito ancora, che dimorando qualche giorno i Sacerdoti in S. Maria di Civita, possano dire l'Officio che corre in detta Chiesa, e Diocesi di Gaeta, senza che tenuti siano a recitare anche l'Officio Divino della propria Diocesi de Sacerdoti che concorrono a venerare detta Sacra Immagine. Che della grazia etc.

Sacrorum Rituum Congregatio, ad relationem mei infrascripti Secretarii, in Ordinario Coetu hodierna die ad Vaticanum habito, respondendum censuit: *Non expedire. Die* 12. *Novembris* 1831.

4527. TARENTINA.

Inter cetera Sanctimonialium Asceteria, quae Archidiocesim Tarentinam condecorant, alterum Clarissarum existit in ipsa Civitate, quae semper, uti ab ipsis asseritur constantissime, expleto Vigesimoquinto aetatis anno, et emissa professione solemni, Velum benedictionis ab Archipraesule recipiebant ad formam Pontificalis Romani. Modernus autem Archipiscopus probe noscens, quae a sa. me. Benedicto XIV. sua in Costitutione LXXXV. Tomo 2. Titulo de Consecratione, et Benedictione Virginum referuntur, istud uimirum privilegium solis competere Sanctimonialibus Ordinis Sancti Benedicti; benedictionis hujusmodi per Apostolicum Indultum ipsis Clarissis concessae, authenticum testimonium requisivit antequam Velum ipsum Sanctimonialibus imponeret. Ast attenta temporum vicissitudine, quum multa ex privilegiis Asceterio supradicto concessa, fuerint igni tradita; lege enim ab eodem extraendae erant Sanctimoniales; forsan et tale Indultum quoque flammis deperditum fuit. Quoniam autem ab asserta observantia jus destrui nequit; propterea Sacrorum Rituum Congregationi Reverendissimus Tarentinus Archiepiscopus humillime supplicavit, quatenus decernere dignaretur quid esset in re agendum, utrum nimirum Velum benedictionis recensitis Clarissis concedendum, an vero denegandum? Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale in Ordinario Coetu coadunata die 16. Aprilis vertentis anni rescribendum censuit. *Scribatur eidem Reverendissimo Archiepiscopo, qui auditis in scriptis Monialibus, referat super transmissa earumdem Monialium allegatione.* Ad scrupulum usque muneris sui partes Archipraesul explevit, harumque rerum notitia instructis Monialibus Clarissis, ipsae, habito Capitulari conventu, in scriptis retulerunt a primaeva Asceterii origine Sanctimoniales omnes Velum benedictionis, expleto Vigesimoquinto aetatis anno, recepisse, uti eruitur a platea renovationis Asceterii, quae contigit de anno 1695.: insuper ex traditione pernoscere benedictionis hujusmodi Apostolicum obtinuisse Indultum, quod si non fuisset revera concessum, tam multi antiqui Archipraesules, qui per saecula Tarentinam administrarunt Ecclesiam profecto velum Sanctimonialibus non concessissent, ac novissime Sanctimonialem Rosam Fanuzzi ex dispensatione Apostolica illud recepisse ante annum Vigesimumquintum. Quibus omnibus Sacrorum Rituum Congregationi ab Archiepiscopo Tarentino expositis; Haec in novo Ordinario Coetu omnibus mature perpensis, ac rite libratis rescripsit: *Pro gratia confirmationis Privilegii, et ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo. Die* 12. *Novembris* 1831.

Super quibus omnibus facta Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo fideli relatione per me infrascriptum Secretarium, *Sanctitas Sua benigne annuit, et Velum benedictionis, emissa Solemni profes-*

*sione post annum Vigesimum quintum juxta Pontificale Romanum Sanctimonialibus Clarissis Asceterii Civitatis Tarentinae concessit.* ***Die 18. recensitis mensis, et anni*** (a).

(a) Multa hic aeque praeclara tum de antiquitate, tum de praestantia benedictionis, et consecrationis Virginum adnotanda se offerunt, sed ne videamur in medium proferre, quae inutilia quis posset reputare, quaedam tantum adducemus, coetera videri poterunt in Tertulliani Libro develandis Virginibus. Quoad antiquitatem si audiatur Baronius ad Annum Christi LVII. is quibusdam nixus testimoniis Sanctorum Patrum Ignatii Martyris, Clementis Romani Pontificis, et Hieronymi libro 1. adversus Jovinianum in quatuor Filiabus Philippi Diaconi agnoscit primas, quae inter Mulieres post Christi mortem Virginitatem Deo singulari modo voverunt; hinc Apostolorum aevo Virginum consecratio adscribenda videretur, et idcirco ab Ivone Carnotensi in Epistola 41. ad Gotfredum Vindocinensis Monasterii Abbatem scriptum reperitur: *Consecratio Virginum ex Apostolica auctoritate Episcoporum privilegio reservatur.* Si alios Ecclesiae Patres Ambrosium praesertim et Augustinum audiamus, altius est repetenda haec de Virginitate devotio, uterque enim a Beatissima Virgine eam receptam volunt. Ille enim de institutione Virginis disserens *cap.* 5. *Egregia*, inquit, *Maria, quae signum Sacrae Virginitatis extulerat, et intemeratae integritatis pium Christo vexillum levavit:* Hic vero in Libro de Sacra Virginitate *cap.* 4. id probans ex Mariae responsione ad Archangelum Gabrielem in haec scribit verba: *Ipsa quoque Virginitas ejus* (Mariae) *ideo gratior, et acceptior quia non eam conceptus Christus viro violatur, quam conservaret ipse praeripuit, sed priusquam conciperetur jam Deo dicatam, de qua nasceretur elegit: quomodo, inquit,* fiet *istud quoniam Virum non cognosco? quod profecto non diceret, nisi Deo Virginem se ante vovisset.* Legantur Baronius, Christianus Lupus, Tertullianus, Saudinus, si plura quoad hoc desiderantur. Omissis hic omnibus quae a nonnullis relate ad Virgines, quae Deo se voverunt producuntur, quaeque novitatem sapiunt, et ab eruditis, doctisque Viris suis in operibus refutantur, atque ab Apostolica Sede semel et iterum proscripta sunt, his inquam omissis, adnotandum putamus duplicem Ordinem Sacrarum Dei Virginum distingui. Aliae enim quae paterna in domo manebant, aliae, quae commune habentes domicilium monasticum, quoddam quasi institutum amplectebantur. Inter has ab aliquibus adnumerantur plusquam ducentae Virgines illae, quae se se Eugeniae Regis Ethiopum Filiae adjunxerunt, quibusque praeferta Ipsa fuit quum Sanctus Matthaeus eam ad Virginitatem profitendam, servandamque induxit, et quibus Ipsum sacrum velamen dedit, et super quas sacram fudit Orationem, quae adhuc in quibusdam manuscriptis Pontificalibus legitur. Quemadmodum duplex erat Virginum ordo, ut dictum est, ita duplex erat earum consecratio, sive vovendi modus. Harum in una habitus immutatione sita erat, simulque in virginitatis propositio Deo sponte promisso; Altera in manuum, velique impositione Pontificali, et solemni benedictione aeque ac cum Virginitatis servandae proposito.

Haec consecratio ex vetustissimis usque temporibus maximi semper ponderis fuit, et vehementer sunt reprehensi qui contra hanc, vel quoad mini-

4528. TARENTINA.

Ex pio quodam Legato tenentur Moniales Ordinis Sanctae Clare in Civitate Terentina in propria Ecclesia ad Altare majus publicae Fidelium ve-

mum tentare quandoque praesumpserunt. Tanti autem semper habita fuit ea consecratio, ut quidam etiam inter haereticos, puta Donatistas, suas quoque Virgines habuisse ostentarint, eaeque solemniter quoque ab ipsorum pseudo-Episcopis Mitra cooperiendo velarentur. Mitra quippe haec apud Afros sacri veluti veli species erat, quod solemnibus quibusdam precibus adjunctis solebat ab Episcopis imponi, et per illius impositionem ipsa Virginis consecratio reputabatur. Adeo hoc verum est, ut Sanctus Hieronymus ad Demetriadem scribens: *Scio*, inquiat, *quod ad imprecationem*, *Pontificis flammeum virginale sanctum operuit caput*; utque hinc Sanctus Ambrosius in exhortatione ad Virgines ita scribat: *Venit Paschae dies*, *in toto Orbe Baptismi Sacramenta celebrantur*, *velantur Sacrae Virgines*. Vetusta adeo est haec sacri Veli solemnis impositio, et Virginum consecratio, et adeo praeclara utraque coeremonia semper habita fuit, ut Tertullianus inter Scriptores vetustissimus sacrilegos vocet, qui velum hoc detraxerit: *Oh sacrilegae*, inquit libro de valendis Virginibus, *manus*, *quae dicatum Deo habitum detrahere potuerunt?*

Sacer hic non minus, quam vetustus Virgines consecrandi ritus summo studio olim servatus est; et juxta Auctores usque ad saeculum XV. fuit pene universaliter retentus: postmodum vero vel penitus omissus, vel a perpaucis servatus, quocirca, inquit Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiastici cap.* 64. *num.* 21. *et advertas quod consuetudo benedicendi Virgines non amplius est in usu*. Si de hac desuetudine rationem quis quaerat, vel ideo desuevisse hunc ritum, responderi potest, quia fortasse Episcopi minus de consecrandis Monialibus se se faciles exhibuerunt, vel quia Sanctimonialium numerus mirum in modum miserantis Dei beneficio succrevit, vel quia satis tum Professione, tum Clausura obstrictae, et protectae Virgines minus novo consecrationis ritu, quasi novo quodam munimento opus haberent, vel quia immutata veteri disciplina illi solemni pompae, quae uti solemnia vota tunc habebatur, per novum jus, novumque aeque legitimum validumque ritum ipsa solemnia Vota successerunt, quae a Monialibus emittuntur in Religione, cui nomen dederunt; quae quidem vota satis superque ad Virginitatem vinculo servandam esse putantur.

At licet ritus hic desuetus universaliter sit, manet tamen aliquo modo in Ecclesia juxta praesentem etiam disciplinam, quum et ipse describatur in Pontificali Romano, et ab aliquibus Monialium Ordinibus servetur. Servatum fuisse etiam ritum hunc tempore Sancti Caroli Borromaei, ex ipsa ejus Synodo Mediolanensi IV apparet, quum Ipse de loco illum peragendi sic praecipiendo loquitur: *Ut ubi religiosus ipse et vetus Moniales solemniter velandi mos his temporibus antiquatus est ad pristinum usum ex veteri instituto et ritu revocetur; dummodo intra Monasterium id fiat*: Ex quibus verbis duo eruuntur, primo fortasse aliis etiam in locis extitisse hunc ritum; secundo non esse proscriptum, ut falso quidam putant Auctores, sed ad pristinam formam, quae fortasse immutata erat, esse revocatum.

Ut autem ad propositum iterum veniamus, omissis aliis quam plurimis, quae hic afferri, possent, quaeque ea

nerationi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum exponere tribus postremis diebus Carnis privii. Ne vero in sacro audiendo ipsarum pietas fraudetur humillimas Sacrorum Rituum Congregationi preces porrexerunt pro facultate

respiciunt quae ab aliquibus Auctoribus de desuetudine non solum, sed de abolitione, hujus ritus, dubiis saltem, si non falsis auctoritatibus innixis, in medio proferuntur, advertere praestat, neminem sibi facile persuadere posse quod Sacra Congregatio negociis Episcoporum et Regularium praeposita, nulla habita ratione ad ritus hujus antiquitatem, et solemnitatem, neque ad Conciliorum, et Sanctorum Patrum sanctiones, hunc ipsum ritum, ut a quibusdam asseritur voluisse proscriptum; facta enim, hujusmodi assertionibus non respondent. Nam, ut refert Catalanus in suis ad Pontificale Romanum Commentariis, quum non multis a sua aetate annis (anno scilicet 1778.) quidam Episcopus, cujus reticet nomen, ab eadem Sacra Congregatione petiisset, dari sibi facultatem consecrandi Virgines suae Dioecesis, Sacra Congregatio sapienter respondit ut suo uteretur jure. Per Sacram itaque Congregationem hic consecrandarum Virginum ritus inter Episcopalia munia adnumeratur; nec aliter dici hoc etiam tempore potest, quum ritus iste in Romano Pontificali appareat insertus in apposito titulo: *De benedictione, et consecratione Virginum*: jam neque ritum insertum, neque titulum appositum videremus, si Ritus ipse fuisset proscriptus, immo uterque fuisset delendus, inseritur autem, et apponitur, quia revera alicubi adhuc extat, ut ex ipso Dubio liquet, et non multis ab hinc annis peractus est. Sane jure suo usus fuit, et pervetustum ritum servavit, ut alios omittam sa. me. Benedictus XIII. quum esset Episcopus non semel Virgines solemni ritu consecravit, quod et peregit etiam dum esset Summus Pontifex complures Moniales Benedictinas in Acetorio Sancti Ambrosii Romae benedicendo.

Ut autem singulari modo de Dubio, et de data responsione agatur, quum quaestio quodammodo excitata videatur, an solae Moniales Ordinis Sancti Benedicti hunc ritum servent, sive an solum super his exclusive Monialibus servari hic ritus debeat, pauca advertenda occurrunt, eaque non despicienda. Non obscure Benedictus XIV. felicis recordationis in sua octogesima quinta Institutione videtur indigitare alias etiam Moniales, quae Ordini Sancti Benedicti nomen non dederunt, consecrationis Ritum, ut in Pontificali Romano reperitur, et praescribitur servare posse; siquidem in illa Institutione haec habet §. 11.: *Statim ac Nos suscepimus hujus Ecclesiae* (Bononiensis) *administrationem cogitare coepimus, an reliquas quoque Moniales ritus hujusmodi participes facere teneremur, si necessariis conditionibus praeditae essent, ut velum Consecrationis reciperent. Id vero Institutum coeteris Monialibus convenire duximus ob sacram ipsius vetustatem, et ob consilium Sancti Caroli Borromaei, qui in quarta Mediolanensi Synodo sic decrevit: Ubi religiosus iste et vetus Moniales solemniter velandi mos his temporibus antiquatus est, ad pristinum usum ex veteri instituto et ritu revocetur; dummodo intra Monasterium fiat.*

Aliquam fortasse difficultatem promovere quis posset ex illis verbis Benedicti XIV. *an reliquas quoque Moniales*, utrum scilicet, haec verba accipi ita debeant, ut sub illis intelligatur Moniales Ordinis Sancti Benedicti, quae nondum consecratae fuerunt, adeoque illae, conditionibus requisitis non

celebrandi Mssam Conventualem sine cantu ad Altare, ubi Expositio, ut supra peragitur dictis tribus diebus. Sacra eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario in ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis

deficientibus, ab Eo consecrari deberent, an vero de aliis quibuscumque Monialibus, quae diversam a Sancti Benedicti regulam sequuntur? Ast obvius verborum sensus suadet, de his verba accipi debere, nec ratio apparet cur de solis Monialibus Benedictinis intelligi debeant; nam neque Benedictus XIV. neque Sanctus Carolus taxative, et exclusive de Monialibus Ordinis Sancti Benedicti mentionem faciunt, sed simpliciter Moniales dicunt. Idem constat ex iis, quae in praecedenti paragrapho ipsius Institutionis habentur, in quo, ut quisque videt, non agitur nisi de modo servando, de quo Cardinalis Boncompagni Sacram Rituum Congregationem bis consuluit Anno scilicet 1698. et 1699.

Insuper §. VIII. inquit Benedictus XIV.: *Et quamvis consecratio hujusmodi superiori tempore fere in desuetudinem abierit, ritus tamen ipsius retentus est, praesertim ab iis Monialibus, quae Sancti Benedicti disciplinam sequuntur*. Jam quisque videt per vocem *praesertim* clare innui ab aliis etiam diversi Ordinis Monialibus servatum fuisse hunc ritum, licet ab initio forsan fuerit proprius Monalium Sancti Benedicti, et pro iis adprobatus, et institutus primario fuerit. Si secus diceretur, inutile prorsus videretur hanc vocem *praesertim* additam fuisse, quae quidem vox non est exclusiva aliarum diversi Ordinis Monialium, sed potius et istarum comprehensiva. Quapropter ea verba his aequivalere videntur enunciationibus, et quamvis consecratio ejusmodi superiori tempore fere in desuetudinem abierit quoad reliquas Moniales, quae Sancti Benedicti Regulam non sequuntur, ritus tamen hic retentus est *praesertim*, hoc est principaliter, et prae aliis ab iis Monialibus, quae Sancti Benedicti disciplinam sequuntur.

Demum hic ritus in Romano Pontificali praescribitur, et apposito singulari titulo legitur, ut supra notatum est: *De Benedictione et Consecratione Virginum*. Jam Pontificale Romanum ea continet, quae universim servantur, et servari debent, vel possunt, et si sunt singularia, sunt propria, et privativa aut jurisdictionis, aut Ordinis, et tunc vel in Codicibus Liturgicis quibuscumque tamquam propria, ac singularia indicantur, vel totidem separatim vel exarantur, vel typis mandantur Libri, quot proprii sunt exclusive ritus. Jam Titulus hic generalis est pro Monialibus, non pro quibusdam Monialium Ordinibus, taxative confectus et appositus, non hanc vel illam Monialium Regulam comprehendit hanc vel illam excludit. Moniales igitur omnes cujuscumque instituti hae sint in eo generico Titulo comprehensae censeri debent, omnesque pariter ritum hunc *necessariis* ut loquitur Benedictus XIV. *conditionibus existentibus*, ubi adhuc viget, sequi possunt.

Vigebat siquidem in Civitatate Tarentina mos, ut Monales Asceterii Clarissarum expleto vigesimo quinto aetatis Anno, solemni emissa Professione, Velum benedictionis ab Archiepiscopo reciperent, et ritus juxta Pontificale Romanum servabatur. Reverendissimus modernus Archiepiscopus ratus hunc ritum solis Sanctimonialibus Ordinis Sancti Benedicti competere, pro iisque tantum vel institutum, vel servatum fuisse de privilegio Clarissarum Monialium suae Civitatis moneri voluit, antequam ritum ipsum perageret. Et optime quidem, quum enim de pri-

roscripsit: *Pro gratia, dummodo in Missa Sacra Eucharistia non distribuatur. Die* **12.** *Novembris* **1831.** (a).

vilegio agitur, constare de hoc debet, ne universali Legi, et Juri commuui sine ratione derogetur per exercitium privilegii suppositi, et non obtenti. Moniales, ut ex facto apparet, de hoc ab ipsis constantissime servato Episcopum docuerunt, illumque ritum pariter vel ab ipsa Asceterii illius origine ex constanti traditione acceperunt, retentum hucusque fuisse affirmarunt, et ab aliis praedecessoribus Archiepiscopis perfectum osserverunt. Sacra Rituum Congregatio, omnibus perpensis satis constare putavit de asserta traditione, et de vetustissima hunc ritum servandi consuetudine, et privilegio, quo Moniales Clarissae Tarentinae Civitatis fruebantur; nihil tamen certi decernere volens, et difficultatibus ex parte Reverendissimi Archiepiscopi allatis fortasse permota, quamvis pro gratia confirmationis asserti privilegii pronunciaverit, ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo rescripsit, qui pro sua Sapientia, per eumdem Secretarium Sacrorum Rituum Congregationis pro Privilegii confirmatione benigne annuit, et Velum benedictionis emissa solemni Professione post Annum vigesimum quintum juxta Pontificale Romanum Monialibus praedictis Clarissis Tarentinae Civitatis concessit. Quae sane concessio, si ea perpendantur, quae superius sunt adnotata (non enim solis Monialibus Benedictinis iste ritus exclusive est reservatus), quaeque a Monialibus pro conservando vetustissimo privilegio allata sunt, non novum quid stricte loquendo tribuit, sed potius obtenti jamdiu privilegii, et vetustissimae revera servatae consuetudinis confirmatio habenda est. Ad quod confirmandum satis superque esse poterunt, quae praemissa fuerunt.

(a) Missam vel celebrari, vel decantari in Altare, in quo expositum est Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum non semel vetuit Sacrorum Rituum Congregatio appositis Decretis, sive illud pro Oratione Quadraginta Horarum, sive alia occasione per Annum expositum sit: et jure quidem, nam populus adorationi intentus, aliis precibus et actionibus licet sacris, ab illo distrahi non debet, cui unice, et principaliter est intentus. Cautum hoc fuit a fel. re. Clemente XI. in sua Instructione de iis, quae servanda sunt, pro Expositione Sanctissimi Sacramenti in Oratione Quadraginta horarum, in qua edicitur §. *XII.* ut Missae omnes sive privatae, sive solemnes, in eo Altari omnino prohibeantur, duabus tantum exceptis, quae celebrantur pro exponendo, et reponendo Sanctissimo Sacramento. Haec est regula adeo stricte, accurateque servanda ut nemini liceat ab ea declinare. Dari quidem possunt casus particulares, quibus fortasse in eo poterit celebrari, sicuti urgens necessitas, defectus Altarium in eadem Ecclesia, vel vicinarum Ecclesiarum, praesertim ubi praeceptum urgeat audiendi Sacrum, consuetudo, quae vere sit immemorabilis, quaeque tolli nequeat sine Populorum scandalo et offensione, aliaque hujusmodi, quae Ecclesia, vigente etiam contraria lege, toleranda esse censet. Sed casus particulares universalem legem, et regulam non destruunt, neque omnibus aeque casus particulares possunt atpari, ut aeque omnes ad legem universalem stricte sequendam non teneantur. Plura his addere supervacaneum esset, quum in memorataeClementinae Instructionis illustrationibus pene omnia, quae in hac materia occurrunt enodanda dubia reperiantur, ac cla-

4529. PISANA.

Reverendissimus Archiepiscopus Pisarum servari cupiens in Ecclesiasticis Functionibus, quae a Rubricis praescripta sunt, pro sua Primatiali Ecclesia a Sacrorum Rituum Congregatione declarari petiit.

1. An liceat manere genuflexos in Choro tempore, quo standum est, sedere quum est standum etc. non obstante consuetudine immemorabili?

2. An liceat in die Sancti Marci cantare Missam de Rogationibus in Primatiali post Tertiam, quia in Litaniis majoribus ipso die itur processionaliter ad Ecclesiam Sanctae Marthae, et ibi cantatur Solemnis Missa de Sancto Marco, qui ejusdem Ecclesiae putatur Contitularis eo quod populus Ecclesiae Sancti Marci jam adjunctus fuerit Paraeciae Sanctae Marthae? Notandum tamen quod Ecclesia Sancti Marci adhuc existit non Parrochialis ut olim, sed ut publicum Oratorium, et populus dumtaxat Sancti Marci aggregatus fuit Ecclesiae Sanctae Marthae.

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum in Ordinario Coetu coadunata, ad relationem mei infrascripti Secretarii respondendum censuit.

Ad 1. *Serventur Rubricae quoad tempus standi, sedendi, et genuflectendi in Choro.*

Ad 2. *Detur Decretum in una Galliarum die* 11. *Januarii* 1693, *nimirum Missam de Feria canendam esse post Processionem in die festo Sancti Marci, nisi Processio finem habeat in Ecclesia eidem Sancto dicata. Die* 12. *Novembris* 1831.

rissime declarentur, quae ambigua videri possunt; eas itaque adeat, qui plura desiderat.

A regula hac generali Sacrorum Rituum Congregatio Moniales Ordinis Sanctae Clarae in Civitate Tarentina censuit dispensandas, facultatemque concessit, ut Missa Conventualis sine cantu in Altari Expositionis celebraretur, ne evagationibus detur locus dum pietas non defraudatur. In unum enim collectae Moniales, nec ab Altari, ubi Missa celebratur, et Sanctissimum Sacramentum est expositum plus aequo distantes, piis sane meditationibus assuetae, altera alteram potest ad devotionem vicissim aemulando excitare, eodemque tempore pro earumdem Christi Sponsarum conditione, praecipuo adorationis objecto omnes intentae esse possunt. Ut autem specialis gratia appareat, et ad earum pietatem, uti petebant fovendam Sacri auditione, concessa, Sacrae Eucharistiae distributio in eadem Missa omnino prohibetur. Hoc enim esset omnes fines praetergredi: quum enim ex universali lege vetitum sit Missam sive solemnem, sive privatam eo in Altari celebrari, omnia alia in hac particulari concessione ibidem Missam celebrandi excluduntur, quae stricte in singularis gratiae concessione, non continentur, et si fiant universalibus legibus quovis modo opponuntur, quae eo quo possunt, et debent modo servandae sunt. Jam si ex universali lege Missae quaecumque vetantur in Altari, ubi est Sanctissimum Sacramentum expositum, eo ipso Sacrae Eucharistiae eodem in Altari distributio vetita censenda est, nam in alio Altari Sacra Eucharistia asservari debet, ut Fidelibus possit distribui, atque ita universali lege servata Fidelium satisfit pietati, ac devotioni, cui ipsa Clementina Instructio plenissime consuluit.

4530. DERTHONEN.

Populus Civitatis Novarum Dioecesis Derthonen. in Liguria ante postremam reductionem Festorum factam sub die 14. Novembris 1806. servabat Indultum reductionis Festorum servandorum in Liguria ex Decreto sa. me. Pii Papae VI. sub die 23. Augusti 1782. ex quo Indulto constat Januenses non fuisse solutos a praecepto servandi festivum diem Nativitatis Sancti Joannis Baptistae Patroni principalis Liguriae cum jejunio in Vigilia Festi, et audiendi sacrum in festis suppressis, et jejunandi in vigiliis Sanctorum Apostolorum. Servabat item jejunium in Vigilia Festi Conceptionis Beatae Mariae Virginis Patronae principalis Liguriae ab antiquo servatum in tota Liguria. Anno 1815. conjuncta cum Pedemontio Liguria, et promulgato Indulto reductionis festorum, et jejuniorum servandorum in Pedemontio ex Decretis Summorum Pontificum Pii VI. dato sub die 27. Maii 1786. et Pii VII. dato sub die 9. Novembris 1814. recensitus populus Civitatis Novarum a praedicto anno 1815. ad hanc usque diem conformavit, et conformat se ad servandum Indultum Pedemontanum, ex quo Indulto constat Pedemontanos esse solutos a praecepto servandi festivum diem Nativitatis Sancti Joannis Baptistae, et jejunandi in vigilia festi, et ab aliis praeceptis expositis in Indulto Januensi. Hisce omnibus expositis Sacrorum Rituum Congregationi, humillime supplicavit R. D. Molinelli Vicarius Capitularis Derthonen. declarari. An, non obstante unione Liguriae cum Pedemontio, populus ejusdem Civitatis Novarum Dioecesis Derthonen. in Liguria debeat servare festivum diem Nativitatis Sancti Joannis Baptistae Patroni principalis Liguriae cum jejunio in Vigilia Festi? Similiter an debeat servare jejunium in Vigilia Festi Conceptionis Beatae Mariae Virginis pariter Patronae principalis Liguriae, ut servabat ante postremam reductionem Festorum sub die 19. Novembris anni 1814.

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticauum sub infrascripta die coadunata ad relationem Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis D. Placidi Zurla Ponentis, omnibus mature, accurateque consideratis rescribendum censuit; *Nihil innovetur, et servetur praxis, quae in usu fuit ab Anno* 1783. *ad annum* 1806, Atque ita rescripsit, et servari mandavit. *Die* 7. *Aprilis*. a832.

4531. ORDINIS EXCALCEATORUM REFORMATORUM SANCTISSIMAE TRINITATIS REGNI HISPANIARUM.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo humillime exposuit R. P. Fr. Joseph a Sancto Francisco Procurator Generalis Ordinis Reformatorum Excalceatorum Sanctissimae Trinitatis Regni Hispaniarum usque ab anno 1802. datum fuisse recensito Ordini Apostolicum Indultum peragendi Festum Sanctissimae Trinitatis Ordinis ejusdem Titularis cum Octava privilegiata, excepta occurrentia alterius Festi etiam translati, sed ritus duplicis primae, vel secundae Classis dumtaxat, et super hac concessione quaedam in praesentiarium exoriri Dubia non ita facile resolvenda, eo quod in precibus tunc non fuerit expressum alterum privilegium anno 1776. Regno Hispaniarum concessum, celebrandi nimirum Octavam Corporis Christi ita privilegiatam, ut omnia alia Festa, praeter Sancti Joannis Baptistae et Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli excluderet, propterea Sanctitatem Suam humiliter exoravit, ut concedere dignaretur utriusque Excalceatorum Reformatorum

Familiae Alumnis tam infra, quam extra Hispaniam degentibus, Octavam Sanctissimae Trinitatis Titularis jam plusquam sexcentis annis ab Innocentio Papa Tertio elapsis celebratam peragere privilegiatam, et quidem ante Festum Corporis Christi, festo secundae Classis non occurrente, aut primae Classis, etiam translato, et post illud festum, excludendo cetera festa, praeter Festum Sancti Joannis Baptistae occurrens, aut etiam traslatum; facta tamen hoc in casu commemoratione Octavarum Sanctissimae Trinitatis, et Corporis Christi. Sanctitas Sua, referente infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, rescribi mandavit: *Proponatur in Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria*: Relatis propterea per Eminentissimum, et Reverendissimum Dominum Cardinalem Joannem Franciscum Marco-y-Catalan Ponentem supradictis precibus in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunato, Sacra Congregatio, exquisita prius sententia alterius ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris scriptis pandita, praeloque cusa, omnibus mature, accurateque perpensis, ac libratis, rescribendum censuit: *Pro gratia confirmationis Privilegii anni* **1802.** *expetitae extensionis juxta Votum Magistri Coeremoniarum: Nimirum Festum Sanctissimae Trinitatis celebrandum esse ab Alumnis recensiti Ordinis utriusque sexus Kalendario proprio utentibus, tam intra, quam extra Hispaniam, cum Octava privilegiata, excepta occurrentia alterius Festi primae et secundae Classis tam occurrentis, quam translati, vel alicujus diei Octavae, de quibus faciendum est Officium vel ante, vel post Festum Sanctissimi Corporis Christi, cum commemoratione Octavarum.* Servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. *Die* **7.** *Aprilis* **1832.** (a).

(a) Indultum, quod concessum fuit Ordini Reformatorum Excalceatorum Sanctissimae Trinatis Regni Hispaniarum peragendi Festum Sanctissimae Trinitatis ejusdem Ordinis Titularis cum Octava privilegiata concessum utique fuit intuitu praecellentis Tituli, quo dictus Ordo insignitur; et a quo nomen sumit: quia tamen non est per se ejusmodi ut omnia alia Festa excludat, quemadmodum sunt quaedam Octavae, quae vel omnia alia excludunt Festa, vel solum ex Rubricis admittunt Festum de Patrono vel Titulari Ecclesiae, et propriae Ecclesiae Dedicationis, idcirco in memorato Indulto vetatur fieri de Octava, occurrente altero Festo ritus duplicis primae Classis, eoque etiam translato. In concessione enim Indulti sartam, tectamque quodammodo Rubricarum dispositionem, et quorumdam Festorum dignitatem voluit haberi. Privilegium alterum, de quo in supplici Libello Anno 1802. porrecto pro obtinenda Octava privilegiata Sanctissimae Trinitatis, de quo supra mentio facta fuit, opponebatur primo, quia Octava Sanctissimi Corporis Christi ita privilegiata ipsi Ordini Excalceatorum Sanctissimae Trinitatis erat, ut Festa tantummodo Sancti Joannis Baptistae, et Sanctorum Apostolorum Petri, et Paulli omnibus aliis exclusis admitteret; hinc de Octava Sanctissimae Trinitatis fieri non poterat vi majoris Indulti, hoc enim aliud destruebat, quod posterius fuit concessum Indultum; quapropter supplicatum fuit, ut retineri posset, et peragi Octava privilegiata Sanctissimae Trinitatis, uti enunciatum est, dummodo non occurreret Festum secundae Classis, aut etiam translatum, quod ritu primae Classis gauderet. Sacra Congregatio perpensis rationibus, et tam veteri attento privilegio cele-

4532. ARIMINEN.

Desiderio motus eliminandi nonnullos abusus, qui sensim introducuntur super sacris Ritibus R. P. Fr. Marianus ab Arimino Ordinis Minorum Sancti

brandi Octavam Tituli ipsius Ordinis cum hujus Octava, rescripsit ut supra in Decreto, ita tamen ut Festo primae, et secundae Classis vel occurrente, vel translato, de his fieret, quemadmodum etiam de aliquo die octavo, de quo faciendum sit Officium.

Ut aliquid in re adnotetur; Indulta quae de Octavis concessa huc usque sunt ab Ecclesia, quaeque nunc conceduntur, si res per se consideretur, eo sunt pluris habenda, quo minores antiquitus erant Octavae, et quo magis quam ante sunt privilegiatae, et privilegiatarum Octavarum numerus, novis accedentibus concessionibus succrevit; hinc qui eas obtinet gloriari jure potest, et a praesenti Ecclesiae disciplina gratum, acceptumque referre. Siquidem si veteres, recentioresque auctores audiamus, et diversa consulamus Sacramentaria vel Gelasianum, vel Gregorianum una, vel altera celebrabatur, nam juxta Grancolasium Octavae celebrabantur Paschatis, Pentecostes, et Nativitatis Domini. Sanctis autem nullae per aliquot saecula tributae fuerunt Octavae, et octavo tantum saeculo Sanctis Octavae fuerunt assignatae, ita tamen ut in veteribus Codicibus non reperiantur nisi Octavae Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Sancti Laurentii Martyris.

Insuper in Octavarum celebratione, diebus, quae Festum inter, et diem octavam intercedebant, de illis nec recitabatur Officium, nec commemoratio ulla fiebat. Veteris hujus moris quoddam vestigium reperitur in Festo Sanctae Agnetis, in cujus octava Breviarium Romanum sic indicat: *Sanctae Agnetis secundo.* Temporis progressu diebus etiam inter Festum et octavum ab eo diem, de Sancto cujus octava celebrabatur fieri Officium coepit. Adeo verum hoc est, ut referente Micrologo, si excipiantur hebdomadae Paschatis, et Pentecostes, Psalmi de Feria recitabantur in omnibus etiam Domini Nostri Octavis, licet Invitatoria et Responsoria essent de Festo. Alia possent hic notari, quae praetermittenda putantur, quaeque apud Grancolasium, Micrologum, Bedam, ac inter recentiores Auctores apud Gavantum praesertim in sua ad Octavarium Romanum praefatione, et apud Meratum in suis ad Gavantum observationibus reperiuntur.

Nunc Octavae omnes, in quibus, diebus non impeditis ab alio Festo, de iis fit Officium, considerari possunt tanquam prorogatio solemnis Festorum per dies octo juxta Rodulphum. Haec solemnitas dierum octo etiam in Levitico praecepta reperitur *cap.* 23. *v.* 35. *et* 36. *Dies primus vocabitur celeberrimus . . . et septem diebus offeretis holocausta Domino : dies quoque octavus erit celeberrimus, atque sanctissimus, et offeretis holocaustum Domino : est enim coetus atque collectae :* Et in Libro Paralipomenon: *Fecit ergo Salomon solemnitatem in tempore illo septem diebus, et omnis Israel cum eo. . . . Fecitque die octavo collectam eo quod dedicasset Altare septem diebus, et solemnitatem celebrasset diebus septem.* Psalmista in multis Psalmis titulum apposuit *pro Octava*, quod juxta Rabbinorum expositionem musicum instrumentum octo chordarum erat, ut Gerebrardus testatur, sive Psalmus, qui octo notis canitur, ut alii autumant. Sed Jansenius ait, quod illis Psalmis, in quibus praefatus titulus habetur, semper de universali Judicio fit mentio, post quod sequi

Francisci de Observantia Sacrorum Rituum Congreationi sequentia Dubia proposuit.

1. An in Matutino Noctis Nativitatis Dominicae duo Assistentes Sacerdotes parati cantaturi primas Homilias, deferre debeant sub Pluviali Stolam Dia-

debet mystica octava, id est aeterna Beatorum quies, et illorum in anima, et corpore beatificatio, quo sensu facile verba Sancti Ambrosii *lib.* 1. *in cap.* 6. Lucae intelliguntur. Haec itaque vox *octava* sive obvio et litterali sensu accipiatur, sive mystico, gaudium et solemnitatem importat.

Unum hic quaeri potest; unde nam suam sumpserint originem Octavae generice sumptae, quae ab Ecclesia nunc celebrantur? Non est hic sermo de origine eo sensu accepta, ut requiratur ad cujus exemplum hae fuerint in Ecclesia inductae: volunt enim has a Judaeorum exemplo trahere originem, quemadmodum et solemnitas in Ecclesiarum Dedicatione celebranda a dedicatione Templi per Salomonem peracta ab auctoribus putatur desumpta, veluti et alia hujusmodi ab aliis Judaeorum coeremoniis desumpta existimantur. Neque hoc in casu mirari quis vel ad minimum debet: quum enim inter ritus, et coeremonias hebraeorum quaedam essent, quae licet a Deo ipsis praeceptae ut habetur in Levitico, et Deuteronomio, tamen utpote figurae tantum futurorum temporum plenitudine et Christo adveniente abrogandae erant, et abrogatae revera fuerunt, quia utpote figurae non amplius servandae erant post veritatis manifestationem, et Christi adventum, cujus umbrae erant et figurae, et ad eum tantummodo significandum, et praenunciandum praescriptae: Novae proinde, veteribus illis abrogatis, institutae sunt Coeremoniae tempori conformes, veritati jam manifestatae respondentes, et ad eam gratiam significandam, quae conferri hominibus deberet in Sacramentis, et praesertim in Sacrosancto Missae Sacrificio, ad quod significandum; praenunciandumque vetera illa, et inter se diversa Sacrificia erant instituta, quaeque in hoc uno in sua plena significatione continentur. Aliae autem erant Coeremoniae, quas neque Christus, neque Apostoli abrogarunt, utpote non ejusmodi erant quae novae adversarentur Legi, aut Religioni opponerentur, aut superstitionem redolerent, aut ab Evangelicis praeceptis essent alienae. Nil ergo mirum si Apostoli ex iis quasdam, praesertim nascente Ecclesia, retinuerint, ad illarum imitationem, quasdam etiam de novo instituerint, quas Ecclesia adhuc retinet.

De hac, inquam, origine sic accepta quoad octavas, non est hic sermo, sed tantum de origine eo sensu accepta, ut solemnitatis ideam excitet, ac importet, et plures dies ad eam indicandam et celebrandam aliquibus Festis addicantur. Hoc, si quid video, duobus ex capitibus ortum est. Primo ut solemniora Festa majori non solum solemnitate celebrarentur, sed ad indicandam ipsorum prae coeteris excellentiam praeter solemniorem ritum, maior dierum numerus statueretur, ut Religionis nostrae praecipua Mysteria, quorum memoria recolitur altius in Fidelium mentibus figerentur, ut beneficia, quo sunt majora accepta, eo magis illa sentiamus, et majores de iis gratias ad nostram ipsam animae salutem agamus, per longius tempus ea considerantes, mente volventes, et corde retinentes: ut dona et charismata aliquibus Sanctis prae aliis a Deo collata, memoria repetentes et Divinam Bonitatem, et peculiarem Dei in illis amorem agnoscentes Deum ipsum

conalem vel a collo pendentem vel in modum Crucis ante pectus? Et quid si duo Assistentes essent unus simplex Diaconus, Subdiaconus alter?

2. An in primo anni die Hymnus: *Veni Creator*: qui cantatur in Ecclesiis ad invocandum Sanctum Divinum Spiritum, debeat habere pro conclusio-

intensius laudemus, qui illis magna et mirabilia fecit, et admirabilem se in illis ostendit: ut nostra excitarentur corda ad illorum auxilium diutius implorandum, ut et ipsi nostrum apud Deum patrocinium suscipiant, ut Sanctorum virtutes ad imitationem nos provocent, atque delectent. Haec et similia fortasse sunt, quae prae oculis Mater Ecclesia habuit dum pro aliquibus Mysteriis, Festivitatibus, et Sanctis Octavas instituit celebrandas.

Diversa, sive prae aliis solemnior fit aliquorum Sanctorum memoria, seu solemnius eorum Festa celebrantur, quia majori, ut creditur, in Coelis fruuntur gloria, sicuti diversa fuerunt in illis merita: Ait enim Apostolus ad imparem Justorum gloriam indicandam *Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas Stellarum: Stella enim a Stella differt in claritate*; et hinc sane oritur multimoda Officiorum in Ecclesia ratio, et diversitas rituum in Sanctorum Festis celebrandis, quam idcirco coelesti Hierarchiae ex Sancti Dionysii doctrina comparat Durandus in suo Rationali *lib.* 7. *cap.* 1. *N.* 33. sic scribens: *Quum ergo secundum Beatum Dionysium Ecclesiastica Hierarchia repraesentet aequaliter in suis actionibus, seu ordinationibus Coelestem Hierarchiam, in qua Sancti secundum diversitatem meritorum suorum disponuntur; ideo ad hoc reprehesentandum, varietas Officiorum in nostra Ecclesia reperitur*: Immo ex Augustino *Epist.* 86. *Hic decor est, qui Reginam a dextris sponsi adstantem quam plurimum exornat, ut sit in fimbriis suis aureis circumdata varietatibus.* Hanc porro varietatem generaliter adhibet Ecclesia in Sanctis omnibus celebrandis, seu eorum Festivitatibus instituendis, eam dimetiendo quodammodo, eo quo regitur Spiritu, ex cujusque meritis, quantum haec vel per vitae actus nota sunt, vel per benificia eorum vel laboribus, vel intercessione toti Ecclesiae impensa.

Haec, quae Festa nunc dicuntur, et celebrantur, adductis nuper rationibus fortasse Sanctorum *Memoriae* olim dicta sunt, quae vox variis accipitur sensibus: modo enim suscipitur pro sepulchrali monumento, ut ab Augustino accipitur: *De cura pro mortuis gerenda*: modo pro Oratoriis, in quibus Sanctorum Corpora, vel Reliquiae reconduntur, quemadmodum hanc vocem accipit ipse Augustinus contra Faustum Manichaeum *cap.* 2. Hic autem accipitur haec vox de mortuis, sed tanquam ut mentio de vivis fiat, revocando scilicet in memoriam acta, et passiones Sanctorum, vel ut Eusebius habet *lib.* 4. *cap.* 5: *In memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt et ad posteros eorum exemplo erudiendos, et confirmandos.* Antiquitus Martyrum memoria in Ecclesia observabatur, quando eorum nomina inter solemnes preces ante Eucharistiae sumptionem recitabantur ex *Dypticis.* Quaecumque tamen fuerit hujus rei origo, hoc certe spectavit, ut Christiani Deum in Sanctis honorarent, quod revera Ipsi semper agere crediderunt.

Altera Octavarum institutionis ratio ni fallor, haec fuit. Neminem latet initio tot non fuisse numero ritus, seu horum diversos gradus, sub quibus, nunc Ecclesia varia celebrat Festa; proinde hunc majorem rituum numerum majora numero Festa, quae celebran-

ne: *Jesu tibi sit gloria*: ratione Octavae Nativitatis Domini, vel ista: *Deo Patri . . . ejusque soli Filio . . . ?*

3. Quaeritur: an quum in Choro nostro, tempore Missae solemnis, vel Vesperarum adsit Episcopus non Dioecesanus, simul cum Patre nostro Pro-

tur, augendi occasionem dederunt, et etiam ex hoc originem habere potuit haec octavarum pro aliquibus Festis praesertim Sanctorum institutio. Per plura saecula non nisi Martyrum Festa celebrata sunt, aut eorum saltem qui Martyrium passi putabantur, et quamvis unius, vel alterius Martyris memoria celebrata fuerit primis Ecclesiae Saeculis in Ecclesia universa, tamen, ut notat Sanctus Hieronymus, non omnium indiscriminatim Martyrum, seu Sanctorum aeque in Ecclesia universa, et ubique memoriae celebres erant, sive non aequali solemnitate celebratae fuerunt; sed pro diversitate Ecclesiarum, vel horum, vel istorum sanctorum dies fuerunt sacri, idque constat ex diversis Martyrologiis si haec inter se conferantur. Nihilominus praecipua et universaliter Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli memoria celebrata est qui ut sunt omnium celeberrimi, ita et inter omnes diem sibi sacrum potissimum habuerunt; et hinc est quod in Missae Canone primi nominati sunt, quem morem Ecclesia in omnibus semper retinuit, et retinet. Martyrum Festis alia etiam posterioribus temporibus Festa addita sunt, et temporis majori progressu his etiam alia, atque ita factum est, ut nullus fere dies deinceps fuerit, in quo alicujus Sancti Festum non celebraretur.

Haud quidem est hic locus omnia, ut vellem persequendi, omnia numerandi, ac in medium proferendi, quae hanc respiciunt materiam, quare ea consulto omittam, et quod sequitur tantum ad propositum adnotabo. Ecclesia ut varietate circumdata videretur quemadmodum supra ex Dionysio, et Augustino didicimus, et illum repraesentaret in terris hierarchiae ordinem qui in Coelesti secundum meritorum diversitatem observatur, in qua stellarum claritas a claritate differt, Officiorum diversitatem instituit, ut per hanc vel minus, vel magis celebris Sanctorum memoria recoleretur. Aucto Festorum numero, auctus quoque fuit numerus rituum, seu modus celebrandi Festa, sive designatus solemnitatis diversae gradus, quo diversa Sanctorum Festa celebrari deberent: hinc ut disparitas inter eos ex ipso ritu appareret, illorum Festa alia sub uno ritu, alia sub altero celebranda statutum est. Dum quibusdam fuit adsignatus hic vel ille ritus pro Festo celebrando, atque etiam de solemnioribus ut eorum Festis, quae vel antiquiora erant vel majori cum solemnitate celebrari consueverant, celebritas quaedam prae aliis postea adjunctis maneret, auctus fuit numerus dierum, quibus eorum memoria fieret, et sic, si in solemnitate, sive in gradu solemnioris ritus paria illis forent, celebriora prae illis essent quoad dierum numerum, quibus celebritas erat perduratura peragendo de iis Officia. En itaque altera Octavarum origo, illasque instituendi altera causa, qua retenta pro aliquibus jamdiu instituta solemnitate, ex diversis rituum gradibus, qui aucti fuerunt, necessario repetenda videtur.

Haec, quae adducta sunt, quispiam fortasse tamquam a proposito aliena putabit, et ut inutiliter allata reprehendet; sed nec aliena, nec inutilia haec, aliaque in adnotationibus reperiet: non aliena, quia de octavis agunt, ad quas dubium ipsum vocavit: non inutilia, quia non multi reperiuntur, quibus

vinciali Visitatore sit turiphicandus solus Episcopus, aut ambo? Et quid si Episcopus esset Dioecesanus?

4. An sub Reliquia alicujus Sancti exposita publicae venerationi inter Candelabra, debeat adhiberi Palla, sicuti in pluribus faciunt Ecclesiis?

5. Utrum liber, cui titulus: *Collectio, sive apparatus Absolutionum, Benedictionum, Conjurationum etc.*: auctore Bernardo Sannig sit prohibitus vigore Decreti, seu regulae generalis Indicis? aliqui enim affirmant, alii negant, immo omnes fere Sacerdotes hic, et alibi illum adhibent, quamvis omni prorsus approbatione careat? Et quid de aliis libris Benedictionum habentibus quidem aliquam approbationem, ast non illam istius Sacrorum Rituum Congregationis?

Ea Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, audita relatione ad me infrascripto Secretario facta, omnibus mature perpensis rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative juxta Generale Decretum die* 7. *Septembris* 1816. *et juxta Coeremoniale Episcoporum Subdiaconum se abstineat a cantando Evangelio cum Lectione.*

Ad 2. *Concludendus cum Stropha Deo Patri . . . ejusque soli . . .*

Ad 3. *Servetur Coerimoniale Episcoporum.*

Ad 4. *Negative:*

Ad 5. *Illi soli libri adhibendi, et in illis tantum Benedictionibus, quae Rituali Romano sunt conformes.*

Atque ita respondit, et servari mandavit *Di* 7. *Aprilis* 1832.

4533. COLLEN.

Ut in Divinis persolvendis Laudibus omnia rite, et juxta sanctitas leges peragantur, Sacrorum Rituum Congregationi sequentes Quaestiones, et Dubia enodanda proposuit Canutus Bruschi Canonicus Collegiatae Ecclesiae Oppidi Podiibonitii Dioecesis Collen nomine etiam Cleri ejusdem Oppidi, nimirum.

1. Utrum decretnm Urbis et Orbis sa. me. Pii VII. Pontificis Maximi datum sub die 18. Septembris 1814. quo praecipit ut in posterum in universa Ecclesia ubique Terrarum quotannis in Dominica Tertia Septembris celebretur Festum Dolorum Beatae Mariae Virginis sub ritu duplicis majoris abrogaverit, atque aboleverit omnia peculiaria Decreta aliquibus Dioecesibus antea concessa celebrandi idem Festum sub ritu duplicis secunde Classis cum Octava?

2. Utrum nostra Dioecesis, quae suscepit Decretum supramemoratum illudque servavit usque adhuc, possit modo inconsulta Sede Apostolica, resumere observantiam alterius Decreti ejusdem Summi Pontificis Pii VII. pro Regno Hetruriae emanato sub die 18. Novembris 1807. cum quo concessit recitari posse Officium Septem Dolorum in Dominica Tertia Septembris sub ritu duplicis secundae Classis, et cum Octava?

cura sit omnia cognoscendi, quae ad Sacram Liturgiam pertinent, quamvis ex ministerio ad hoc teneantur. Hinc si non omnibus, aliquibus tamen quibus vel desunt libri, vel tempus eos adeundi, certe erunt utilitati, et hoc satis ut quamcumque molestam, aut minus urbanam notam effugiam, in quam possem apud aliquos incurrere.

Si responsio ad secundum Dubium erit affirmativa oriuntur sequentes quaestiones nimirum

1. Cadens in Dominica tertia Septembris Festum Sancti Matthaei Apostoli, et Evangelistae, quale de duobus Officiis ejusdem ritus remitti debeat juxta Rubricas?

2. Si in die octava septem Dolorum Beatae Mariae Virginis occurrat Festum ejusdem Beatae Virginis sub titulo de Mercede, quaeritur, an eo Anno transferendum sit, vel Octava omittenda, uti evenit quaudo in Octava Nativitatis Beatae Mariae Virginis occurrit Festum Sanctissimi Nominis Ejusdem?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata in Ordinario Coetu, audita relatione ab me infrascripto Secretario facta, omnibus mature perpensis, atque libratis, respondendum censuit.

Ad 1. *Negative,*

Ad 2. *Affirmative*, et ad primam quaestionem *servetur Generale Decretum diei* 19. *Augusti* 1817., ad secundam quaestionem, *affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. *Die* 7. *Aprilis* 1832.

5434. MACERATEN.

Regulari observantiae insistens Canonicus Fiorentini Civitatis Maceraten, ne in minimo quidem remittatur studium Ecclesiasticae disciplinae, quae semper inviolabiliter, et accurate servanda est Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum

1. Utrum Canonicus qui per Apostolicas Litteras in forma Brevis expeditas favore sui Collegii Canonicorum gaudet usu Rocchetti, et Mozzettae etiam coram Pontifice, illis uti valeat in Sacramentorum administratione, et verbum Dei annunciando?

2. Et quatenus negative, utrum Superpelliceum Rocchetto imponere valeat iisdem in functionibus?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata in Ordinario Coetu, Dubiorum relatione audita ab me infrascripto Secretario facta, omnibus mature perpensis, respondendum censuit.

Ad 1. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, sed in propria tantum Ecclesia, vel in aliis Ecclesiis ubi adest usus deferendi Cappam, vel Mozzettam juxta Decretum in una Dubiorum diei* 31. *Maii* 1817.

Ad 2. *Affirmative si Capitulum in Choro utatur Superpelliceo tempore aestivo, secus negative juxta praedictum Decretum, sed Cotta tantum, et Stola utendum juxta Rituale Romanum titulo* 1. *num.* 7.

Atque ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 7. *Aprilis* 1832.

4535. MARSORUM.

Perlectis resolutionibus datis ab hac Sacra Rituum Congregatione sub die 12. Novembris superioris anni 1831. nonnullis Dubiis propositis ex parte Reverendissimi Marsorum Episcopi, solutionem, seu declarationem iterum postulavit quoad Dubia 54. et 46. Attenta siquidem Ecclesiarum paupertate Decretum novum expostulavit ad tramites alterius quoad Sacram Suppellectilem ex Gossypio confectam, nimirum ut sublata obligatione servandi strictim Rubricas quoad Paramentorum Colores, sicuti 54. Dubio responsum fuit, Casulae ex variis coloribus assutae, vel flavi tantum coloris tolerari possint

quoadusque consumarentur. Quoad vero 46. Dubium, cui data responsio : *Serventur Decreta :* petiit utrum intelligi hoc debeat relate ad Decretum diei 11. Augusti 1691. quod praecipit in concurrentia Octavarum Beatae Mariae Virginis Vesperas non dividi, sed integras esse debere de Deipara, et extendi etiam ad Octavas Festorum Domini?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, audita relatione ab me infrascripto Secretario facta, re mature discussa, respondendum censuit.

Quoad 1. seu Dubium 54. *In decisis.*

Quoad 2. seu Dubium 46. *Affirmative.*

Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 7. *Aprilis* 1832.

4536. MASSAE, et POPULONIAE.

Quum quaestio inter sacerdotes praesertim Massae, et Populoniae Dioecesis orta esset circa nonnullas Ecclesiasticas Functiones, ideo ut omnis controversia, obortaeque subinde murmurationes de medio tollantur pro sequentium Dubiorum explanatione, Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicatum fuit. Dubia autem proposita haec sunt.

1. An standum sit Missali Romano in benedictione Fontis peragenda in Sabbato Sancto, seu potius consuetudini nimirum prius Aquam in aliquo vase separato benedicere, et antequam infundatur Chrisma ex illo Aquam ipsam extrahere, et mittere in Fontem?

2. An servandum sit Rituale Romanum in administrando Infirmis Viatico, seu potius consuetudo, benedicendi nimirum cum Sanctissimo retrocedentem Populum extra portas Civitatis, Regionis, sive Domus infirmi quando fertur Viaticum Agrariis?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata, audita relatione ab me infrascripto Secretario facta, omnibus mature diligenterque examinatis, respondendum censuit : *Ex speciali gratia servari posse consuetudinem in utroque* (a).

Atque ita censuit, et servari posse annuit. *Die* 7. *Aprilis* 1832.

(a) Ex rescripto ipso Sacrae Congregationis erui facile potest stricte servandam fuisse Missalis, et Ritualis Romani dispositionem in utroque, quod in dubiis proponitur : ex speciali enim gratia, ut dicitur, servari potest consuetudo : est itaque permissiva responsio, quae regulam universalem, et praescriptionem non destruit, aut infirmat. Ideo autem data est haec responsio, quia unum, idemque esse Sacra Congregatio putavit prius Aquam in Fontis benedictione, quae Sabbato Sancto peragitur in aliquo vase separato benedici, eamque postea ex hoc extractam in Fontem mitti, et eam in Fonte ipso jam paratam benedici : benedictio enim non a loco, sed a precibus pendet. Mittitur in Fontem, ut in dubio, postquam omnes preces pro benedictione perficienda assignatae, prolatae sunt, et antequam Oleum Chrisma infundatur : salva itaque est Rubrica, nec ulla in hoc substantialis mutatio dignoscitur, quae ritum pro fontis benedictione praescriptum immutet. Sicuti enim in Rubrica Missalis legitur de hac aquae benedictione *prius quam Sacra Olea in eam infundantur per Sacerdotes assistentes spargitur super Populum, et interim unus ex Ministris Ecclesiae accipit in vase aliquo de eadem aqua ad aspergendum in domibus, et in aliis locis*, ita non officit

4537. TARENTINA.

Beatissimo Padre.

L' Arcivescovo di Taranto divotamente espone alla Santità Vostra come nella Diocesi Terentina vi sono cinque monasteri di Monache Claustrali, uno dell' Ordine Agostiniano, un altro dell' Ordine Benedettino, e trè dell' Ordine Francescano. Tutti questi cinque Monasteri sono soggetti all' Arcivescovo, non già alli Superiori Regolari dei sudetti Ordini rispettivi. Ciò non ostante recitano l' Officio Divino con i Breviarj de respettivi Ordini Regolari, e coi Santi degli Ordini medesimi modificando il Calendario dell' Arcivescovo per farvi entrare i loro Santi particolari.

L' Arcivescovo esponente sostiene, che le sudette Religiose essendo soggette all' Arcivescovo, e non ai Superiori Regolari, dovrebbero adattarsi in tutto al Calendario della Diocesi, e ritenere soltanto il Breviario particolare, e ciò a norma delle regole dei Sacri Riti.

Ma siccome le suddette Religiose per lo passato hanno sempre fatto le surriferite modificazioni al Calendario della Diocesi, per farvi entrare i loro

praescripti ritus substantiae quod quae remanet Aqua in vase, recitatis jam pro partiali benedictione precibus assignatis, antequam Sacra Olea infundantur, et tota Fontis benedictio peragenda perficiatur, in Fontem, sive in Fontis baptismalis concham mittatur. Responsio itaque permissiva de servanda hac consuetudine ideo data fuit, quia hoc etiam modo Rubrica servatur. Unum tamen adnotabo, quod quidem attentionem aliquam exposcit, quodque in responsione Sacra Congregatio negligendum putavit pro certo habens materialem quemdam errorem in dubio proponendo irrepsisse; quod ex dubii ipsius non satis accurata enunciatione deducitur. Siquidem quaeritur in secunda dubii parte . . . *an potius standum sit consuetudini, nimirum prius Aquam in aliquo vase separato benedicere, et antequam infundatur Chrisma ex illo Aquam ipsam extrahere et mittere in Fontem?* Collata responsione cum dubii verbis ita forte accipi posset, ut Sacra Congregatio permiserit extrahi posse Aquam post infusionem Olei Catechumenorum, dubium enim silet de hujus Olei infusione, et Chrisma solum nominat. At hoc neque esse potuit, neque intellexit concedere Sacra Congregatio, quae ne suspicari quidem poterat hanc revera fuisse consuetudinem, quae servanda in precibus postulatur, eoque minus pro ea servanda etiam ex speciali gratia Eam rescripsisse putandum est, sed uti revera est, sensit errorem in enunciatione irrepsisse, et Sacrum Chrisma nominatum fuisse *pro Sacris Oleis in genere*, quae infundi debent, et ideo in responsione haud adnotandum censuit. Quapropter stando Rubricae dispositioni, et minus accurata enunciatione sublata, quemadmodum Aqua pro adstante populo aspergendo extrahenda est ante Olei Catechumenorum infusionem, ita antequam hoc ipsum Oleum in aqua infundatur, eadem aqua, quae est benedicta in vase separato, de quo est sermo in dubio, mitti debet in Fontem. Haec adnotata sunt ad omnem, si quae oriri posset, aequivocationem, et ambiguitatem vitandam, et Sacrae Congregationis mentem explicandam, quae certe nunquam fuit ut permitteret post Olei Catechumenorum infusionem et ante infusionem Sacri Chrismatis tantum, Aquam, quae Sabbato Sancto in Fontis baptismalis solemni benedictione in separato vase benedicitur, in Fontem mitti.

Santi particolari, così prevede l'Arcivescovo esponente il disturbo delle sudette Communità Religiose se venisse ad ordinar loro l'obligo di uniformarsi assolutamente al Calendario della Diocesi.

Supplica perciò umilmente la Santità Vostra a volersi benignare alle sudette Religiose la facoltà di recitare l'Officio, come hanno fatto finora, cioè modificando il Calendario della Diocesi, con farvi entrare i loro Santi particolari nel modo descritto di sopra, e ritenendo nel medesimo tempo i loro respettivi Breviarj. Che ec.

In Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria diei 12. Novembris 1831. rescriptum fuit; Audiatur idem Archiepiscopus, juxta modum, et auditis ipsis Sanctimonialibus.

Eminenza Reverendissima

In esecuzione dei venerati comandi dell'Eminenza Vostra e di cotesta Sacra Congregazione imposti a me con suo venerato Foglio dei 12. del prossimo passato Novembre, hò fatto radunare capitolarmente le Religiose de Monasteri di questa Città per mezzo del mio Pro-Vicario Generale, e quelle della Diocesi per mezzo de miei Vicarj Foranei respettivi ad oggetto d'interrogarle sopra li trè Articoli, che dall'Eminenza Vostra Reverendissima mi furono prescritti, cioè

1. Se le Religiose di San Benedetto si servano del Breviario Monastico, e del Calendario del proprio Istituto, e da quanto tempo?

2. Se le Religiose di Sant'Agostino, e di San Francesco facciano uso del Breviario, e Calendario del loro respettivo Istituto, e da quanto tempo?

3. Se tutte le suddette Religiose, cioè Benedettine, Agostiniane, e Francescane siano state soggette all'Arcivescovo di Taranto, o pur per qualche tempo siano state soggette ai Superiori respettivi dell'Ordine loro?

Al primo quesito le Religiose di San Benedetto hanno risposto ch'Esse si avvalgono del Brevario Monastico Benedettino sin da dieci secoli. Al secondo ch'ebbero sempre il Calendario dell'Ordine Benedettino e che da pochi anni in quà il Ceremoniere di questa Cattedrale fà loro un Calendario accomodato sulle Rubriche particolari del loro Istituto. Al terzo che furono sempre soggette agl'Arcivescovi di Taranto.

Le Religiose Agostiniane al primo quesito hanno risposto, ch'Esse si sono sempre servite del Breviaro Romano aggiungendo i Santi dell'Ordine di S. Agostino. Al secondo, che sempre hanno fatto uso del Calendario particolare dell'Istituto Agostiniano; e non già del Calendario comune di questa Diocesi. Al terzo che sono state sempre soggette agl'Arcivescovi di Taranto.

Le Religiose Francescane del primo Monistero hanno risposto al primo quesito, ch'Esse hanno fatto uso sempre del Breviario Francescano. Al secondo, che sempre si son servite del Calendario Francescano framischiandovi alcuni soliti Officj della Diocesi, e della città dove dimorano. Al terzo, che sono state sempre soggette agl'Arcivescovi di Taranto.

Le Religiose Francescane del secondo Monistero al primo quesito hanno risposto, che da tre secoli, ossia dalla Fondazione del di loro Monistero, hanno fatto sempre uso del Breviario dei Padri Riformati di San Francesco. Al secondo che fin dalla sudetta loro fondazione ricevono dai detti Padri Riformati di San Francesco il Calendario dell'Ordine Serafico, e sù questo regolano la recita del Divino Officio. Al terzo, che parimenti fin dalla lor fon-

dazione sono state sempre soggette agli Arcivescovi di Taranto. Per notizia particolare però io sò, che anche queste Religiose si fanno accomodare dal Ceremoniere di questa Cattedrale il lor Calendario particolare, tramischiandovi alcuni soliti Officii di questa Diocesi.

Le Religiose Francescane finalmente del terzo Monistero hanno risposto al primo quesito, ch' Esse fin dalla fondazione di detto Monistero hanno fatto uso sempre del Breviario dei Padri Conventuali. Al secondo, che si sono sempre servite del Calendario di detti Padri Conventuali. Al terzo che sono state sempre soggette agl' Arcivescovi di Taranto.

Avendo io pertanto eseguito li rispettabile comandi di Vostra Eminenza Reverendissima, e di cotesta Sacra Congregazione, mi fò il dovere di darlene la conoscenza, e di respingerle compiegata in questa mia umilissima la supplica, come Vostra Eminenza Reverendissima mi ordinò col detto suo venerato foglio dei 12. prossimo passato Novembre.

Finalmente stimolato dai dettami della mia coscienza, e dall' impegno del pieno adempimento ai miei Episcopali doveri mi fò ardito di supplicare l' Eminenza Vostra Reverendissima, e cotesta Sacra Congregazione a benignarsi di emanare le analoghe risoluzioni sull'assunto ad oggetto di calmare, ed assicurare la coscienza di tutte le suddette Religiose, e mia; giacchè quanto Esse hanno finora fatto circa la recita dell' Officio Divino, Breviario, e Calendario, non essendosi eseguito coll' autorizzazione di cotesta Sacra Congregazione, anzi essendosi di propria autorità framischiato, ed accomodato il Calendario Monastico, ossia del proprio respettivo Istituto con quello di questa Diocesi, sembra tutto ciò esser stato poco, o niente regolare. Peraltro sottometto il tutto alla saviezza di Vostra Eminenza Reverendissima, e di codesta Sacra Congregazione, dichiarandomi pronto ad eseguire quanto mi verrà ordinato.

Ed inchinandomi umilmente a baciarle il Lembo della Sacra Porpora, con sincera stima, con profondo rispetto, e col dovuto ossequio passo a rassegnarmi costantemente

Dell' Eminenza Vostra Reverendissima.

Taranto 28. Decembre 1831.

Umilissimo Devotissimo, ed Obbligatissimo Servitore Giuseppe Antonio Arcivescovo di Taranto.

A Sua Eminenza Reverendissima il Sig. Cardinal Pedicini Prefetto della Sacra Congregazione de Riti.

Perillustris, et Reverendissime Domine uti Fratrer . . . In Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, habita fuit ratio supplicis Amplitudinis Tuae Libelli quoad modum recitandi Horas Canonicas, quo utuntur Sanctimoniales istius Archidioecesis, et sequentis informationis transmissae sub datum quinto Kalendas Januarii superioris Anni 1831., quam Sacra eadem Congregatio ab Amplitudine Tua requisivit, auditis ipsis Sanctimonialibus. Post relationem ab infracripto Secretario factam, omnibus mature, accurateque consideratis, Eminentissimi, ac Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi rescribendum esse censuerunt: *In omnibus juxta Decreta, et Privilegia*: Nimirum Sanctimoniales Ordinis Sancti Benedicti utentes jam fere a decem saeculis Breviario Monastico, licet Ordinario subjectae, tenentur dumtaxat ad Officia Patroni Civitatis,

Titularis Ecclesiae Cathedralis, et ex convenientia ad Officium Dedicationis ejusdem in omnibus sine Octava juxta Decreta in una Breviarii Monastici diei 2. Julii 1644. et in Lauden. diei 20. Novembris 1683. Reliquae vero tum Ordinis Sancti Augustini, tum Ordinis Minorum Sancti Francisci, sicut et praedictae Benedictinae non exturbandae sunt a sequendo proprii Ordinis Kalendario, et licet sint Ordinario subjectae non possunt illi Kalendario addere alia Officia, praeter supradicta juxta Decretum in Januen diei 22. Augusti 1744. nisi aliter ab hac Sancta Apostolica Sede fuerit indultum pro Clero Saeculari cujuscumque Dioecesis, et Regularibus utriusque sexus. Haec ejusdem Sacrae Rituum Congregationis mandata libentissimo animo dum Amplitudini Tuae nota facere gestio, illam adprecor, quoniam ejus fides, et integritas perspecta jam est, ut adamussim exequutioni mandentur. Et Amplitudini Tuae diuturnam ex animo exopto felicitatem.

Amplitudinis Tuae uti Frater amantissimus.

*Romae* 7. *Aprilis* 1832.

Reverendissimo Archiepisco Tarentino.

4538. VIGLEVANEN.

Ex immemorabili pene consuetudine Cathedrali in Ecclesia Viglevanen. assolet Capitulum post Laudes recitare Psalmum 129.: *De profundis*; in levamen Animarum piacularibus flammis addictarum, aliquibus cum Orationibus in fine. Inter has locum habet Oratio: *Inclina Domine aurem tuam*: in suffragium Francisci II. Sforza Mediolani olim Ducis, ac Fundatoris tum Episcopatus Viglevanen., tum ipsius Capituli. Modus autem hanc Orationem recitandi caussa controversiarum inter Canonicos nonnullis abhinc annis fuit. Aliqui namque dicunt in Oratione: *famuli tui Francisci*: nonnulli superaddunt: *olim Ducis nostri*. Sed quum multi contendant Pontificali Romano, Decretisque Sacrorum Rituum Congregationi adversari additionem, vel Tituli, vel Dignitatis nominis Defuncti dum pro eo recitatur Oratio, propterea ad controversias evellendas, eliminandumque scandalum, quod non raro usuvenit vel inter Clericos Choro assistentes, vel inter Laicos ipsos, qui eo temporis momento Ecclesiam adeunt, Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicavit R. D. Petrus Ghilardini Canonicus, et Capituli Cancellarius, quatenus decernere dignaretur modum recitandi recensitam Orationem in Suffragiis pro uniformitate obtinenda.

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, audita relatione ab me infrascripto Secretario facta, omnibus mature, accurateque libratis rescribendum censuit: *Oratio*: Inclina Domine: *legenda sine nomine, uti jacet in Breviario, et Missali Romano, citra tamen probationem consuetudinis dicendi has preces post Laudes, quae juxta Rubricas dicendae forent post Primam.* Et ita censuit ac servari mandavit. *Die* 7. *Aprilis* 2832. (a).

(a) Inter Missas, quae pro Defunctis dicuntur, si consideretur Missale in ea tantummodo, quae dicenda est in die obitus, seu depositionis reperitur oratio, in qua rubro colore notatur littera *N.* ad indicandum ibi defuncti nomen esse ponendum: inter orationes vero, quae dicendae reperiuntur sive pro hoc, sive pro illo defuncto, quaeque extant post omnes Missas in unum collectae, in quatuor tantum notatur *N.* nempe in illis, quae

4539. ORDINIS SANCTI HIERONYMI VALLIS DE HEBRON. DIOECESIS BARCHINONEN.

Eminentissimi Patres : Fr. Emmanuel Fomtsere Monachus professus , Coeremoniarum Magister Regalis Monasterii Divi Hieronymi Vallis de Hebron Dioe-

pro Summo Pontifice , pro Cardinalibus , pro Episcopis , et pro Sacerdotibus dicendae assignantur. In harum enim prima , et secunda legitur *Famulum tuum N.* in tertia, et quarta *Famuli tui N.* Quod spectat ad sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales adjiciuntur adnotationes , quae mutationem indicant faciendam pro distinctione respective Ordinis , cui defunctus Cardinalis erat adnumeratus. Ita enim notatur in Rubrica *pro Episcopo Cardinali defuncto dicatur Famulum tuum N. Episcopum Cardinalem : pro Presbytero Cardinali dicatur Famulum tuum N. Presbyterum Cardinalem : pro Diacono autem Cardinali dicitur Oratio* Inclina Domine *ut animam Famuli tui N. Diaconi Cardinalis.*

Praeter istas in nulla alia hujusmodi oratione notatur littera *N.* hinc stricte loquendo juxta Missale non alius nominandus videretur , quia deficiente in aliis orationibus hac littera *N.* non alius nominandus indigitatur. Ratio autem differentiae cuique facile patet ; nam sive defunctus fuerit Pontifex , sive Cardinalis , sive Episcopus , sive simplex Sacerdos ad Ecclesiasticam hierarchiam spectabat dum viveret, quam Ecclesia in hujusmodi defunctis quodammodo adhuc agnoscere , et retinere videtur etiam quum decesserint vel Ordinis , vel dignitatis, qua insigniti erant mentionem faciendo. Itaque quum in aliis orationibus ex : gr : in ea, quae incipit « *Inclina Domine* » de qua in dubio notata non reperiatur littera *N.* nec defunctus nominari deberet. Dixi *non deberet* , hoc est juxta Rubricam, et eam , quam ipsa ponit differentiam, licet in praxi diversimode fiat. Sed Sacra Congregatio non praxim hic attendit, sed Rubricarum dispositionem , cujus accuratae observationi tuendae est instituta. Quum de Rubrica agatur juxta Rubricae praescriptum respondendum fuit , et idcirco ad primam dubii partem rescripsit *legenda sine nomine ut jacet in Breviario et Missali Romano.*

Iam si praeter defuncti nomen mentio fieri posset etiam de Dignitate ( saltem aeque de omnibus ), qua defunctus dum viveret pollebat , ut in dubio , non modo una littera *N.* quae deest , sed altera posita esset : neutrum fita Rubrica ; itaque si non nomen , nec cognomen , vel agnomen , et dignitas est adjicienda. Idem evenit (ut exemplum apposite adducam, et quamdam paritatem ) de defunctis quod de Sanctis, de quibus facienda est mentio in orationibus sive propriis, sive de Communibus aut in Officio, aut in Missa. In hisce enim orationibus solum nomen enunciari debet , exclusis cognomine , patria , vel alia qualibet qualitate. Id non semel decrevit , confirmavitque Sacrorum Rituum Congregatio, et ea expungenda omnino esse ab orationibus praecepit , et contrariam praxim ut abusum tollendum declaravit, eaque tantummodo retinenda esse censuit, neque si invenirentur expungenda esse pronunciavit, quae lice adjectiva essent , supernaturale aliquod donum ipsis a Divina Virtute tributum designabant , immo servanda esse voluit , ut in Sanctis Chrysostomo , et Chrysologo , quae voces facundiam , vim, et efficaciam divini sermonis tamquam peculiare donum in illis indicant, quod fuit a Deo singulari modo ipsis prae coeteris concessum.

Ad secundam responsionis partem quod attinet, Sacra Congregatio sic re-

cesis Barchinonensis Sacrae Rituum Congregationi humillime exponit, a tempore immemorabili festum celebratum fuisse, recitatumque Officium Dedicationis Ecclesiae supradicti Monasterii usque ad annum 1807., quo tempore quum subortum fuerit dubium, utrum praedicta Ecclesia esset consecrata,

spondendo assertam consuetudinem recitandi memoratum Psalmum « *De profundis* » post Laudes, haud quidem aperte improbat, sed neque adprobare videtur: innuit tantum non eum esse locum illum recitandi. Siquidem post Laudes non suffragia pro defunctis, sed suffragia tantum Sanctorum recitantur quae non sunt suffragia proprie dicta, neque eo sensu quo pro defunctis accipiuntur, accipi debent. Dicuntur suffragia, ut a commemorationibus specialibus Sanctorum distinguantur, quae fieri debent, quia eo die incidunt eorum Festa, sed inferioris ritus, et ideo de illis fit tantum memoria, vel quia de illis fieri nequit Officium, vel quia sunt dies infra Octavam alicujus festivitatis, de qua debet fieri commoratio; et ita vocantur, ut per eas orationes, quae tales revera sunt, Sanctorum, de quibus fiunt, meritorum memoria recolatur, atque etiam ita appellantur, ut per memoriam, quae de illis fit, eorum imploremus auxilium, ut ipsi nobis faveant apud Deum, ut suffragentur nobis, ut sint nobis auxilio, nosque protegant, et adjuvent, quo sensu ab Auctoribus sic acceptas videmus voces *suffragium*, et *suffragari*: *Mihi videris*, inquit Cicero 1. Leg. *fratrem laudando*, *suffragari tibi*: et in Epist. *Fortuna te suffragante videris res maximas consecutus*. Non itaque vocantur suffragia proprie, et stricte sumpta, hoc est in levamen Justorum, quos Divina Justitia in Purgatorii poenis detinet, quia condonata eis culpa, atque etiam aeternae mortis reatu, aliquid temporalis poenae eis luendum supersit, donec plene satisfaciant, vel quia quum decesserunt leviores in eis culpae sunt repertae non-dum remissae, pro quibus etiam Deo debent satisfacere.

Jam quum hic non de illis, sed de his agatur, haud quidem in Laudibus habere locum videtur memoratus Psalmus, sed potius post Primam. Est hoc juxta Rubricam, quae si non clare et aperte de hoc loquitur, aliquo tamen modo deducendum indicat post Primam esse dictum Psalmum recitandum. Sane Rubrica Missalis *tit*. 15. *n*. 3. hoc praecipiendo habet *Missa autem pro defunctis dici debet post Primam*. Juxta haec Rubricae verba tempus ad suffragandas defunctorum animas assignatum, est post Primam: quemadmodum itaque statuitur ut Missa (quae maximum est inter suffragia pro defunctis) ad defunctorum levamen post Primam celebretur, sic intelligi debet eo etiam tempore Rubricam (quae ubivis de hoc silet) voluisse indirecte saltem, recitandas esse quascumque preces, quae pro defunctis, vel ex particularibus constitutionibus, vel ex dispositionibus testamentariis, vel ex consuetudine quocumque modo inducta recitantur. Neque mirum alicui videri debet, si de hoc Rubrica silet, nam de Missa poterat mentionem facere, Missae enim a Rubrica diversae assignantur, et unicuique a Rubrica locus eas celebrandi tribuitur post aliquam nempe horam Canonicam. Hoc autem de suffragiis pro defunctis in Officio faciendis statuere non poterat statim ac Rubrica nullum assignat suffragium in Officio pro defunctis recitandum, et persolvendum.

Itaque quemadmodum ex instituto, et dispositione Rubricae, quoad diversarum Missarum celebrationem modo relatam, eruitur locum et tempus suffragandi defunctorum Animas esse

aut benedicta tantum, omissa est illius festivitatis celebratio. Ambigendi occasio inde sumpta est, quod nulla Crux, nullum aliud signum in Ecclesia videatur, unde inferri valeat illam fuisse consecratam. Verum praeter allatam consuetudinem, quod non leve argumentum praestat ut Ecclesia credatur consecrata, extat quoque hujusce rei aliud testimonium in quodam libro perantiquo manuscripto, et caute custodito, ubi notatur, ac legitur: traditos fuisse sexaginta solidos Reverendissimo Domino Episcopo Rodenicopolis ob Ecclesiae consecrationem: quae tamen ultima verba ambigentes opinati sunt per errorem, aut inscitiam scriptoris in praedictum librum irrepsisse, adeoque legendum *benedictionem*, non *consecrationem*. Postmodum anno 1829. consulti sunt super hac re duo Vicarii Ecclesiastici Civitatis Barchinonensis, iique in Rubricis, et Sacris Ritibus peritissimi, qui omnibus perpensis, scrupuloseque examinatis censuerunt: praedictum Festum haud rite fuisse omissum, ideoque rursus celebrandum, ac prosequendum in posterum tum ob consuetudinem antiquissimam, et immemorabilem recitandi de eo Officium, tum quia nullum apparet monumentum evidenter ostendens dictam Ecclesiam non fuisse consecratam; quinimmo probabilius judicandam esse talem ob probationes adductas. His expositis quaeritur.

1. Utrum possit necne celebrari in futurum Festum dedicationis suae Ecclesiae, ac recitari Officium a Patribus Hieronymianis Monasterii Vallis de Hebron?

2. Utrum Capitulum Generale Ordinis facultatem habuerit diem indicendi pro hoc festo celebrando, quod fecisse videtur Capitulum Generale anni 1591. designans diem XIV. Julii cujusque anni pro hujus festivitatis celebratione?

3. In casu, quo Capitulum Generale praedicta caruerit facultate, ac aequum visum fuerit Eminentiis Vestris, ut istud Festum quotannis ut antea celebretur, humiliter Eminentiis Vestris supplicatur, ut eamdem diem XIV. Julii pro celebratione dignentur designare.

Sacra autem Rituum Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa,

post Primam, ita dicendum est Rubricam, indirecte saltem (neque aliter dici potest ea silente) voluisse innuere post Horam Primae locum dari cuique suffragio pro defunctis in Officio, quatenus persolvi in eo ipsa, de quibus Rubrica silet, quavis ratione deberent. Hanc esse Rubricae obviam interpretationem, ac eum esse locum similia recitandi suffragia, non inopportune indigitat veteris praxis, (cui deficiente lege standum est) Ecclesiarum Patriarchalium Urbis, in quibus revera post Primam recitantur. Etsi hoc, ut supra dictum est, Rubrica clare, taxative, et singulariter non praecipit quoad alias preces, aliquo tamen modo per citata verba satis, superque indicat. Hinc est, quod Sacra Congregatio, in particularibus casibus, et dubiis quae identidem enascuntur, ubi clara non est Rubrica, idonea et legittima est hujus interpres, eam interpretando, et declarando respondit ad dubium ut supra. Huic igitur responsioni cuique est acquiescendum, proindeque supra memoratus Psalmus *De profundis*, a consuetudine, quam aperte noluit Sacra Congregatio improbare, recedendo, post Primam deinceps erit recitandus.

diligenterque examinata, rescribendum censuit: *Negative in omnibus. Die* 7. *Aprilis* 1832. (a).

4540. HIBERNEN.

Ad uniformitatem, debitumque ordinem servandum, qui summopere Ecclesiasticis in Functionibus desiderari continuo debet; Sacrorum Rituum Con-

(a) Ea quae excitare dubium possunt an aliqua Ecclesia sit consecrata, in signorum praesertim defectu sita sunt, quae in ipsa Ecclesia apparere debent, licet alia etiam esse possint, quae in idem dubium adducunt. Existentibus signis, nullum de illius consecratione dubium exoritur. At si haec deficiant, puta si Cruces in parietibus non extent, si desit Altare lapideum fixum, ac stabile, cujus mensa continua non interrupta planities sit, tale enim esse debet, ut possit illud consecrari, et Ecclesia non consecretur sine Altaris alicujus consecratione simul; nam hujus consecratio necessario peragi debet in Ecclesiae consecratione (quum pro hoc Ecclesia consecretur, non vero illud pro Ecclesia), si scriptura desideretur quae de consecratione peracta testetur; si testes fide digni non habeantur, aliaque hujusmodi, de illius tunc consecratione jure potest dubitari: immo concludi rationabiliter poterit illam non fuisse consecratam, adeoque Dedicationis Festum nequit celebrari, et omittendum erit, si illud vel ab antiquo tempore fuerit per errorem celebratum. Praesumptio autem ob quam illius Festum celebratum fuit, nempe peractae consecrationis nullius momenti haberi debet, nec valet contra signorum, aut cujusque certi indicii defectum, quae necessario requiruntur ut Ecclesia aliqua consecrata credatur, et praesertim Cruces, quae si in parietibus aliquando exaratae fuissent, vix umquam evenire potest, ut illae penitus eradantur, aut vetustate ita deleantur, ut aliquod saltem de illis vestigium non supersit, aut etiam ad indicium peractae consecrationis iterum, si aliquantulum deperierint, non pingantur, aut sculpantur, vel alio quovis modo non renoventur, nequit enim tantà incuria et negligentia in illis supponi, qui Ecclesiis praeficiuntur, aut in illis, ad quos vel jure patronatus, vel alio quocumque titulo Ecclesiae spectant.

Iam vero quando rationabile exoritur dubium de alicujus Ecclesiae consecratione, jus statuit, eam absque ulla dubitatione esse consecrandam. *Sic Can. Ecclesiae de Consecratione dist.* 1. *ita judicant in Panormitana cap. Proposuisti de consecratione Ecclesiae vel Altaris: Silvester verbo Consecratio. num.* 4. *Azor prima parte lib.* 10. *cap.* 26. *quaest.* 12. et rationem affert Glossa ibidem: *quod non apparet, dicitur non esse.* Hoc est etiam juxta Sacrorum Rituum Congregationis decreta.

Quemadmodum itaque consecranda est Ecclesia, de cujus consecratione rationabiliter, et jure dubitatur, sic etiam de eadem Ecclesia nequit fieri Dedicationis Officium. Hoc non semel a Decretis Sacrorum Rituum Congregationis statutum fuit, ut quisque videre facile poterit in hac ipsa Authentica Collectione, praesertim *in Alexandrina sub die* 18. *Augusti* 1629. *et in Vallisoletana in Hispaniis sub die* 22. *Aprilis* 1780. Omittendum autem erit, si de ea peractum fuerit Festum: sed rationabiliter, et jure de consecratione Ecclesiae, de qua agitur, dubitatur: concludendum itaque est Officium de illius Dedicatione omnino omitti debere.

Neque in casu nostro aliquid ponderis habet, quod asseritur, fuisse nempe et ab immemorabili tempore illius Dedicationis Festum celebratum; quod

gregationi ex parte Cleri Hiberniae sequentia Dubia sunt enodanda proposita, nimirum.

1. Praescribit Rubricae Decretum (seu melius Tabella Concurrentiae) nullum Festum ritus duplicis majoris Vesperas dimidiatas, seu a Capitulo habere posse, sed de digniori integras esse recitandas. Si duo festa ejusdem ritus duplicis majoris ex. gr. Sanctae Columbae Abbatissae, et Sanctae Monicae Viduae insimul concurrunt, quaeritur de quo nam Vesperas integras dicendas?

2. Romanae Rubricae, quas et praedictus Clerus sequitur dicunt posse Regulares propriis in Ecclesiis, et in Missa addere Symbolum in quibusdam

tamquam praescriptionis argumentum ad finem obtinendum, in medium profertur. Nam celebratio immemorabilis hujus Festi non alia ratione inducta fuit, nisi quia praesumebatur illam Ecclesiam esse consecratam. Sed inanis est haec praesumptio, nec ullo certo, nec probabili quidem fundamento innititur; et si res attentius consideretur, contrarium probari potest, et quidem ex iis ipsis quibus tanta est cura, ut dedicationis Festum celebretur, quod exortis dubiis postmodum omissum fuit. Sane in secundo Dubio quaeritur: *Utrum Capitulum Generale habuerit facultatem diem indicendi pro hoc Festo* (dedicationis) *celebrando, quod videtur fecisse Capitulum Generale Anno* 1591 *designans diem XIV Julii cujusque Anni pro hujus Festi celebratione?* Ad examen dubii verba parumper revocemus. Patet ex his Generale Capitulum diem indixisse pro Festo dedicationis celebrando. Jam quando hoc indixit? aut ipso consecrationis die, aut postea: utroque in casu haec non ipsi erat facultas, sed Episcopo ipsi consecranti, et ipso consecrationis die, ut ex Pontificali Romano eruitur: in primo casu et in secundo nec eidem etiam Episcopo inconsulta Apostolica Sede, si diem jam statutum immutaverit. At nulla prorsus mentio de Episcopo; dicendum itaque diem pro Dedicationis Festo et Officio non fuisse ab Episcopo adsignatum. Si hoc, jam sequitur nedum suspicando, sed veritati adhaerendo hanc Ecclesiam non fuisse consecratam, sed benedictam tantummodo, ut ab iis contenditur, qui hujus Festi celebrationi adversantur, ac proinde *Consecrationem* loco *Benedictionis* aut Scriptoris inscitia, aut unam cum altera voce, unam cum altera actione confundendo per errorem irrepsisse in scripturam. Non enim est verisimile Episcopum consecrantem non indixisse pro Festo dedicationis celebrando diem, si vere Ecclesiam ipse consecrasset; dicendum proinde, omnibus perpensis Episcopum Ecclesiam benedixisse tantum, et hanc ob rationem ab eo nullum adsignatum fuisse diem pro Festo celebrando, quia de sola Ecclesiarum benedictione nulla facienda est memoria, nedum Festum celebrandum est. Hinc Capitulum Generale minus recte se gessit diem statuendo ut supra, ac perperam usque ad Annum 1807. Dedicationis memoratae Ecclesiae Festum celebratum fuit sola peractae consecrationis nuda praescriptione attenta, quae nullo erat fundamento innixa. Quocumque se vertant qui pro Consecratione, ejusque Festi celebratione contendunt, nihil invenient quod eis possit favere, et idcirco persuadere sibi debent de hoc Dedicationis Festo nihil omnino faciendum esse; neque attendendum quod ab immemorabili, ut asseritur (sine tamen ratione) peractum est, et a Capitulo Generali male, et sine ulla facultate praedictus pro hoc Festo celebrando dies fuit adsignatus.

Festis per eorum Octavas. Possunt ne praedictis in Festis Symbolum addere etiam extra propriam Ecclesiam?

3. Duo sunt Indulta sa. me. Pii Papae VI. quoad Festa de praecepto contrahenda in Hibernia, alterum nimirum diei 29. Martii 1778. et alterum diei 23. Martii 1779. queis onus adimitur adstandi sacro, et abstinendi ab operibus servilibus in viginti duo diebus, quae antea de praecepto servabantur. En indulti verba: *Pius VI. . . . in festis sequentibus dispensavit circa praeceptum audiendi Missam, et abstinendi ab operibus servilibus . . . circa Functiones vero Ecclesiasticas nihil innovetur:* Quaeritur utrum haec ultima verba in supradictis abrogatis Festis obligent, sicut prius Sacerdotes; vel utrum Sacerdotes teneantur vel celebrare, vel Sacro adstare nec ne, licet prima Indulti pars ab hoc onere Laicos dispenset? Locus dubitandi factus est ex eo, quoniam nonnulli Episcopi affirmativam tueantur sententiam, nonnulli negativam.

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata in Ordinario Coetu, audita relatione ab me infrascripto Secretario facta, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuit: *Quoad primum, et secundum iterum proponantur. Quoad tertium non teneri:* Atque ita censuit *Die* 7. *Aprilis* 1832.

4541. NOVARIEN.

Eminentissime, et Reverendissime Domine Observantissime.

Sacrorum Rituum Congregationi supplex exhibitus fuit Libellus pro parte Sacerdotis Joseph De-Vecchi Coeremoniarii istius Cathedralis Novarien. et Rectoris Kalendarii Dioecesis, qui advertens ab Anno 1788. ad hanc usque diem Breviaria, Horas Diurnas, Missalia, Officia parva Beatae Mariae Virginis, Officia Hebdomadae majoris, quae denuo praelo mandantur, non continere Ordinariorum attestationes, queis declaretur, haec exemplaria concordare cum his, quae hic Romae sunt impressa ad tramites Bullarum Sancti Pii V., Clementis VIII., et Urbani VIII., quae in fronte Breviarii Romani reperiuntur, postulabat declarari, utrum etiam nunc servari debeant recensitae Constitutiones Pontificiae, et an transgressores poenas inibi inflictas incurrant praesertim ex eo, quod in praesentiarum nullus supersit dubitandi locus, quin emendata Exemplaria prae oculis in cusione habeantur, eo vel magis, quod maxime torquerentur conscientiae tum eorum, qui lucrum ex venditione librorum liturgicorum percipiunt, tum Ecclesiasticorum, qui illis uti debent, quum nullibi reperiantur hisce attestationibus muniti; proptereaque cupiebat demum concedi, ut sine ulla dubitatione, quis horum librorum usum sibi permittere valeret. Sacra vero Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum die inferius posita coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, omnibus mature perpensis, accurateque consideratis, Eminentiae Vestrae scribendum esse censuit, ac declarari: *Pontificias Constitutiones in suo robore permanere, et abusum non esse tollerandum:* Haec ejusdem Sacrae Congregationis mandata, lubentissimo animo dum exequor, Eminentiae Vestrae manus humillime deosculor. Romae 7. Aprilis 1832.

Eminentissimo, et Reverendissimo D. Cardinali Episcopo Novarien.

4542. CIVITATIS CASTELLI.

Archipresbyter hodiernus Sanctae Mariae Felcati Dioecesis Civitatis Castelli a Sacrorum Rituum Congregatione humillime petiit sequentia Dubia declarari.

1. An celebratio Missae cantatae si a proprio Parrocho in sua Ecclesia, vel in aliis Ecclesiis Parrochiali suae Ecclesiae adnexis non peragatur, spectet ad viciniorem Parrochum?

2. An celebratio Sacrarum Functionum peragenda in Ecclesia independente a Parrocho, sed intra ambitum suae Paraeciae contenta, spectet ad Parrochum, si Cappellanus ejusdem Ecclesiae ipsas functiones non agat?

3. An in Dominica Palmarum Parrochus, peracta benedictione', et distributione Palmarum, in fine Missae debeat dicere Evangelium benedictionis Palmarum, vel Sancti Joannis.

4. An in Missa pro Sponso, et Sponsa dicenda diebus Rogationum, earundem commemoratio facienda sit?

Et Sacra eadem Congregatio sub infrascripta die, ad Quirinale in Ordinario Coetu coadunata, referente me infrascripto Secretario, respondendum censuit.

Ad 1. *Negative juxta Decretum in Bisinianensi diei* 6. *Octobris* 1640.

Ad 2. *Negative juxta Decretum in Verulana diei* 2. *Martii* 1641.

Ad 3. *Si per se expleverit benedictionem Palmarum immediate ante Missam, legere debet Evangelium sancti Joannis in fine Missae.*

Ad 4. *Affirmative juxta generalia Decreta diei* 20. *Decembris* 1783. *et* 3. *Martii* 1818.

Atque ita declaravit *Die* 28. *Julii* 1832.

4543. ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI
Provinciae S. Pauli Vallisoletanae.

Quaestio quaedam inter Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci Vallisoletanae nuperrime orta quum fuerit quoad recitationem Versiculi: *Animae eorum*: dicendi post absolutionem ad Tumulum, et sequentis Antiphonae cum Psalmo: *De profundis*: redeundo ad Sacristiam in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum, asserentibus nonnullis praesidio fultis tum Decreti editi 2. Decembris 1684. a Sacrorum Rituum Congregatione, tum peculiaris Rubricae Breviarii Ordinis Franciscanorum sub numero 235. hanc recitationem omittendam, haerentibus aliis in opinione esse omnia dicenda ex auctoritate cujusdam Manualis Processionalis memoratae Provinciae typis editi Anno 1774., ideo ad conciliandos animos, concordiamque parandam, ac uniformitatem magis obtinendam in Ecclesiasticis functionibus, quaestio haec ad eamdem Sacram Congregationem delata fuit. Quae in Ordinario Coetu hodierna die ad Quirinale coadunata, referente me infrascripto Secretario, omnibus consideratis, accurateque perpensis, rescribendum censuit: *Antiphona, et Psalmus:* De profundis, *nec non Versiculus:* Animae eorum, *in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum post absolutionem ad Tumulum sunt omittenda juxta Decretum in una Ordinis Canonicorum Regularium Lateranensium diei* 2. *Decembris* 1684. *ad Dubium* 11.

Et ita rescripsit, ac servari mandavit *Die* 28. *Julii* 1832.

4544. SORANA.

Quum intra limites Parrochialis Ecclesiae Sanctae Restitutae Civitatis Soranae sit Ecclesia, antea juris Ordinis Conventualium, Sancto Francisco Assisiensi dicata, et modo cuidam Sodalitati concessa; enunciatae Sanctae Restitutae Parrochus a Sacrorum Rituum Congregatione humillime petiit declarari, an in casu, quo aliquis ex suis Parrochianis vita functus in Ecclesia

praedictae Sodalitatis Ecclesiasticae Sepulturae demandari debet, de quo ipse Parrochus Officium funebre ducere tenetur; in hoc funebri Officio comprehendatur etiam Missa solemnis ante tumulationem? Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinales Aedes hodierna die in Ordinario Coetu coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii, respondendum censuit: *Affirmative ut in una Imolen. Jurium Parrochialium die* 13. *Julii* 1709.

Et ita rescripsit, atque decrevit *Die* 28. *Julii* 1832.

4545. BRIXIEN.

Joseph Mannelli Sacerdos Brixiensis pro suae conscientiae tranquillitate a Sacrorum Rittuum Congregatione sequentia Dubia declarari humillime petiit.

1. An Anniversaria occurrentia in diebus Festivis, aut impeditis, a Testatoribus tamen non adsignata, transferri valeant ad aliam diem, in qua occurat Officium ritus duplicis minoris, in eaque praeter Officium, etiam Missa de Requie decantari possit, ut in Anniversario.

2. Quamvis Rubrica Ritualis titulo de Exequiis praescribat Responsorium: *In Paradisum etc.*: decantari debere solummodo, quum Cadaver ad Sepulchrum defertur; tamen in Civitate Brixien. ob Sepulchreti distantiam usus invaluit praedictum Responsorium cum aliis precibus dacantari tempore absolutionis; quaeritur utrum usus, an Rubrica servari debeat?

3. An prosequi possit consuetudo canendi Antiphonam: *Si iniquitates*: cum Psalmo: *De profundis*: quum, celebrata Missa de Requiem, ad medium progreditur processionaliter pro Exequiis absolvendis?

4. Quaeritur quo modo concludi debeat extra tempus Paschale Hymnus: *Veni Creator Spiritus*?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis, ad relationem mei infrascripti Secretarii, respondendum censuit:

Ad 1. *Posse juxta Decretum in una Papien. die* 17. *Martii* 1629, *sed petendum Indultum.*

Ad 2. *Posse continuari juxta consuetudinem aliarum Ecclesiarum.*

Ad 3. *Negative; Antiphona, et Psalmus*: De profundis: *dici debent post absolutionem ad Tumulum in reditu ad Sacrarium.*

Ad 4. *Dicendà Stropha*: Deo Patri sit gloria, ejusque soli Filio:

Atque ita respondit, declaravit, ac in posterum servari mandavit, *Die* 28. *Julii* 1832.

4546. ANAGNINA.

Praepositus Collegiatae Ecclesiae loci Piglio vulgo nuncupat. in Dioecesi Anagnina Sacrorum Rituum Congregationi duo Dubia dissolvenda proposuit, nimirum:

1. Quum in una Sassoferrati Nucerinae Dioecesis die 24. Octobris 1609. praescribatur: *Illum Presbyterum, seu Curatum, seu Priorem, qui defert Stolam, et ad cujus Ecclesiam funus defertur alios omnes praecedere debere etiam Canonicos Ecclesiae Collegiatae*; et in una Praenestina Cavarum die 12. Maii 1618. contrarium asseratur; petiit declarari, utrum primum, an secundum ex allatis Decretis servari debeat?

2. Quum declaretur in una Maceraten. sub die 10. Junii 1656. Cappellano Curato, ratione Stolae in funeribus praecedentiam deberi, etiam supra alios quoscumque Sacerdotes Curatos simplici cotta indutos, declarari petiit

an idem valeat etiamsi alii Sacerdotes pro indumento habeant Mozzettam?

Et Eminentissimi, ac Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi in Ordinariis Comitiis ad Quirinale infrascripta sub die coadunati, referente R.P.D. Secretario, respondendum censuerunt: *Praecedentiam competere illi qui Stolam defert:*

Atque ita rescripserunt. *Die* 28. Julii 1832.

4547. PISANA.

Perantiquae nonnullae consuetudines servabantur in Metropolitana, et Primatiali Ecclesia Pisana, nonnullaque privilegia accedebant ipsius Ecclesiae Archipresbytero, ad ejusdem dignitatem cohonestandam. Sed quum generalibus Rubricis, ac dispositioni Coeremonialis Episcoporum adversarentur, Reverendissimus Archiepiscopus percipiens, ad sui animi tranquillitatem, ut in suo quidem robore, sed legittima auctoritate consuetudines ipsae, et privilegia persisterent; Sacrorum Rituum Congregationi Dubia super iisdem enodanda proposuit sub die 12. Novembris superioris Anni 1831. Sacraeque Congregationis responsa ab Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifice Maximo confirmata fuere sub die 18. ejusdem Mensis, et Anni. Cognito Congregationis Rituum Sensu, eoque Capitulo recensitae Ecclesiae pandito, dum Canonici Primatialis, et Metropolitanae ad omnia exequenda se paratos profitentur, denuo supplici prece Sanctitatem Suam exorare ut sibi liceret expostularunt. Eidem itaque Sanctissimo Domino Nostro supplicarunt, ut super sequentia jam proposita Dubia saltem posset servari solitum, nimirum 1. Utrum ferendus sit ritus numeri, ordinis, et loci Coereorum, seu Candelarum in persolvendis Officiis Tenebrarum ab Ecclesiae Pisanae Capitulo servari solitus? 2. Laudatae Ecclesiae Primatialis Canonici dum a propria residentia ad illam, vel ab illius janua ad propriam Sedem Archiepiscopalem Archipraesulem in Cappa accedentem comitantur, juxta sublatum morem Canonicorum Ravennatensium, bini post Crucem Archiepiscopalem ante ipsum Antistitem progrediuntur. Ad hanc tuendam consuetudinem maximi roboris esse perhibetur veterum Picturarum testimonium, et perennis traditio a majoribus accepta, adeo ut praesumatur hic usus ab eo temporo inchoatus, quo ab Urbano Papa II. haec Primatialis Ecclesia Metropoliticam Dignitatem recepit. Quaeritur igitur utrum recensita consuetudo servanda nec ne sit? 3. Utrum Dignitates, Canonici, Parrochi, et Sacerdotes tum Ecclesiae Primatialis, tum aliarum Ecclesiarum Dioecesis Pisanae adigi debeant ad induendum Superpelliceum cum Stola in administratione Sacramentorum juxta Rituale Romanum, deposita Cappa, vel Mozzetta, vel Caputio? 4. Utrum usus ab Archipresbyteris Pisanis invectus in Sacris Functionibus ritu Pontificali peragendis, redigi debeat ad limites Indulti Pontificii? Sanctitas Sua, audita relatione ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinale Carolo Maria Pedicini Episcopo Praenestino, et Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto facta, habitaque ratione Coeremonialis Episcoporum legem a Summis Pontificibus Clemente VIII., Innocentio X, et Benedicto XIV, latam, et confirmatam, hujusmodi indolis esse, ut a nulla contraria consuetudine abrogari valeat, accedentibus praesertim non paucis Sacrorum Rituum Congregationis Decretis; *ad tramites ejusdem legis dispositionis generalis confirmando responsiones omnes, resolutionesque recensitis Dubiis ab ipsa Sacra Congregatione datas; de speciali gratia annuit solummodo quoad ampliationem privilegiorum Archipresby-*

*teri Primatialis, et Metropolitanae Ecclesiae Pisanae, praeter id, quod jam a sa. me. Clemente Papa XII. Archipresbyteris indultum est; nimirum ut ipse in Ecclesiasticis Functionibus uti deinceps valeat Faldistorio sine gradu aliquo, sed cum solo Tapete, seu strato super Presbyterii pavimentum, concessit insuper illi usum Canonis, Presbyteri assistentis, Palmatoriae. et Mitrae aurofrigiatae, atque ut in fine Missae impertiatur trinam benedictionem: vetuit tamen hujusmodi Palmatoriae, et Mitrae aurofrigiatae usum, atque ut non possit impertiri trinam benedictionem praesentibus Archiepiscopo, vel Nuncio Apostolico, vel Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, magis Legato a Latere, quae vetita sint Archipresbytero, semper adhibita eorum venia, sicut et salutatio Populi:* Pax vobis: *ususque Baculi Pastoralis. In hisce omnibus privilegiorum ampliatienibus eadem Sanctitas Sua legem adjiecit, ut antequam iisdem Archipresbyter Pisanus potiatur expediri faciat Litteras Apostolicas in forma Brevis in similibus expediri solitas.* Contrariis non obstantibus quibuscumque. *Die* 12. *Decembris* 1832.

4548. BITUNTINA.

Beatissimo Padre: Il Vicario Capitolare della Diocesi di Bitonto nel Regno di Napoli supplichevole espone, come per uso inveterato si suole in quella Diocesi nel momento della benedizione con l'augustissimo Sagramento dall' Organo cantare il versetto del Salmo LXVI.: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terrae:* L' attuale Prefetto delle Ceremonie crede esser ciò in opposizione con la Liturgia Ecclesiastica. L' Oratore anche a nome di tutti i suoi Governati ricorre alla Santità Vostra, ed umilmente implora la necessaria facoltà onde permettere, che si prosiegua il sopradetto antico costume, al quale quella popolazione è attaccatissima. Che della grazia ec.

Sacrorum autem Rituum Congregatio ad Vaticanum sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata, referente R. P. D. Secretario, re mature considerata respondendum censuit: *Servetur Decretum in Caputaquen. diei* 9. *Februarii* 1762. *permitti vero potest ut cantetur* ℣. Benedicat nos Deus: *immediate post Benedictionem juxta Instructionem Innocentii XII. a Clemente XII. confirmatam in delatione Viatici:* Atque ita rescripsit. *Die* 16. *Martii* 1833.

4549. BITUNTINA.

Beatissimo Padre: Il Sacerdote Carlantonio Romanelli Arcidiacono prima Dignità, e Vicario Capitolare della Chiesa Cattedrale di Bitonto nel Regno di Napoli divotamente espone essere costume inveterato in quella Cattedrale, che il Celebrante per intuonar l' Officio in Coro indossasse la Stola, e la ritenesse durante la recita del medesimo. Qnesto sistema, al quale mai niun Vescovo si è opposto, viene ora contrastato dall' attuale Prefetto delle Sacre Ceremonie. E come che all' intiero Capitolo dispiace questa novità, così anche l' Oratore in nome di quello ricorre alla Santità Vostra, ed umilmente implora che si degni permettere, onde si prosegua l' anzidetto inveterato costume, Che della grazia ec.

Sacra autem Rituum Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum sub infrascripta die habitis, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature, diligenterque examinata, rescribendum censuit: *Negative, et servetur Decretum in Alexanen. diei* 7. *Septembris* 1658, *et in una Dalmatiarum diei* 7. *Augusti* 1663.

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. *Diei* 16. *Martii* 1833.

4550. CIVITATIS PLEBIS.

Apud Capitulum Cathedrale Civitatis Plebis pluribus abhinc annis usus invaluit omittendi recitationem Horarum Canonicarum, Sextae nimirum, et Nonae voce Chorali post Missam Conventualem, easque recitandi submissa voce tempore ejusdem Missae varias ob caussas: nimirum 1. quando Episcopus Pontificaliter celebrat, vel in Sede Pontificali Missae Solemni adsistit: 2. quando protrahitur servitium Chori ob prolixiorem Missam, sive ob extraordinariam aliquam Functionem: 3. temporibus Adventus, et Quadragesimae ratione Concionis. Quaeritur ergo

1. An hujusmodi usus valeat continuari; 2. et quatenus negative, quaeritur

2. An valeat continuari de licentia Archidiaconi, seu (illo absente) de licentia antiquioris Canonici Praefecti Chori; et quatenus negative, quaeritur

3. An saltem valeat continuari de licentia Episcopi.

Sacra autem Rituum Congregatio sub infrascripta die ad Vaticanum in Ordinario Coetu coadunata, omnibus mature perpensis, accurateque consideratis, ad relationem infrascripti Secretarii, rescribendum censuit: *Negative in omnibus, nec satisfieri Chori obligationi per privatam recensitam recitationem Sextae, et Nonae tempore Missae Conventualis. Die* 16. *Martii* 1833.

4551. FIRMANA.

Sacerdos quidam Archidioecesis Firmanae rurali Ecclesiae, ubi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum quotidie asservatur, uti Aediduus addictus Sacrorum Rituum Congregationem supplex rogavit, ut declarare dignaretur dubium, quod hisce terminis conceptum proposuit, nimirum: An Aediduus ruralis Ecclesiae, ubi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum semper asservatur, teneatur ibi residere, ut Sacrosanctum Missae Sacrificium quotidie celebret: vel an possit per quinque, aut sex dies quolibet Mense abscedere, ut aliis obligationibus in alia Ecclesia vacet. Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum subscripta die coadunata respondendum censuit: *Teneri ad residentiam, et quotidianam Missae celebrationem, vel per se vel per alium Sacerdotem*: Die 16. Martii 1833.

4552. NAMURCEN.

Hodiernus Secretarius Reverendissimi Namurcen. Episcopi Sacrorum Rituum Congregationi sequens proposuit dubium pro opportuna solutione, nimirum: In variis regionibus, ac praesertim in Gallia Missalia, et Breviaria, ac etiam Libri Liturgici imprimuntur absque licentia seu Ordinarii adprobatione, quam praeter Concilium Tridentinum, omnino requirunt Constitutiones Clementis Papae VIII. atque Urbani Papae itidem VIII. Supponitur quod in Gallia, aliisque hujusmodi regionibus Decretum Concilii Tridentini librorum approbationem requirens, et praefatae Constitutiones Apostolicae usu non sint receptae, vel per usum contrarium vim obligationis amiserint. Hinc quaeritur an hujusmodi Libros absque requisita Ordinarii licentia impressos liceat emere, penes se retinere, iisque uti in Belgio, aliisque Regionibus, ubi Decretum Concilii Tridentini, et supramemoratae Constitutiones Apostolicae communiter servantur. Et Sacra eadem Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes hodierna die coadunata, ad relationem mei infrascripti Secretarii, respondendum censuit: *Non licere, nisi servatis Constitutionibus Apostolicis*: Die 16. Martii 1833.

4553. ORDINIS MINORUM SANCTI FRACISCI DE OBSERVANTIA.

Quum hodiernus Superior Coenobii Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Civitatis Maceraten. Sacrorum Rituum Congregationi exposuerit ibi a duobus et ultra saeculis vigere consuetudinem, Dominica infra Octavam omnium Sanctorum post Missam Solemnem decantandi circa tumulum in medio Ecclesiae erectum Responsorium: *Libera me Domine:* ac insimul humillime efflagitarit, ut hanc ipsam consuetudinem servare decerneret, tum ob suam antiquitatem, tum etiam ne omissio offendat Fidelium pietatem, quamvis ipsa aperte contradicat Rubricis, et Ecclesiasticis Sanctionibus; Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi ad Vaticanum sub signata die coadunati in Ordinariis Comitiis, referente me infrascripto Secretario, respondendum censuerunt: *Negative: Die* 16. *Martii* 1833.

4554. SENEN.

Eminentissimi, e Reverendissimi Signori.

L'Arcivescovo di Siena facendo le prime assistenze Pontificali nella sua Metropolitana, osservò che nella Festa della Purificazione della Santissima Vergine eravi l'uso di distribuire prima al Magistrato Communitativo della la Città, e quindi alle Dignità, e Canonici non parati le Candele benedette, e parimenti nella Domenica delle Palme si costumava porgere i Palmizj prima al suddetto Magistrato, e quindi ai Capitolari.

Sembrando all'Arcivescovo, che tale precedenza del Magistrato fosse indebita, e contraria alle Regole Liturgiche, fece delle vive premure presso il medesimo, affinchè da Lui si cedesse la precedenza in tali Funzioni al Reverendissimo Capitolo. La Magistratura ne tenne uffizio al Superiore Governo della Capitale, e postasi in discussione del Ministero questa vertenza, ed esaminati i dritti affacciati dalla Magistratura fù deciso, che anche per evitare controversie, e disgusti, si continuasse al medesimo sistema.

L'Arcivescovo sentì con dispiacere una tal risoluzione, e non potendo far altro si ritirò dal fare Egli stesso tali Funzioni: non si recò più in tali mattine nella Cattedrale, e lasciò fare all'Eddomandario le distribuzioni delle Candele, e dei Palmizj, e così ha seguitato per sei anni.

Ben'è vero che questa sua perseverante condotta cagiona una diuturna amarezza tra i membri di quel Magistrato, la quale sarebbe desiderabile, che potesse togliersi, qualora ciò si trovasse eseguibile senza reale lesione degli statuti Disciplinari della Chiesa.

L'Arcivescovo Oratore considera che la prescrizione del Cerimoniale de' Vescovi (Lib. 2. cap. 16.) che debbano preferirsi i Canonici ai Magistrati, suppone che i Canonici siano rivestiti de sacri Paramenti, e ciò più volte vi si ripete; ma nel nostro caso i Canonici non hanno che il semplice abito Corale, e se fossero parati, il Magistrato probabilmente non vorrebbe la precedenza, ed in fatti godono di questa anche attualmente il Presbitero Assistente, ed i due Diaconi parati. Sembra pure che non sia interamente da escludersi la ragione principale, che per tal precedenza si adduce del Magistrato, che cioè Esso è succeduto a quello della Signoria, che formava un tempo la Rappresentanza Governativa di questo Stato, e che perciò l'attuale Governo Granducale ha lasciato a questa Civica Magistratura certi privilegj, che ad altre simili in Toscana non vengono concessi.

Comunque però sia l' Oratore Arcivescovo ha incominciato a dubitare se convengagli rimanere in questo allontanamento delle predette due Sacre Funzioni, mentre ciò tende ad esacerbare gli animi di alcuni suoi distinti Diocesani, e diminuisce la confidenza e l' affetto, che debbono nutrire verso il proprio Pastore.

Prega inoltre l' Eminenze Loro Reverendissime ad avvertire, che troverebbe affatto incongruo obbligare i Canonici a pararsi, giacchè ciò non vogliono fare che nelle principali solennità dell' anno, e sarebbe cosa troppo arrischiata ed imprudente il volergli a ciò astringere, oltre che sembrar potrebbe, che ciò si facesse appostatamente per soggiogare la Magistratura.

Non essendo adunque ben precisa, e chiaramente applicabile all' esposto caso la Prescrizione del Ceremoniale de' Vescovi, che stabilisce la precedenza in tal distribuzione ai Canonici Parati sopra il Magistrato, e non già ai Canonici non parati, e concorrendovi ancora altre circostanze, prega l' Oratore la bontà dell' Eminenze Vostre Reverendissime a degnarsi significargli come debba regolarsi, e se possa senza offesa de Sacri Riti, o almeno per i debiti riguardi della pace, e della concordia prestarsi spontaneamente all' assistenza Pontificale, e fare da se stesso le distribuzioni delle Candele, e delle Palme a forma del consueto. Che ec.

Sacra Rituum Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub signata die coadunata, rem maturo examine perpendens, atque insimul advertens quod in Coeremoniale Episcoporum statuatur praecedentiam in casu deberi Canonicis paratis: inhaerens alias decretis, et praesertim in una Interamnen diei 19. Julii 1642. rescribendum censuit: *Strictim servetur Coeremoniale Episcoporum: Die* 16. *Martii* 1833.

4555. TIBURTINA.

Quum in Cathedrali Tiburtina Ecclesia per liberam renunciationem Sacerdotis Camilli de Cammillis vacaret Residentiale Beneficium, ad illud ab uno ex Patronis, quin alterius consensus exquireretur, praesentatus fuit Sacerdos Joseph Cicinelli, et quamvis Rescriptum Sanctissimi sanaverit hujusmodi defectum consensus alterius Patroni, attamen id satis non fuit ad sedandam controversiam inde exortam, ac per biennium litium jurgia exercita sunt tum apud Curiam Episcopalem Tiburtinam, tum etiam apud Sacrae Romanae Rotae Tribunal. Interim aliorum Beneficiorum pariter Residentialium possessionem alii sunt adepti, ac Sacerdos Cicinelli animo reputans se ad Beneficium jus acquisivisse a die praesentationis, atque in vim tantum litium ab ejus reali possessione praepeditum fuisse, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit; nimirum

1. Utrum ipse in Choro modo occupare debeat ultimum Stallum, an vero illud, in quo sedere debuisset, nisi lites intercessissent?

2. An in casu, quo sibi non suffragetur antianitas a die praesentationis petita, saltem uti Sacerdos praecedere debeat Beneficiatis Clericis reali possessione antiquioribus?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, ad relationem mei infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis, respondendum censuit

Ad 1. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad 2. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, servarique mandavit. *Die* 16. *Martii* 1833.

4556. ROTHOMAGEN.

Quum Professores Seminarii Rothomagensis Sacrorum Rituum Congregationem humillime rogarint, ut declarare dignaretur utrum Missa die secunda Novembris in Commemoratione Fidelium defunctorum sit de praecepto, et quatenus affirmative, utrum praeceptum istud audiendi Sacrum memorata die sublatum fuerit per Constitutionem sa. me. Pii Papae VII. pro reductione Festorum; Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum sub signata die coadunata in Ordinariis Comitiis ad relationem mei infrascripti Secretarii, respondendum censuit: *Negative ad utrumque*: *Die* 16. *Martii* 1833.

4557. RECINETEN.

Sacrorum Rituum Congregationi sequens propositum fuit Dubium ex parte Capituli Cathedralis Ecclesiae Recineten., ut illud de more declarare dignaretur, nimirum. An Beneficiati ipsius Cathedralis, qui Diaconi, et Subdiaconi munia exercere debent possint, ac debeant indui Paramentis Sacris in eadem Mensa, in qua Planeta, vel Pluviali se induit Celebrans etiam si hic sit Canonicus, et Dignitas. Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem mei infrascripti Secretarii respondendum censuit: *Affirmative*: *Die* 16. *Martii* 1833.

4558. VERONEN.

Vice Cancellarius Episcopalis Curiae Veronen. quum in votis habeat ut in Sacris Functionibus omnia juxta ordinem procedant, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum

1. Utrum tuto sequi valeat Regula Ritualis Parisiensis, sic expressa: Si quando Communio danda est, inventus non fuerit sufficiens numerus Hostiarum, poterunt aliquot Hostiae dividi in plures Particulas, quae singulis distribuantur: Et quatenus non sit sequenda, utrum quibusdam saltem in circumstantiis, temporis, locorum, et personae sequi possit?

2. Utrum illis in locis, in quibus de noctu recondito Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, Oratio Quadraginta Horarum interrumpitur, lucrari possint Indulgentiae a tempore, quo Ecclesiae janua aperitur ad tempus, quo velo remoto, cum Hymnis, et Canticis convocato Populo Fidelium adorationi denuo proponitur? Et quatenus affirmative, utrum etiam Altaria dicto temporis intervallo censeri debeant privilegiata, et recitari debeat Collecta de Sanctissimo Sacramento?

3. Utrum tempus pro lucrandis Indulgentiis designandum sit a tempore, quo anticipari potest Matutini recitatio ad Crepuscula serotina diei sequentis?

4. Utrum liceat uti colore flavo, vel caeruleo in Sacrificio Missae, et expositione Sanctissimi Sacramenti?

5. Utrum Sacerdos in Missa privata Sacris indutus Paramentis possit Cineres distribuere, et Sanctorum Reliquias deosculandas praebere, uti mos est in Veronensi Dioecesi, expleta Missa? Et quatenus affirmative an possit sibimet Cineres prius imponere genuflexus coram Altare nihil dicens?

6. Utrum in Communione Fidelium extra Missam Sacerdos antequam Populo benedicat, osculari debeat Altare, ut praecipit Pontificale Romanum de Visitatione, vel non, ut Rituale Romanum innuere videtur?

7. Utrum in Oratione super populum ad verba: *Humiliate capita vestra Deo:* Sacerdos debeat inclinare se versus Librum, vel versus Crucem?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunata, audita relatione a me infrascripto Secretario facta, omnibus perpensis maturo examine, rescribendum censuit.

Ad 1. *Servetur consuetudo dividendi consecratas Particulas si adsit necessitas.*

Ad 2. et 3. *Recurrat ad Sacram Congregationem Indulgentiarum.*

Ad 4. *Negative.*

Ad 5. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad 6. *Servetur Dispositio Ritualis Romani nihil praescribentis.*

Ad 7. *Servetur peculiaris Rubrica Feriae quartae Cinerum nihil praescribentis.*

Atque ita respondit, ac servari mandavit. *Die* 16. *Martii* 1833.

4559. CLAREMONTEN.

Quum diversae opiniones circumferantur in Concilio Claramontensi circa haec verba Pontificalis Romani: *Minores Ordines possunt conferri in Dominicis, et Festis duplicibus:* dum alii contendunt per Festa duplicia ea tantum intelligi, quae a populo feriantur, alii autem sustinent intelligi omnia duplicia sive a populo feriantur, sive non, asserentes non distinguendum ubi lex non distinguit, ad certam in re legem stabiliendam Sacrorum Rituum Congregationi humillimae datae sunt preces, ut suam sententiam edicere dignarêtur. Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum sub signata die in Ordinario Coetu coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii, respondendum censuit: *Minores Ordines conferri possunt in Festis de praecepto, vel in Festis duplicibus, quae erant de praecepto ante reductionem: Die* 16. *Martii* 1833.

4560. MEDIOLANEN.

Reverendissimus Praesul Franciscus Maria Zoppi, qui Sanctissimo annuente Episcopatum Massensem dimisit, in eo est, ut potiatur Canonicatu superioris Ordinis in Metropolitana Mediolanen. Ecclesia, et ne in hoc novo munere aliquid detrahat Episcopali Dignitati, ac vanitatis notam devitet, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna dilucidatione proposuit nimirum

1. Quaenam Sedes, vulgo Stallo, sibi competat in Choro, in quocumque Capituli congressu, et quando sibi cum eodem Capitulo publice procedendum est?

2. Quemnam habitum gerere in Choro, quemnam in publicis Supplicationibus, aliisque Sacris Functionibus, quemnam extra Chorum, quum privatam personam agit?

3. An teneatur in sua hebdomada Missam, et Vesperas canere seu celebrare, aliaque singulariter peragere, ad quae tenentur Canonici ejusdem Ordinis in sua quisque hebdomada?

4. Et quatenus teneatur, an Sandaliis, Dalmaticis, Mitra, Baculo pastorali, Cruce, et similibus Episcopo competentibus uti debeat?

5. Quatenus vero non teneatur, vel sibi liceat a praefatis Hebdomadarii Officiis se abstinere, an distributiones amittat, quamvis Choro cum ceteris Canonicis interfuerit?

6. An debeat Archiepiscopo Solemnia agenti assistere, ministrare, aliaque praestare, quae ceteri ejusdem Ordinis Canonici de more eidem praestant?

7. Quum autem Orator minime ignoret a ceteris ejusdem Ordinis Canonicis aegreferri Episcopum e gremio ejusdem Capituli vestes, et caligas coloris violacei, et quidquid aliud Episcopalem Dignitatem referat in Choro eorumque congressu gestare, et quodcumque se ab ipsis distinguere, ac proinde non multis abhinc annis duos ejusdem Capituli Canonicos, a Summo Pontifice Episcopos in partibus renuntiatos, locum, quem antea in Choro habebant et in quovis Capituli congressu retinere, et Missas, et Vesperas aliasque Functiones in sua hebdomada, nulla adhibita Indumentorum aliave distinctione, ceu reliquos Canonicos hebdomadarios celebrare consuevisse, seque dumtaxat a Supplicationibus publicis Episcopalis honoris ergo abstinuisse, distributiones tamen amittendo, ac si culpabiliter minime interfuissent, obsequentissime postulat: An teneatur, vel saltem sibi liceat huic consuetudini se conformare in omnibus, aut quanam in parte?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub signata die coadunata, referente me infrascripto Secretario, attentis expositis, ac singulis rationum momentis serio examine perpensis, rescribendum censuit.

Ad 1. et 2. *Ratione Episcopatus posse, et debere uti habitu ordinario, quo utuntur Episcopi in Romana Curia, id est Rochetto supra Subtanam, et Mantelletto violacei coloris, et debere praecedere omnibus aliis Canonicis, et sedere in primo Stallo supra omnes ut in Compostellana diei* 15. *Julii* 1617.

Ad 3. *In Missis de Turno abstineat, et subroget alium ut in Asculana diei* 10. *Aprilis* 1728. *in Solemnioribus cum Indumentis Pontificalibus, sed de licentia Episcopi.*

Ad 4. *Jam provisum.*

Ad 5. *Quoad primam partem jam provisum: negative quoad secundam partem.*

Ad 6. *Tenetur sedere in Choro cum Pluviali.*

Ad 7. *Negative in omnibus.*

Atque ita rescripsit, servarique mandavit. Die 16. Martii 1833.

4561. VINTIMILIEN.

Beatissime Pater.

Episcopus Vintimilien. in obsequium Decretorum Sacrorum Rituum Congregationis, et praesertim Decreti Generalis diei 27. Maii 1828, prohibuit elapso anno, ne Statua Sancti Secundi Martyris hujus Civitatis Patroni ejusdem Reliquiis decorata processionaliter deferretur sub Umbella, firmiter obsistens adversus enixas preces, quibus undecumque impetebatur, ut ab hac jussione abstineret. Multae hinc obmurmurationes in ipsum, multa dicteria, eousque ut nonnulli aperte praenunciarent rem absque tumultibus popularibus haud esse cessuram. Nihil tamen accidit hujusmodi, ast in suo proposito etiamnum pergunt Cives, vehementissime optantes, ut Episcopus ab imperatis recedat, sibique liceat, quod ab immemorabili consueverunt, quin unquam aliquis obsisteret; palam etiam dictitantes, nihil boni sperandum, nisi Sancto Protectori pristinum decus restituatur. Rebus sic stantibus Vintimilien. idem Antistes humillime declarari petit.

1. An attenta vetustissima consuetudine, ac immemorabili debeat suum ratractare Decretum de non ferendo sub Umbella Simulacro, et Reliquiis Sancti Secundi Martyris?

2. An saltem id debeat, ut morem gerat ardentissimo populi desiderio?

3. An saltem in casu, quo dictae obmurmurationes in apertum odium contra ipsum excrescerent?

4. Utrum id possit tollerare dissimulando?

5. An proprie dissimulando reus peccati evaderet?

Quibus singulis per me infrascriptum Secretarium fideliter relatis in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis, Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, rescribeudum consuerunt

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. 3. et 4. pariter *Negative.*

Ad 5. *Probatos adeat Theologos.*

Atque ita rescripserunt. Die 16. Martii 1833.

4562. ORDINIS S. JOANNIS DE DEO·

Beatissimo Padre.

Fr. Luigi Maria Carmignani Prior Generale dell' Ordine di San Giovanni di Dio, divotamente espone, che quasi tutti gli Ordini Regolari godono il privilegio di aggiungere al Confiteor nella Santa Messa, ed in altre Sacre Funzioni il nome del Santo Fondatore, e perchè i Sacerdoti dell' anzidetto Ordine anelano moltissimo un tal privilegio, l' Oratore si fa ad implorarlo dalla Santità Vostra, onde ciascuno richiamandosi spesso alla mente il Santo Patriarca, si faccia con più impegno ad imitarne le virtù, e specialmente la Carità fine del suo Istituto. Che ec.

Sacra Rituum Congregatio ad Vaticanum sub signata die coadunata in Ordinariis Comitiis ad relationem mei infrascripti Secretarii respondendum censuit: *Pro gratia in Officio tantum*: Die 16. Martii 1833.

4563. COLLEN.

Apud Podium Bonitium in Etruria Dioecesis Collen. celebris est memoria Beati Lucii, seu Luchesii Confessoris, qui pluribus extornatus virtitibus, habitu tertii Ordinis Sancti Francisci suscepto in vita sanctis operibus, post obitum multis Miraculis coruscavit, sicuti refert Martyrologium Romanum trium Ordinum ejusdem Sancti Francisci decimoseptimo Kalendas Maji. His permotus Beatus Gregorius X. Summus Pontifex, dum ad Lugdunense Concilium iter institueret Podium Bonitium visitans expetivit, ut sacro agmine instituto, Caput supradicti Beati circumferretur per Oppidum; quo ex tempore, pia traditione docente, haberi coepit idem Beatus Lucius veluti Praecipuus Oppidi, et Comitatus Patronus, ejusque Festum veluti Patroni servari. Novissimis tamen temporibus Populo Oppidi Podii Bonitii accessit onus servandi etiam sub utroque praecepto Festum Sancti Martialis Patroni Civitatis, et Dioecesis Collensis. Sed quum Sancti Martialis festivitas recurrat quotannis Kalendis Julii, plerumque contigit eumdem Populum trium sibi succedentium dierum festivorum periodo gravari ea maxime tempestate, qua maturae messis fervent opera, nec adest tantum periculum violandi praecepti et occasio, sed etiam ipsamet necessitas. Quapropter Clerus, et Populus Podii Bonitii, et Comitatus ejusdem prae oculis habentes Epistolam sa. me. Benedicti

Papae XIV. datam quartodecimo Kalendas Augusti Anno 1749. Archiepiscopis et Episcopis Etruriae, quae praecipit cujusvis tantum Praecipui quarumcumque Civitatum vel Locorum Patroni pro veteri Ecclesiae Catholicae instituto Festum sub utroque praecepto esse servandum; Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicaverunt, ut elevato ad integrum praeceptum Festo Beati Lucii Praecipui Patroni ejusdem Oppidi, et Comitatus, servilia opera in Festo Sancti Martialis, necessitate tantum Sacrificio adstandi servata, permitteret. Et Sacra eadem Congregatio nihil primitus declaravit; sed sub die 12. Novembris 1831. Reverendissimi Episcopi Informationem, et votum requisivit. Quo percepto iterum sub die 7. Aprilis superioris Anni 1832. praecepit ut poneretur in Folio, ut omnia maturius considerari valerent. Habita postmodum nova ejusdem Episcopi Informatione sub die 16. Martii vertentis anni rescripsit: *Dilata, et scribatur Episcopo ad mentem.* Sacrae Congregationis mens fuit percipere, ut quum jam ab anno 1780. firmiter recognitus fuerit Beati Lucii Patronatus, et Officium proprium adprobatum, aliquid esset ab Ipsomet Episcopo in re observandum. Quum autem Reverendissimus Collen. Antistes declarasset nihil aliud superesse observandum, promptumque esse ad qualemcumque decisionem admittendam, Sacra eadem Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Quirinale sub infrascripta die coadunatis, ad relationem Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Caroli Odescalchi Episcopi Sabinen. Ponentis, omnibus denuo mature, riteque libratis rescribendum censuit: *Pro gratia, sublato onere audiendi Sacrum in die Sancti Martialis:* Die 17. Augusti 1833.

Super quibus omnibus facta postmodum per me infrascriptum ejusdem Sacrae Rituum Congregationis Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis confirmavit, annuitque, ut in Oppido Podii Bonitii, ejusque Comitatus servetur tantum sub utroque praecepto Festum Beati Lucii Praecipui Patroni, sublato onere adstandi Sacro in Festo Sancti Martialis Praecipui Patroni Civitatis, et Dioecesis Collen. Die 23. Augusti 1833.

4564. BENEVENTANA.

Eminentissime, et Reverendissime Domine Observantissime.

Tres extant Sodalitates penes Commune Lapio vulgo nuncupat. istius Beneventanae Archidioecesis, nempe Sanctissimi Corporis Christi, Sanctae Mariae ad Nives, et Sanctae Mariae de Monte Carmelo, inter quas Sodalitas Sanctae Mariae ad Nives aliis praecedere praesumit etiam in Processionibus Sanctissimi Sacramenti. Ad exortas controversias omnino de medio tollendas Sodalitas Sanctissimi Corporis Christi, quae antiquitus in Archipresbyterali Ecclesia erecta fuit, ac deinde anno 1690. Archiconfraternitati sub eodem titulo erectae in Ecclesia Sanctae Mariae supra Minervam Urbis fuit aggregata, Sacrorum Rituum Congregationem adiit postulans declarari cui competat praecedentia in Processionibus. Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi quum probe noscerent praecedentiarum hujus modi controversias pluries definitas fuisse, ac praesertim in una Lunen-Sarzanen. diei 17. Junii 1639. in una Mediolanen. diei 14. Novembris 1654. in una Lauden. diei 4. Martii 1662. ac tandem in una Vercellen. diei 26. Septembris 1687. quibus in Decretis statuitur: *In Processionibus Sanctissimi Corporis Christi praecedentiam dandam esse Confraternitati Sanctissimi Sacra-*

*menti; dummodo eadem aliis Processionibus intersit, et antiquioribus locum cedat:* ideoque in Ordinario Coetu sub infrascripta die ad Quirinale coadunati, quin quidquam precibus rescriberent, Eminentiae Vestrae significandum censuerunt, ut, dissidiis compositis, curet observantiam hujusmodi Decretorum. Et Eminentiae Vestrae Manus humillime deosculor. Romae 17. Augusti 1833.

Eminentissimo Domino Cardinali Archiepiscopo Beneventano.

4565. BRIXIEN.

Sacerdos Azzi Brixien. Dioecesis ut in Ecclesiasticis Functionibus singula rite, accurateque exerceantur, Sacrorum Rituum Congregationem humillimis precibus rogavit, ut sequentia duo Dubia declarare dignaretur, nimirum

1. An extra occurrentiam Sabbati Sancti, et Pentecostes possint in votiva aliqua Functione decantari Litaniae, quae in praedictis Sabbatis canendae occurrunt.

2. Utrum servari queat inducta consuetudo, ex qua dum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae venerationi expositum est, continuo duo Clerici Superpelliceo induti, Diaconi autem et Sacerdotes etiam Stolam albam habentes, ut in Coena Domini, flexis genibus intra Presbyterium assistunt, quisque per horae spatium?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die coadunata, audita relatione ab me infrascripto Secretario facta, omnibus mature, accurateque libratis, considerans Litanias Sanctorum positas in Missali recitandas post Fontis benedictionem proprias esse illius Functionis, et diei, inductamque consuetudinem, quae servatur in adoratione Sanctissimi Sacramenti, in casu eam esse, quam praescribit pro Clero Urbis Instructio sa. me. Clementis Papae XI. rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Affirmative juxta Instructionem Clementis Papae XI. die* 1. *Septembris* 1736.

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 17. Augusti 1833.

4566. CALAGURITAN.

Quum Sanctimoniales Ordinis Sanctissimi Salvatoris in Asceterio Sanctae Birgittae in Civitate Victoria vulgo nuncupata intra fines Dioecesis Calaguritanae Sacrorum Rituum Congregationem humillimis precibus adeuntes, enixe rogarint

1. Ut in proprio Kalendario Officium S. Catarinae Virginis Filiae ejusdem Sanctae Birgittae, quod ex Indulto Apostolico recitant sub ritu duplicis minoris, in posterum gaudeat ritu duplicis secundae Classis cum Octava, et Officium ipsum sit integre proprium.

2. Ut ritu duplicis primae Classis cum Octava gaudeat Officium Sancti Benedicti Martyris, cujus mortales exuviae ex Arenariis Urbis defossae, et a sa. me. Leone Papa XII. dono exceptae propria in Ecclesia asservantur, de quo quidem Sancto Benedicto, venia ab Episcopo impetrata, nunc Officium persolvunt ritu tantum duplici.

3. Ut Indulgentiae in Festo memorati S. Benedicti ad tempus concessae, valeant esse perpetuae pro aliquibus diebus.

4. Ut ipsis liceat nonnullis in circumstantiis praedictum Sancti Benedicti Corpus retegendi, ut publicae venerationi exponatur.

5. Ut intra Annum tertio Kalendas Martii persolvere valeant Officium Sancti Alexandri Martyris, ac pridie Kalendas ejusdem Mensis Officium Sancti Peregrini Martyris.

6. Ut Asceterii Confessarius, ejusque Successores licet Saeculares Presbyteri in Divinis persolvendis laudibus se conformare valeant Sanctimonialium Kalendario.

7. Ut liberum sit eidem Confessario, et Abbatissae pro tempore nonnullas Sanctimoniales deputare ad Sanctorum Reliquias exornandas, perpoliendasque.

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, audita relatione a Secretario facta, rescribendum censuit.

Ad 1. *Pro gratia elevationis ritus ad duplex secundae Classis, sed sine Octava, et cum Officio hactenus recitato.*

Ad 2. *Pro gratia unius Missae Solemnis tantum de Communi in honorem Sancti Benedicti Martyris, quoniam liberum non est Episcopo Officium concedere, et obstant Decreta.*

Ad 3. *Recurrant ad Sacram Congregationem Indulgentiarum.*

Ad 4. *Adeant Episcopum.*

Ad 5. *Explicent rationes.*

Ad 6. *Obstant Decreta.*

Ad 7. *Adeant Episcopum.*

Atque ita rescripsit, et a Sanctimonialibus Oratricibus omnino servandum esse mandavit. Die 17. Augusti 1833.

4567. MEDIOLANEN.

Eminentissimi, e Reverendissimi Signori.

Francesco Maria Zoppi Vescovo di Gerra, e Canonico Ordinario della Metropolitana di Milano coll' ultimo articolo della sua supplica dei 5. prossimo passato Aprile non solo dimandò all' Eminenze Loro Reverendissime, se tenuto fosse, ma ancora se gli fosse almeno lecito di seguire la pratica tenutasi presso questo Capitolo Metropolitano dai Monsignori Canonici Vescovi Gallerati, e Scotti, con che dimostrò bastantemente la sua disposizione di conformarvesi, che poi comprovò anche col fatto avendo preso il possesso, e la residenza del suo Canonicato giusta la pratica suddetta prima che gli pervenisse il Rescritto dell' Eminenze Loro Reverendissime colla data dei 16. Marzo corrente.

Onde venendo a conoscere che ciò sarebbe conforme anche al volere di questo Eminentissimo Arcivescovo, supplica umilmente l' Eminenze Loro Reverendissime di volergli permettere, che tenga l' anzidetta pratica, specialmente quanto all' Abito, ed allo Stallo, e pel resto ciò che di concerto col medesimo giudicheranno stabilire in riguardo al Carattere Episcopale.

E poichè la data del 16. Marzo del suddetto Rescritto dietro Supplica dei 5. Aprile del Ricorrente, diede luogo a sinistre suspicioni, e dubbiezze, supplica perciò col più profondo ossequio l' Eminenze Loro Reverendissime, che si degnino rattificare la data istessa, e dichiarare, che il Rescritto suddetto, non è potuto arrivare a notizia del Supplicante, che dopo l' epoche del Possesso, e della Residenza del suo Canonicato preso l' uno ai 29. prossimo passato Aprile, l' altra ai 4. successivo Maggio. Che ec.

Milano 9. Agosto 1833.

Humillimis hisce precibus a me subscripto Secretario relatis in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis, Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, rescribendum censuerunt: *Serventur Decreta hujus Sacrae Congregationis de praecedentia Episcopi Titularis, et scribatur Eminentissimo Cardinali Archiepiscopo Mediolanensi ad mentem.* Die 17. Augusti 1833.

Eminentissime, et Reverendissime Domine Obsme.

Praecipua res gravissima ad hanc Sacram Rituum Congregationem nuper allata apprime nota Eminentiae Vestrae has litteras dirigendi praebet occasionem. Titularis Episcopus Franciscus Maria Zoppi obtento Canonicatu istius Ecclesiae Metropolitanae, quum jampridem Episcopali Dignitate esset ornatus nonnulla Dubia proposuit enodanda, quibus responsum fuit juxta Decreta alias a priscis temporibus emissa. Quo super facto omnis est removenda suspicio, ac pro certo habendum sincere, et innocue eundem se gessisse. Mos enim invaluit apud Sacras Congregationes quum Supplices porriguntur Libelli, quorum postulata, et materies nihil novi discutiendum afferunt, ac decisiones anteactas respiciunt, illis rescribi sub datum diei Congregationis praecedentis, licet post aliquot dies, atque etiam mensem preces receptae fuerint. Idipsum evenit in praesenti casu. Et quidem si Eminentiae Vestrae libuerit ipsa responsa cum adductis Decretis conferre, statim res omnis liquido patebit, ad ingenuitatem, probitatemque Episcopi Canonici dignoscendam.

Attamen quum ad eundem responsa pervenissent post adeptam Canonicatus possessionem, majori pressus angustia, dum refragari timet Sacrae Congregationis Decretis, vel abnuere Capituli studiis, iterum Sacram Congregationem adivit postulans: Num ad vitandam quamlibet controversiam sibi liceret, posthabitis Decretis, prosequi eodem modo, quo Canonicatus possessionem fuerat adeptus. Eminentissi Patres in Ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione habita die 17. Augusti ad Quirinale, dubia eadem in Eminentiae Vestrae obsequium rursus exponenda curarunt, atque intellexerunt responsa decerpta esse ex Decretis jamdudum editis ab eorum Antecessoribus in Sacra Congregatione, ac Summorum Pontificum auctoritate confirmatis, quibus adhaeret constans omnium Urbis etiam Patriarchalium Ecclesiarum praxis, et consuetudo. A veterum itaque Decretorum sensu, minime declinare, immo Episcopali characteri, ac dignitati consulere (quemadmodum antiquitus statutum fuit) Eminentissimi Patres unanimes censuerunt, et idipsum, expleta per R. P. D. Secretarium Sanctissimo relatione, Eminentiae Vestrae per praesentes officiose nunciare. Sanctitas Sua eidem Secretario audientia sub infrascripta die impertita, omnibus rei circumstantiis perceptis, commendavit plurimum, ut Eminentiae Vestrae per Litteras Sacrae Congregationis mens panderetur; cui Summus Pontifex accedens robur adjungit, atque haec potissimum est: ut auctoritate et eloquio quo pollet Eminentia Vestra istius Metropolitanae Canonicos Religione, Pietate, ac titulis omnibus illustres hortetur, et suadeat ad benigniorem animum erga Collegam Episcopum Zoppi induendum, et ad Decreta Sacrae Congregationis exequenda, quam a priscis temporibus ab ejusdem Metropolitanae Capitulo saepe de sententia rogatam fuisse constat ex pluribus postulatis, et Liturgiae dubiis exhibitis, ipsumque Capitulum libentissime recepisse responsa, et solutiones, atque hujusmodi Decretis, tamquam Sedis Apostolicae oraculis, obsequium praestitisse, quod

et praestare in praesenti casu, in quo agitur de praecedentia Episcopi in dubium non revocabit, maxime quum praecedentia isthaec proprio istius Metropolitanae Ritui nihil detrahat, quum honor Episcopis exhibendus universam Ecclesiam respiciat: permulta sunt jamdiu lata de Episcoporum praecedentia Decreta, atque hujus constanter servatae praecedentiae in Capitulis Urbis et vetera et recentiora extant exempla; adeo ut si contigerit Episcopali Dignitate insigniri Sacerdotum aliquem ex coetu in stationibus inferioribus Chori sedentium, verbi gratia inter Beneficiarios, statim superius ascendat, et Praelatitio habitu indutus, Crucemque pectoralem gestans, et ante Canonicos locum obtineat, ac in solemnioribus Functionibus, in quibus capitulares Sacris utuntur indumentis, Pluviali, ac Mitra ornatus assistat. Hoc in primis servari in Basilicis Patriarchalibus Urbis compertum est, a quibus totius Orbis Christiani Ecclesiae exempla desumere in pretio habent. In ipsis enim Patriarchalibus Basilicis augustissimas Functiones per annum peragit Summus Pontifex, qui ideo ab excelso Apostolico Solio, omnia quae ad cultum, Ritusque Sacros pertinent ob oculos habet, et Ecclesiasticae Hierarchiae gradus omnes in suo conspectu propriis decoratos insignibus circumstantes intuitur. Quapropter exoptat Sanctitas Sua tam laudabilem morem servari a celebri istius Metropolitanae Capitulo, cujus perspecta habet erga Sedem Apostolicam devotionis, et obsequii argumenta. Ac pergratum accipiet conciliatis animis, Episcopum Titularem Canonicum Zoppi praecedentia fuisse donatum, quod quidem turbare nequit peculiarem istius Metropolitanae Ritum, ac decet Episcopalem Dignitatem, et cum praecedentia eidem restitutam conscientiae quietem, nec non amissa emolumenta, quum Ipse abstinuerit a Choro veritus Sacrae Congregationis perfringere Decreta, quae ubicumque floret Catholica Religio servantur, ac recoluntur.

Haec omnia Eminentiae Vestrae significare me oportuit, ut Sacratissimi Principis mandata perficerem, et Sacrae Congregationis mentem communicarem, quod sedulo adimplens Eminentiae Vestrae manus humillime deosculor. Romae 23. Augusti 1833.

Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Obsmo Cardinali Archiepiscopo Mediolanensi.

4568. ORDINIS REFORMATORUM EXCALCEATORUM SANCTISSIMAE TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIVORUM.

R. P. Fr. Joseph a Sancto Francisco Procurator Generalis Ordinis Reformatorum Excalceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum probe sciens nonnullos, qui praedicto in Ordine aliquas pro Divino Officio rite persolvendo regulas tradidere, nec semper inter se, nec cum quibusdam declarationibus Sacrorum Rituum Congregationis convenire, et cupiens, ut quoad fieri possit omnes uno ore, et uno sensu divinas concelebrent laudes, Sacrae eidem Congregationi sequentia dubia humiliter proposuit, ac suppliciter petiit eorum firmam resolutionem, ut nemo deinceps opinione alicujus privati Auctoris decipiatur, nec se tueri audeat. Dubia autem sunt:

Quum ex variis Decretis jam constet Regulares utriusque sexus etiam Ordinario subjectos, uti non posse Kalendario Dioecesano sine concessione Apostolica, nec sine eadem posse recitare Officia pure Dioecesana praeter illa Patroni Praecipui Dioecesis, vel Oppidi, ubi morantur, et Titularis Ecclesiae Cathedralis ritu quidem primae Classis, sed sine Octava, de qua neque ad

libitum quidem agere valent ; et quando morantur in Civitate etiam Dedicationis Ecclesiae Cathedralis Festum, si fiat ab illius Clero, sed solo ritu secundae Classis, et pariter sine Octava, ac demum Festum, quod sit de praecepto in Oppido aut Dioecesi ; quaeritur idcirco declarari :

1. An in Hispania possint Regulares ex vi Bullae Gregorii Papae XIII. *Pastoralis officii cura*, ut aliqui praetendunt, recitare sine alia concessione Officia de Sanctis, qui aut illius Dioecesis sunt naturales, aut aliqua eorum insignis Reliquia asservatur?

2. Utrum si in aliquo Conventu fiat Officium, de cujus particulari concessione non constat, nec facile sciri potest, continuari valeat consuetudo immemorabilis, dummodo sit Sanctus canonizatus, et praecipue quando accedit particularis Populi devotio, aut ritu classico celebratur?

3. Quum in Breviario Romano duplici in loco, nempe in notandis pro concurrentia Officii, et Rubrica IX. num. 11. describatur constanter hic ordo in faciendis commemorationibus, ut videlicet de Duplici fiat ante Dominicam, de Dominica ante Semiduplicem etc. quaeritur an praedictus ordo semper, et absque ulla exceptione servandus sit tam in occurrentia, quam in concurrentia, et Duplicia, aut dies octava sint simplificata, et Dominica sit ex majoribus seu primae aut secundae Classis in occurrentia, sed ritu semiduplici?

4. An omnes Octavae in Festis Domini certo habendae sint tanquam duplicia majora etiam in concurrentia, sicut illae expressae sunt in Breviario, et pro Octava Sanctissimae Trinitatis jam decretum est?

5. An consuetudo, quae semper observata est in eodem Ordine in Responsoriis videlicet Lectionum, quae habent duplicem Asteriscum non repetendi nisi primum post Versum, sit continuanda utpote conformior ritui Breviarii Romani, ut videre licet in Dominica prima Adventus, quae est veluti norma pro aliis diebus, et dispositioni Ritualis Romani, et ipsius Breviarii in Responsorio *Libera me Domine* pro Defunctis, quod sequuntur etiam qui sunt contrariae opinionis non satis sibi consulentes?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu sub infrascripta die ad Quirinale coadunata, audita relatione ab me infrascripto Secretario facta, rescribendum censuit

Ad 1. *Ponatur in Folio.*

Ad 2. *Servetur Decretum in una Ordinis Reformatorum Sancti Francisci diei* 1. *Januarii* 1755.

Ad 3. 4. et 5. *Serventur Rubricae.*

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. *Die* 17. *Augusti* 1833.

4569. ORDINIS SANCTI JOANNIS DE DEO.

R. P. Fr. Joseph Maria Aquillon Sacerdos Ordinis Sanctis Joannis de Deo, ut uniformitas servetur in Divinis persolvendis Officiis Sacramentorumque administratione, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit.

1. An liceat Superioribus ejusdem Ordinis Laicis deferre Thuribulum coram Sanctissimo Sacramento in Processionibus, etiamsi fuerit copia Sacerdotum, quibus pro sua dignitate pertinere videtur, et an hoc ministerium exerceri debeat absque Superpelliceo, et cum solo habitu? Primum praescribit Rituale, sed adest abusus in contrarium.

2. An in Vesperis solemnibus etc. Provincialis, vel Superior localis prae-

cedere, et praesidere debeant, quum sint Laici, Sacerdoti et Ministris in vestibus sacris? Et an in dictis Officiis primam Antiphonam intonare debeant tales Superiores, vel Sacerdos et Ministri? Non est hoc bene expressum in Rituali, et ad vitandas lites necessaria fit explicatio.

3. An adsit praeceptum utendi Stola violacea in administratione Sacramenti Poenitentiae?

4. An omnes Sacerdotes indiscriminatim uti possint Galero vulgo *Berretta* quum a Sacristia discedunt pro Missa celebranda et in aliis exercitiis, praesertim vero an liceat Religiosis Sancti Joannis de Deo, qui Parochi sunt omnium infirmorum in suis hospitalibus jacentium? Utuntur eo in quibusdam Provinciis, minime vero in aliis.

5. An liceat ubique terrarum in fimbriis, et manicis Albarum, et aliarum vestium sub velo trasparenti fundum rubrum mittere, vel an sit privilegium peculiare Italiae, Hispaniae etc.

Et Sacra eadem Congregatio sub infrascripta die in Ordinario Coetu ad Quirinale coadunata, ad relationem per Secretarium factam, rescribendum censuit

Ad 1. *Servetur consuetudo.*
Ad 2. *Negative.*
Ad 3. *Servetur Rituale Romanum.*
Ad 4. *Non licere absque Indulto.*
Ad 5. *Negative.*

Atque ita rescripsit. *Die* 17. *Augusti* 1833.

4570. OPPIDI DE-LAUREA.

Blasius Lentini Archipresbyter et Parochus primariae Ecclesiae Deo in honorem Sancti Nicolai Episcopi dicatae Oppidi De-Laurea considerans Caput de Exequiis §. V. Ritualis Romani, ac dispositionem Missalis, quod suo loco assignat Missam in die obitus, seu depositionis Defuncti, atque internoscens Rubricistarum omnium sententiam asserentium hanc Missam canendam esse, ut locus illi fiat in diebus festis, vel ritus duplicis, ratus est Pauperes defunctos, queis vires non suppetunt pro obtinenda Missa Solemni de Requie in die depositionis, inferioris esse conditionis respectu divitum; propterea ne hoc peculiari ritu ab Ecclesia statuto priventur concedendum esse, ut pro defunctis pauperibus Missa a Rituali recensita die praescripta legi etiam valeat in diebus festis, et ritus duplicis, atque ad hoc Indultum obtinendum Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicavit. Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, omnibus rite consideratis, praesertim Decretis sa. me. Alexandri Papae VII. rescribendum censuit: *Negative, et serventur Rubricae.*

Atque ita rescripsit. *Die* 17. *Augusti* 1833.

4571. BOSANEN.

Parochialis Ecclesia Oppidi cui nomen vulgo Cuglieri Dioecesis Bosanen. recens, de anno scilicet 1810. ab sa. me. Pio Papa VII. Collegiatae titulo insignita fuit, et Litterarum Apostolicarum exequutionem Reverendissimo Bosanen. Episcopo ceu Apostolico ad hoc Delegato commisit, qui hoc speciali munere honestatus ipsamet Parochialem in Collegiatam erexit. Dum Sacris ibidem Episcopus daret operam, factum est ut a novo Capitulo Sedes

illi Pontificalis, et Solium de more attolleretur, ac rebus omnibus ad exitum deductis Bosam remeavit, quin ob ejus discessum Cathedram Episcopalem ab Ecclesia Collegieta Capitulum amoveret. In cujus rei notitiam ubi post aliquot annos ventum est, numquam destitit Episcopus Canonicos Collegiales hortari, immo etiam jussu cogere ne diutius sinerent Sedem Episcopalem, et Solium in illorum Ecclesia conspici; sed frustra; imperanti siquidem Episcopo acriter restiterunt dictitantes consuetudinem, licet paucorum annorum, sibi liquido suffragari. Quare quum nulla jam spes Episcopo superesset futurum ut aliquando reluctantes suae parerent auctoritati, Sardiniae Regni Vice-Regem in opem imploravit, qui invitos Canonicos ad obedientiam adegit. Interim vero Episcopus Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, ut ex hujus certo judicio quid in posterum sibi agendum sit innotescat.

1. An Cathedram, et Solium ob Episcopi adventum in Collegiata Ecclesia suae Dioecesis erectum, illo quoque absente, et in suam residentiam reverso in eadem Collegiata Ecclesia retinere liceat?

2. Num in adductis rerum circumstantiis ob consuetudinem generalis lex alicui exceptioni subjiciatur?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, perpensis libratisque omnibus praesertim iis, quae jam sancita fuere per Decreta in Ugentina diei 23. Julii 1661. et in Naulen. diei 11. Julii 1711. exquisito etiam Voto alterius ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris scriptis pandito, praeloque cuso, ad relationem Eminentissimi, et Reverendissimi D. Cardinalis D. Placidi Zurla Ponentis, respondendum censuit: *Juxta Votum Magistri Coeremoniarum, nimirum ad primum negative: ad secundum, legem generalem in casu nulli subjici exceptioni.*

Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 26 *Aprilis* 1831. (a).

(a) *Votum autem ab altero ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris exaratum, praeloque cusum est tenoris sequentis nimirum.*

Emi, et Rmi Patres.

Ab ipsis Ecclesiae incunabulis sanctissime cautum est, ne par esset omnibus vel locis vel personis honor, sed pro vario uniuscujusque munere, ac dignitate diversa quoque insignia, et honores singulis haberentur. Quae sane agendi ratio fovendae fidelium pietati, peculiari Templi alicujus sanctitati verendae, externi denique cultus, concinna quadam ipsius varietate, pulchritudini amplificandae, mirifice consulit. Dolendum vero est, sapientissimum hocce Ecclesiae consilium saepius frustrari homines qui de suo potius, quam de Religionis honore solliciti, statutum invertunt ordinem, aliena sibi vindicant jura, usurpant privilegia; ex quo dissensiones, ac jurgia inter Sacros Ecclesiae Ministros miserrime oriri quotidiana experentia docemur.

Hujusce rei exemplo sit, quod in sua Dioecesi contigisse scribit Bosanensis Episcopus, a Vobis, Eminentissimi Patres, expostulans, ut quaestio per se non adeo extricatu difficilis irrefragabili hujus Sacrae Congregationis judicio penitus dirimatur.

Est in Sardiniae Regno, Bosanensis Dioeceseos pars exigua, oppidum vulgo *Cuglieri*, Ecclesia Parochiali, et Collegiata recens insignitum. Illuc scilicet Anno 1810. s. r. Pius VII. Bosae Episcopum misit, ut Apostolici Delegati munere honestatus Ecclesiam ipsamet Parochialem in Collegiatam erigeret. Ibi cum forte Episcopus Sacris da-

4572. ALBANEN.

Kalendis Octobris anni 1814. facultas facta es ab hac Apostolica Sancta Sede Sodalitati Sutorum Civitatis Albanen. quotannis Festum cum Missis instituere in honorem Santorum Martyrum Crispini, et Crispiniani. At quum in

ret operam factum est, ut a Capitulo sedes illi Pontificalis, et solium de more attolleretur. Rebus ad exitum deductis Bosam remeavit, quin ob ejus discessum Cathedram Episcopalem ab Ecclesia Collegiata Capitulum amoveret. In cujus rei notitiam ubi post aliquot annos ventum est, nunquam destitit Episcopus Canonicos Collegiales hortari, imo etiam jussu cogere ne diutius sinerent sedem Episcopalem, et Solium in illorum Ecclesia conspici; at frustra. Imperanti siquidem Episcopo acriter restitere, dictitantes, paucorum annorum consuetudinem sibi liquido suffragari. Quare cum nulla jam spes Episcopo superesset futurum ut aliquando reluctantes suae parerent auctoritati, Regni Vice-Regem in opem imploravit, qui invitos Canonicos ad obediendum adegit. Interim Episcopus judicium vestrum expectat, ut quid sibi in posterum agendum sit, innotescat.

Quoniam vero R. P. D. hujus S. C. Secretarius mihi munus commisit hac super re nonnulla disserere, dicam breviter quid sentio; neque enim pertractatio isthaec, si quid modo video, ejus naturae est, ut possit in longum sermonem me revocare. Tota siquidem quaestio in eo sita videtur, utrum.

DUBIUM I.

Cathedram, et Solium ob Episcopi adventum in Ecclesia Collegiata suae dioecesis erectum, illo quoque absente, et in suam residentiam reverso in eadem Collegiata Ecclesia retinere liceat?

DUBIUM II.

Num in adductis rerum circumstantiis lex generalis alicui exceptioni subjiciatur?

Non est autem cur in prioris dubii solutione diutius immoremur. Si quis enim paullisper vel ad Cathedrae Episcopalis institutionem, vel ad praxim in Ecclesia nullo non unquam tempore servatam, mentem advertat, facere quidem non poterit, quin deprehendat memoratos nuper Canonicos longo in errore versari. Quid enim, quaeso, causae est, quamobrem Sedes Episcopalis vel ab ipsis Ecclesiae primordiis Cathedra nuncuparetur, nisi quod illam ascendat Episcopus, ut populum doceat, oves sibi concreditas ex eminentiori loco despectet, et rursus ab iisdem suspiciatur? Nec certe aliter sibi voluit Antiquitas, dum Sedem Episcopalem multis gradibus elevandam jussit, ita quidem, ut modo illam *sublimem thronum* appellet s. Gregorius Nazianzenus, modo in *altissimo loco posita* describatur ab Eusebio Hist. Eccl. Lib. VII. quibus apprime concinit Prudentius Hymno, quem in Sancti Hippolyti Martyris laudes conscripsit, ubi Cathedrae eminentiam ex eo repetit, quod inde Episcopus populum alloquatur.

,, Fronte sub adversa gradibus sublime Tribunal

,, Tollitur Antistes praedicat unde Deum.

Atqui nemo unus inficias iverit haec omnia praesentem supponere Episcopum. Quomodo enim absens Populum alloquatur, Deumque praedicet? Cum igitur hisce de causis Cathedra Episcopalis invecta fuerit, cumque haec necessario Pastoris praesentiam efflagitent, ratio ipsa vult, ubi desit Epi-

ordinandis hujusmodi Missis interdum nonnullae difficultates inveniantur, ad ambiguitatem omnem e medio tollendam, statuendumque quid in posterum omnino servandum, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia proposita sunt, nimirum.

scopus, nil prorsus esse, quamobrem in qualibet demum Ecclesia, Cathedrali seclusa, fixa, ac permanens illi Sedes collocetur.

At enim: in Parochiali Collegiata Ecclesia elata olim Sedes Pontificalis fuit. Quid ergo? num inde jus Capitulum acquisivit eamdem perpetuo retinendi? Adveniente, nimirum, Episcopo merito extructa est, ast eodem alio abeunte, inique retinetur. Omnes etenim norunt, reliquis Episcoporum privilegiis illud quoque adcenseri, quod in omni Diaeceseos parte, praesertim vero in Collegiatis Ecclesiis, dum solemniter vel Sacra peragunt vel Sacris intersunt, jure suo queunt sub solio Pontificali sedere. Hoc tamen privilegium ita Episcopo personaliter adhaeret, ut simulac alio se conferat, nefas omnino sit Cathedram in Ecclesia, licet Collegiata, fixam immotamque persistere. Utriusque rei indubia proferam documenta. In Authentica Collectione Decretorum S. R. C. sub Num. 1231. legere est: Episcopum Grossetanum consuevisse certis Anni temporibus, ut aeris beneficio frueretur, in Oppido suae Dioeceseos commorari, unde a Plebano illius Ecclesiae praeter alia obsequia, hoc insuper sibi ab eo praestandum S. R. C. supplicaverit: *erigendi in eadem Ecclesia Sedem Pontificalem cum Baldacchino.* Et S. C. respondit: *Episcopo competere. Episcopo*, inquam: privilegium siquidem est, quod illum individisim, ut ita dicam, comitatur, quin unquam in Ecclesiam dimanet, in quam fortuito, vel etiam integrae Dioeceseos visitandae ergo semel advenerit.

Hinc intelligitur cur Matrix Civitatis Ecclesia, ubi residet Episcopus, *Cathedralis* dicatur. Id enim obtinuit ob singulare privilegium, quo ab reliquis totius Dioeceseos Ecclesiis discriminatur. Cum enim in istis Sedes Episcopalis tamdiu perduret, quamdiu apud eas Episcopus degit, illa ex adverso perpetuo Cathedrae Pontificalis honore cumulatur. Hinc apud vetustissimos Ecclesiae Scriptores nullibi *fixa* Sedes occurrit nisi ubi Episcopus resideret. Pro omnibus sufficiat Eusebius Hist. Eccles. lib. VII. qui refert Thronum, seu Cathedram S. Jacobi Apostoli, primi Hierosolymorum Episcopi adhuc suis temporibus Hierosolymis extasse – quam Episcopi, qui illic ordine successerunt, permagno aestimant –. Quoniam vero Sedes numquam auferebatur, hinc in hemicyclo apsidis Templi erat parieti affixa, lapidea, gradibus elata, quemadmodum cum in aliis, tum praesertim in Basilica S. Clementis in praesentiarum quoque videre est, quae Summorum Pontificum venerationem, et curas sibi perpetuo vindicavit. Illic enim ex Cathedra, quae conspicitur, bis Homeliam habuisse dicitur S. Gregorius Magnus, et memoriae proditum est frequentissime illuc Romanos Pontifices ad sacra peragenda convenisse, ut ex pluribus constat Antiquitatum monumentis, quae penes Mabillonium, aliosque in unum congesta reperiuntur. Aliquid simile de minoribus Dioecesum Ecclesiis afferri nequaquam poterit. Scio hoc momentum negativum esse; at cum in alienae sententiae patrocinium positiva desint argumenta ad rem demonstrandam non parum inservit.

Neque ullum profecto negotium facessit aequum Episcopo jus esse sive in Cathedrali, sive in Collegiata Ec-

1. An in Missis lectis celebrandis in honorem Sanctorum Martyrum Crispini, et Crispiniani apponenda sit Commemoratio Officii occurrentis, ac aliae etiam Commemorationes in Kalendario Dioecesano appositae?

2. An in iisdem Missis apponenda sit commemoratio de infra Octavam

clesia Solio Pentificali uti. Perperam enim inde concluderetur, eidem Sacris non interessenti, in Ecclesia Collegiata fixam sedem Episcopalem collocandam fore. Cum enim istud Antistitum privilegium non in Collegiatas modo, sed et in reliquas totius Dioeceseos minores Ecclesias extendatur, unaquaeque pro lubitu posset Cathedram Pontificalem attollere, eamque perpetuo apud se retinere, quod nemo sanus dixerit.

Quid vero si hujusce Sacrae Congregationis decreta in hisce negotiis alias edita in memoriam revocemus? Legatur, quaeso, *Ugentina* sub num. 1979 Die 23 Julii 1661. Ex ea constat, defunctum Episcopum, Lanfrancum nomine, in Collegiata Ecclesia Terrae vulgo *Specchie, in qua residebat*, Sedem Episcopalem erexisse; Capitulum insuper, et Canonicos, ubi Episcopus e vivis discessit, a S. R. C. petiisse, Cathedram a Canonicis ejusdem Collegiatae removeri, ne duae Cathedrae in una tantum Dioecesi erectae reperirentur. Et S. Congregatio, *Vicario injungi*, mandavit, *ut praedictam Sedem amoveri, et in loco abdito servari praecipiat*. Quod si S. R. C., deficiente Episcopo, Collegiatam *Specchie* Ecclesiam Cathedrae privilegio spoliatam declararit, quamvis Terram illam Episcopus in suam Residentiam elegisset, quanto magis id pronuntiasset de Ecclesia Collegiata Bosanensis Dioeceseos, ad quam Episcopus Pii VII. jussu convolavit, cum mente ex ea discedendi simulac missionis scopum adimplevisset?

Neque minus id evincit quod in eadem Collectione sub num. 3680 occurrit. Qnaesitum enim fuit: an Episcopus Naulen. posset in qualibet suae Dioecesis Ecclesia Cathedram Episcopalem erigere cum Baldacchino, etiam tempore, quo *Episcopus non residet*, et functiones Episcopales in dicta Ecclesia non exercet, maxime si parum distet, nempe per milliarium circiter ab Ecclesia Cathedrali. Et S. R. C. censuit respondendum juxta votum, nempe *negative*, et ita declaravit, et decrevit Die 11 Julii 1711.

Quae sane ejusmodi sunt, ut rem omnino conficiant, viamque sternant ad prioris dubii responsionem. Cum enim Cathedrae institutio unicam in universa Dioecesi Episcopalem Sedem admittat, cum singulari hoc privilegio tantummodo Cathedrales Ecclesiae potiantur; cum Sacra haec eadem Congregatio minoribus Ecclesiis idem sibi jus postulantibus se adversam ostenderit, priori dubio reponendum videtur: *Negative*.

In altero, quod expendendum mihimetipsi proposui, brevius quoque me expediam. Canonici siquidem Oppidi vulgo *Cuglieri*, consuetudinem quamdam obtrudunt. At quamnam, rogo? Quae scilicet paucorum annorum ambitu continetur. Utcumque tamen hoc sit, ut nunc non in magno ponam discrimine, illud certum exploratumque est, nullam prorsus consuetudinem, licet diuturnam, Privilegii vim habere, et Jus inducere, nisi quae sit *rationabilis*. Atqui consuetudo, qua memorati saepius Canonici innitnntur, praecipua hac dote destituitur. Et vero, quomodo rationabilis habenda erit consuetudo illa, ex qua plura, eademque maximi momenti in Ecclesiarum privilegia, in Episcopi auctoritatem, in Ecclesiae praxim damna, atque in-

Sanctissimi Redemptaris cum Credo, et Praefatione de Cruce, quum Sanctorum Martyrum Festum semper incidat infra Octavam Sanctissimi Redemptoris, quod quidem Festum in Kalendario Albanen. gaudet ritu duplicis secundae Classis cum Octava?

3. An quod praescribitur pro Missis lectis, locum habere queat etiam in Missa solemni?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata, omnibus mature perpensis, auditaque relatione ab infrascripto Secretario facta, reseribendum censuit

Ad 1. *Negative in omnibus.*

Ad 2. *Affirmative in omnibus.*

Ad 3. *Negative, sed in Missa solemni dicitur Symbolum Credo, et Praefatio de Cruce.*

Et ita sancivit, et servari mandavit. *Die* 26. *Aprilis* 1834.

4573. CUSENTINA.

Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicarunt Parrochi loci vulgo Melito Dioecesis Cusentinae quatenus dignaretur mentem suam aperire, super Dubio quod enodandum eidem proponunt conceptum ut seqnitur: An Sacerdos simplex, seu ad titulum Patrimonii ordinatus possit in Ecclesiis Parrochialibus, vel Filialibus, vel Ruralibus Missam cum cantu vel de Sancto, vel de Requie celebrare in diebus festivis, vel ferialibus, invito, et contradicente Parrocho, et postea facere absolutionem prout de more?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, propositoque dubio mature considerato, rescribendum censuit: *In Ecclesiis Parrochialibus, et Succursalibus requiritur consensus Parrochi, in aliis Ecclesiis consensus Rectoris. Die* 26. *Aprilis* 1834.

4574. IMOLEN.

Quaestio orta quum sit inter nonnullos de Clero Imolen. an liceat Missam celebrare, quin in Sacra Hostia appareat Imago Jesu Christi Cruci affixi? eaque ad Sacrorum Rituum Congregationem deducta, haec in Ordinario Coe-

commoda proficiscuntur? Ut enim praetermittam istam Canonicos Collegiales, Ecclesiae, cui inserviunt, decori plus nimio consulentes, injuria invexisse; haec Cathedralibus Ecclesiis peculiare jus adimit; hinc exortae reliquorum querimoniae, hinc jubentis Episcopi auctoritas spreta, neglecti denique ritus, et Ecclesiae Ministri vi saecularis brachii ad obsequendum coacti. Nemo tamen unus, inquiet, fortasse quispiam, per longum temporis spatium reclamavit. At quomodo, quaeso, poterat, cum hujusce ausus ignoratione premeretur? Caeterum ex iis, quae postmodum contigere, facile unusquisque valet conjectura assequi Episcopum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis, id aequo animo passuros non fuisse, si rem ab initio compertam habuissent.

Quare videtur posse rescribi: *legem generalem in casu nulli subjici exceptioni.*

Paucis Sententiam meam, Eminentissimi PP., aperui, quae judicio vestro libens subjicio, apud animum mihi proponens, ea, qua par est, veneratione prosequi quidquid a sapientia vestra declarari, decernique contigerit.

tu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, referente R. P. Secretario, respondit: *Servetur consuetudo. Die* 26. *Aprilis* 1834.

4575. NULLIUS FARFEN.

Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuit Sacerdos Angelus Fiordiponte Archipresbyter, et Parrochus Collegiatae Ecclesiae Sancti Laurentii, et Sanctae Mariae Novae Oppidi vulgo Toffia Nullius Farfen., ex antiquo more Archipresbyteros memoratae Ecclesiae consuevisse in omnibus Ecclesiasticis Functionibus, nimirum in Choro, in Processionibus, in administratione Sacramentorum uti Stola, quam quidem consuetudinem ad haec usque tempora hodiernus Parrochus servavit. Verum quum in praesentiarum ab hujusmodi pacifica possessione deturbetur, optimum duxit nihil immutare, inconsulta hac Sancta Apostolica Sede; ac propterea a Sacra ipsa Congregatione enixe petiit declarari: an sibi liceat uti Stola in omnibus Ecclesiasticis Functionibus, quemadmodum semper servatum est, vel an debeat Stolam assumere tantum in administratione Sacramentorum?

Et Sacra eadem Congregatio sub infrascripta die ad Vaticanum in Ordinario Coeto coadunata, infrascripto Secretario referente, omnibus mature libratis, respondendnm censuit: *Serventur Decreta, nimirum Stolam adhibendam sollummodo in Sacramentorum administratione. Die* 26. *Aprilis* 1834.

4576. ORDINIS S. JOANNIS DE DEO.

Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit quidam ex Alumnis Ordinis Sancti Joannis de Deo, nimirum

1. An Superior memorati Ordinis, plerumque Saecularis, possit subdelegare suos Alumnos Sacerdotes pro benedictione Sacrae Supellectilis?

2. An Sacerdos celebrans in Ecclesia, in qua aliud peragitur Officium, possit se conformare tantum in Sacris Paramentis, et celebrare Missam respondentem Officio, uti ex. gr. si Officium recitavit de Martyre et in Ecclesia fiat de Confessore, possit cum Paramentis albis legere Missam de Sancto Martyre?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum hodierna die in Ordinario Coetu coadunata rescripsit: *Negative ad utrumque. Die* 16. *Aprilis* 1834.

4577. ORDINIS MINORUM CONVENTUALIUM ARCHIDIOECESIS THEATINAE.

Sacrorum Rituum Congregationi supplicarunt humillime Alumni Ordinis Minorum Conventualium Civitatis Theatinae pro manutentione Privilegii, quo gaudent privativo jure celebrandi Festum Sancti Antonii Patavini cum praecedenti quaesitione eleemosinaria, a quo quidem Privilegio deturbantur in praesentiarum; nam contra Decreta a Sacra ipsa Congregatione alias prolata idem Festum cum quaestua praecedenti celebratur in Ecclesiis Saecularibus memoratae Civitatis. Antequam vero quidquam super re Sacra decerneret Congregatio Reverendissimum Archiepiscopum Theatinum audiendum esse duxit pro informatione, et voto. Reverendissimus itaque Archiepiscopus, re diligenter examinata, comperuit nonnullis abhinc annis ejusdem Festi celebrationem invectam fuisse in Ecclesia Deo dicata in honorem Sancti Antonii Abbatis, verum in Dominica infra Octavam Sancti Antonii Patavini, pro qua Dominica Indulgentia etiam concessa fuit ab hac Sancta Apostolica Sede. His positis, quae pro injuncti muneris exequutione manifestanda duxit Reverendissimus Archiepiscopus, Sacra Rituum Congregatio sub infrascripta die ad

Vaticanum in Ordinario Coetu coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis, accurateque consideratis, juxta Decreta alias edita, ac praesertim in Uritana die 22. Martii 1710. decrevit: *Fratres Minores Conventuales manutenendos esse in possessione celebrandi Festum Sancti Antonii Patavini die natali, vel Dominica infra Octavam, ac propterea in Ecclesia Sancti Antonii Abbatis Festum idem celebrandum Dominica post Octavam, injuncto onere Parrocho, vel aliis quibuscumque omittendi praecedentem quaesitionem eleemosinarum.*

Atque ita rescripsit, ac in posterum servari mandavit. *Die* 26. *Aprilis* 1834.

4578. VINTIMILIEN.

Posteaquam Decimoseptimo Kalendas Aprilis superioris anni 1833. Sacrorum Rituum Congregatio nonnullis Dubiis propositis pro parte Reverendissimi Episcopi Vintimilien. quoad delationem sub Umbello, vulgo Baldacchino, Sacrarum Reliquiarum Sancti Secundi Martyris Praecipui Patroni negativam protulit sententiam, nomine Corporis Civici ejusdem Civitatis iterum, ac tertio supplicatum fuit pro gratia qua id saltem concederetur per Apostolicum Indultum. Sacra autem Congregatio, ad relationem per infrascriptum Secretarium factam in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, rescribendum censuit: *Negative, et servetur Generale Decretum. Die* 26 *Aprilis* 1834.

4579. ARETINA.

Magister Chori insignis Collegiatae Ecclesiae Sancti Juliani Confessoris in Oppido Castellionis Florentini Aretinae Dioecesis in Etruria Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo exposuit dictam Collegiatam habere quotannis die 8. Maii solemniorem Festivitatem Apparitionis Sancti Michaelis Archangeli sub ritu duplicis primae Classis cum Octava, ac praecepto audiendi Sacrum, et a servilibus abstinendi ab immemorabili, pro qua quidem festivitate Indulgentias etiam concessit sa. me. Nicolaus Papa V. de anno 1450. quae festivitas restricta non videtur Constitutione Urbani Papae VIII: *Universa*: quia est principalis quae celebretur non tantum in Paraeciis Oppidi, sed etiam extra Oppidum in tota ditione Communitatis. Praesenti Anno 1834. die 8. Maii occurrit Festivitas Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, ex quo factum est ut dicta Collegiata transtulerit Officium Apparitionis Sancti Michaelis Archangeli ad diem immediate sequentem, translato ad aliam diem non impeditam Officio Sancti Gregorii Nazianzeni hac die occurrente, et Oratorem ita egisse ad exemplum Nativitatis Sancti Joannis Baptistae occurrentis cum Festo Sanctissimi Corporis Christi, ut habetur in Generali Rubrica Breviarii de Translatione Festorum Titulo X. Quum autem modo dubitet an bene se gesserit, declarationem a Sanctitate Sua exposcit humillime etiam pro aliis circumstantiis in quibus idem Festum Apparitionis S. Michaelis Arcangeli occurrat cum alia solemnitate.

Et Sacra Rituum Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii, rescribendum censuit: *Sine speciali Indulto non posse; sed eo in casu Festum Sancti Michaelis Archangeli, quoad Officium transferendum juxta Rubricas in primam diem non impeditam. Die* 16. *Aprilis* 1834.

4580. DUBLINEN.

Clerus Saecularis Dioecesis Dublinen. Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicavit pro declaratione sequentium Dubiorum, nimirum

1. An Regulares intra fines degentes Archidioecesis Dublinen. teneantur recitare Officium Sancti Patroni alterius Dioecesis Archidioecesi Dublinen. unitae? Et quatenus affirmative

2. An debeant hoc Festum celebrare sub ritu duplicis primae, aut secundae Classis?

Et eadem Sacra Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii rescribendum censuit.

Ad 1. *Juxta Rubricas, et Decreta alias edita teneri Regulares ad Officium Praecipui Patroni Loci, in quo commorantur.*

Ad 2. *Juxta eadem Decreta sub eodem ritu, sed sine Octava.*

Et ita rescripsit. *Die* 26. *Aprilis* 1834.

4581. DECRETUM GENERALE.

Quum ab Anno 1788. ad hanc usque diem Breviaria, Horae-Diurnae, Missalia, Officia-Parva Beatissimae Mariae Virginis, Officia Hebdomadae Majoris, Ritualia, aliaque id generis, quae denuo Praelo mandantur, non amplius praeseferant Reverendissimorum Ordinariorum Attestationes, queis declaretur haec Exemplaria concordare cum iis, quae Romae sunt impressa, ad tramites Bullarum S. Pii V. Clementis VIII. et Urbani VIII. Summorum Pontificum, quae in fronte Breviarii Romani reperiuntur, Sacrorum Rituum Congregationi supplicatum fuit declarari « utrum etiamnum servari deberent recensitae Constitutiones Pontificiae, et an Transgressores poenas inibi inflictas incurrerent »? Praesertim ex eo, quod in praesentiarum nullus supersit dubitandi locus, quin emendata Exemplaria prae oculis in cusione habita sint, eo vel magis quod non parum torquerentur conscientiae tum eorum, qui lucrum ex Liturgicorum Librorum venditione percipiunt, tum Ecclesiasticorum, qui illis uti debent, quum nullibi reperiantur hisce Attestationibus muniti, proptereaque demum concedi, ut sine ulla dubitatione quis horum Librorum usum sibi permitti valeret. Et Sacra eadem Congregatio in ordinario Coetu ad Vaticanum sub die 7. Aprilis anno 1832. coadunata, audita relatione ab me infrascripto Secretario facta, omnibus mature perpensis accurateque consideratis, rescribendum esse censuit, ac declarandum: *Pontificias Constitutiones in suo robore permanere, et abusum non esse tollerandum.* Hujusmodi Declarationi minime acquiescentes, qui primitus supplicarunt, et probe quum intelligant contra legem latam non esse aliquo conatu pugnandum, iterum tamen institerunt, quo traderetur modus et forma quoad usum eorumdem Librorum, quin inflictas poenas ulla ratione quis in se convertat. Hisce precibus similiter ut supra relatis in altera Ordinaria Congregatione ad Vaticanum pariter sub die 16. Martii 1833. coacta Eminentissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi satius duxerunt super re judicium differre. Coadunata demum apud Vaticanas Aedes juxta morem Eadem Sacrorum Rituum Ordinaria Congregatio, in eaque jam tertio audita relatione ab me infrascripto Secretario facta, omnibus accurate libratis, rescribendum ac decernendum censuit; *Detur Generale Decretum juxta Mentem.* Mens est, ut Ordinarii Locorum pro suo munere invigilent, ut denuo non cudantur supradicti Liturgici Libri sine Attestatione a Pontificiis Constitutionibus praescripta, et quoad

illos, qui hujusmodi Attestatione destituuntur et ab anno praesertim 1788. ac deinceps cusi fuere, aliquod Exemplar ex supradictis examini probatae Personae Ecclesiasticae subjiciant, quae illud conferat cum iis, qui in Urbe juxta morem sunt impressi (exceptis tum Breviario anno 1828. Typis Contedini, ac Missali anno 1826. Praelo De-Romanis cusis, in quibus nonnulla menda irrepserunt), acceptaque fideli relatione Revisoris, quando illud adamussim concordare cum praedictis inveniatur, suo Clero declarent ipsi Ordinarii Breviaria, Missalia etc. illius impressionis perfecta esse, adeo ut illis licite et sine ulla dubitatione uti quis valeat. Ad praecludendam demum omnem viam dubitationis tradendamque ipsis Ordinariis certam regulam, Typographi Romani deinceps ante impressionem horum librorum teneantur veniam a Sacra Congregatione impetrare, illiusque revisioni subjicere, et Attestatione ejusdem Secretarii munire. Atque ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 26. *Aprilis* 1834.

4582. OSTUNEN.

In Cathedrali non minus quam in nonnullis aliis Ecclesiis Dioecesis Ostunen. in Festo Sacratissimi Cordis Jesu assolet Missa Solemnis celebrari cum cantu ante Sanctissimum Sacramentum solemniter expositum. Hodiernus itaque Cathedralis ipsius Archipresbyter Sacrorum Rituum Congregationi supplicavit humillime ut declarare dignaretur: an in memorata Missa Solemni de Sacratissimo Corde Jesu apponi debeat commemoratio Sanctissimi Sacramenti? et quatenus affirmative, an locum habeat sub unica conclusione?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata, omnibus mature perpensis, me infrascripto Secretario referente, rescribendum censuit: *Commemorationem in casu esse omittendam.* Die 6. Septembris 1834.

4583. PISANA.

Eminentissimi, e Reverendissimi Signori.

L' Arcivescovo di Pisa Oratore Umilissimo dell' Eminenze Vostre Reverendissime espone, che nella Sacra Ordinazione, che egli suol fare pontificalmente in tempo della Messa letta senza canto, due Canonici assistono come Diaconi assistenti, e sono parati con Pianete piegate, o Dalmatiche secondo i tempi; l' Arcidiacono poi interviene semplicemente in abito corale per fare la parte, che gli spetta secondo il Pontificale. Ciò posto egli propone a questa Sacra Congregazione i seguenti Dubbj supplicando per una graziosa soluzione.

1. An duo Canonici assistentes parati ut supra induere debeant Dalmaticam, seu Planetam plicatam dumtaxat super Rocchetto cum amictu, vel super Albam cum Amictu, cum Manipulis, et unus cum Stola Diaconali?

2. An interesse debeat Presbyter assistens in Pluviali?

3. An Archidiaconus uti debeat habitu dumtaxat Chorali, vel Dalmatica, aut Pluviali?

Et Sacra Rituum Congregatio in Ordinario Coetu ad Quirinale sub infrascripta die coadunata, omnibus mature perpensis, ad relationem per me infrascriptum Secretarium factam, rescribendum censuit: *Servetur Coeremoniale Episcoporum lib.* 1. *cap.* 7.

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. *Die* 6. *Septembris* 1834.

4584. LAURETANA.

Sacerdos Archangelus Polidori Canonicus itemque Choro Praefectus Basilicae Lauretanae humillimis datis precibus enixe supplicavit, ut a Sacrorum Rituum Congregatione declaretur utrum in Responsoriis post Lectiones quando duplex apponitur Asteriscus, dicto Versu, repetenda sint verba a primo asterisco ad versum usque, et post *Gloria Patri* repetitio incipere debeat a secundo asterisco ad versum usque, uti opinantur Cavalieri, et Merati; vel utrum prima repetitio post versum prosequi debeat a primo ad secundum asteriscum, servatis verbis a secundo asterisco ad versum usque pro secunda repetitione, veluti Rubrica ad praxim redacta praescribit in Responsoriis Dominicae primae Sacri Adventus, et in Responsorio: *Libera me Domine* Officii Defunctorum, uti fieri assolet in Ecclesiis Urbis, ac servandum praecepit Orator in Basilica Lauretana, cujus sanctionis veluti praxi conformis, confirmationem exposcit. Hujusmodi precibus per me infrascriptum Secretarium relatis in Ordinariis Comitiis ad Quirinale infrascripta sub die habitis, reque mature perpensa, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi hodiernam consuetudinem in Choro Basilicae Lauretanae constitutam confirmarunt, ac proinde rescribendum censuerunt: *Dividatur, et recitetur Responsorium prout in Precibus.* Die 6. Septembris 1834.

4585. ROMANA.

In Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis hodierna die ad Quirinale habitis, per infrascriptum Secretarium proposito pro opportuna solutione sequenti Dubio, nimirum: Utrum Canonici sacris induti Vestibus adhibere possint Chorum paratum vulgo *di damasco, seta o velluto* dum solemniter Sacra peragit Episcopus in sua Dioecesi, vel Cardinalis Titularis in propria Ecclesia? Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature, diligenterque examinata, rescribendum censuerunt: *In Choro stabili non licere.* (a).

Atque ita servari mandarunt. *Die* 6. *Septembris* 1834.

(a) Ex ipso Coeremoniali Episcoporum eruitur jure datam a S. R. C. responsionem fuisse. Sane ea quae ornari vel possunt vel debent clare Coeremoniale indigitat vel praecipit, si de choro silet, hoc ipsum silentium demonstrat omnem ornatum ab eo excludere voluisse. Verba quidem facit de ornatu cathedrae vel Sedis Episcopalis, quomodo scilicet sit ornanda toto anni decursu, quomodo diebus solemnioribus, quomodo in matutinis Tenebrarum, et in missis defunctorum. Item loquitur Coeremoniale de ornatu Sedium pro nobilibus atque illustribus viris, pro magistratibus ac principibus, easque dum juxta Sacrorum Canonum praescripta laudabiliaque antiquae disciplinae documenta inde ab exordiis Christianae Religionis introductae ac longo tempore observatae, praecipit eas extra chorum esse collocandas, easdem pariter plus minusve pro cujusque dignitate et gradu ornandas esse praescribit, nullum autem verbum quod chori ornatum respiciat. Jam cur tam accurate Coeremoniale de his sedibus earumque loco et ornatu agit, nihil vero de ornando choro habet, et altum de hoc silentium servat? Certe quia chorum nullimode ornandum esse putavit, atque licet expresse non prohibeat, tacite tamen omnem ornatum chori improbare dicendum est: et fortasse per eam quae intercedere debet differentiam inter Cathedram Episcopalem et canoni-

4586. TARVISIN.

Reverendissimus Episcopus Tarvisinus Sebastianus Soldati Sacrorum Rituum Congregationi Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinali Praefecto sequentes dedit litteras, nimirum: Binas factorum species, quas modo sum expositurus ea de caussa judicio, atque auctoritati Tuae subjiciendas curavi, Eminentissime, et Reverendissime Princeps, tum ut Te decernente, cognoscerem quid de iis sentiendum sit, tum ut ea augear potestate, qua me carere sentio.

Quaero igitur primo: an Episcopus licite possit extra aetum dedicationis Ecclesiae immutare diem anniversarium dedicationis ejusdem, praecedenti Decreto jam constitutum, ac firmatum, eo quod experientia demonstravit Oppidanos Paroeciae non posse ad Ecclesiam convenire ob impedimentum illa ipsa die quotannis incidens (a)?

In casu negativo opportunam postulo facultatem.

corum aliorumque subsellia. At animadvertet fortasse aliquis: a S.Congregatione hi Chori fixi dicuntur, et ab his ornatus excluditur. An dantur Chori qui possunt ornari? Dantur utique, et per eam differentiam, quae est inter hos et Choros fixos possunt, ne dicam debent, quandoque necessario ornari. Sane evenit non semel ut officia non in praecipuo, sed in alio aliquo peragantur Altari in quo chorus non adest; tunc necesse est ut scamna portatilia in eo ponantur, et cum his Chorus efformetur, haec autem cum persaepe viliori sint ex materia, et ut plurimum, ex rudi ligno, si ornatu careant indecora prorsus videntur, nec majestati sacrarum actionum respondent: Ut igitur omnis deformitas vitetur, et decus omne in divinis celebrandis officiis servetur, haec scamna, quibus hoc in casu constat Chorus, ornari possunt, immo et debent, et Sacra Congregatio tacite in his ornatum permittit per ipsam enunciationem in responsione positam nempe *chori fixi*, a quo ornatum excludit. Et magna est differentia inter Choros fixos et scamna portatilia, in qua sita diversa ratio est vel ornandi, vel non. Scamna enim haec cum sint minus decora, ornanda sunt ob decentiam, quae debetur divinis rebus, et ecclesiae.

Quae ratio haud quidem Choris fixis potest aptari: sunt enim semper ex praetiosa materia eleganter elaborati, et nonnulli tales sunt, ut de his dici possit materiam ab opere superari, quo in casu eos ornare idem fere esset ac aurum argento oblinire, vel plumbo aut stamno praetiosum aliquod metallum obtegere. Nullam proinde vim haberet ratio quae deduci posset a scamnis portatilibus, quae ornari possunt ad Choros fixos ornandos quod a s. Congregatione denegatum est.

(a) Dies ipse, quisquis is sit, quo Ecclesia quaevis consecratur, verus est et proprius dedicationis dies, et ipse dies, qui ab illius dedicatione primitus peracta singulis quibusque annis recurrit, proprius est et verus pariter dies anniversarius ejusdem dedicationis, eodem plane modo, quo dies Sancti alicujus natalis ille dicitur, qui ab illius ex hac vita in Coelum transitu in Calendario censetur: unde sicut dies natalis Sancti alicujus *ordinarie* non mutatur, ita nec dedicationis ecclesiae proprius et verus recurrens dies in alium mutari nequit, nisi ab ipso Consecrante justa de causa, sed actu ipsius consecrationis; (verum hoc vere loquendo, non esset vera et stricta, et quomodo in dubio exponitur, mutatio, sed potius assignatio diei ab illo, quo ecclesia consecratur, diversi).

Itaque, extra ipsam consecrationem

Quaero secundo: An Episcopus Successor rite lustrans pro munere suo pastorali Ecclesiam a Praedecessore suo ante annos multos dedicatam, licite possit jure ordinario prohibere, ne eadem Ecclesia in posterum duplici appelletur titulo in solemni dedicatione usurpato, tum quia novit Curiam Episcopalem, ipsosque Oppidanos loci quinquaginta ferme annorum spatio unico tantum titulo usos fuisse in Ecclesia appellanda, altero relicto, tum quia certo scit ex duplici hoc titulo post annos sane multos adhiberi cepto, jur-

mutari dies dictus non potest, inconsulta Sede apostolica, quae quidem difficillime, et nonnisi gravissimis mota rationibus ad id concedendum inducitur, de quo unum vel alterum reperiri poterit exemplum. Si decretorum S. R. C. seriem pervolvamus, inveniemus S. hanc Congregationem hanc mutationem pene semper improbasse, et si quandoque concesserit ob peculiares rationes, semper etiam aliam mutationem prohibuisse, omnemque praecavisse, quae dari fortasse posset Episcoporum nimiam libertatem, speciali apposita clausula. Ut res exemplis pateat S. R. C. facultatem quidem fecit Episcopo Recanatensi assignandi certum diem pro anniversario consecrationis Ecclesiae Cathedralis, at in casu particulari, a quo non infringitur universalis regula, hanc enim ei facultatem dedit, quia constabat quidem de Consecratione peracta, sed dies in ipsa consecratione assignatus pro illius anniversario ignorabatur; hac tamen apposita lege, quod certus dies electus amplius mutari nequiret; sic respondit sub die 12. Martii anni 1640. decreto in collectione sub num. 1109. In una pariter Recanatensi simili ferme in casu supplicantibus PP. Societatis Jesu pro assignatione alterius diei ad celebrandum Consecrationis propriae ecclesiae anniversarium per aliquot annos celebratum in die Pentecostes et postmodom intermissum, S. R. C. respondit (die 11. Nov. 1641. n. 1206.) diem certum per Episcopum statuendum esse, sed addidit, *qui semel* electus amplius non possit mutari. Hic autem est advertendum, quod pro concessione, de qua hic agitur, peculiaris etiam occurrebat ratio, nam per aliquot retroactos annos consecrationis anniversarium in die Pentecostes celebratum fuerat, qui dies ex iis est, quibus ex Rubricis interdicitur omnis celebratio alterius Festi, atque adeo etiam celebratio anniversarii dedicationis Ecclesiarum, et per hoc ipsum est, quod hic aliique hujusmodi dies pro Ecclesiarum consecratione minime sunt eligendi. Item in Bituntina reperitur S.R. Congregationem similiter respondisse, nam cum Capitulum exposuerit quod antiquitus ab immemorabili celebratum fuerit officium Consecrationis Ecclesiae sub die 4. mensis Maji, et anno postmodum circiter 1679. Episcopus ad alterum diem, consecrato Altari majore ejusdem Ecclesiae, praefatum dedicationis officium transtulerit, nempe ad diem primam septembris *contra decreta* S. R. C. et snpplicarit (capitulum) declarari, an dicta translatio deberet sustineri, vel potius remitti in praedictam diem 4. maji, S. R. C. respondit *negative ad primam partem, affirmative ad secundam*. Ex quibus omnibus responsionibus, ut caetera omittantur, quae adduci adhuc possent, eruitur diem semel assignatam pro anniversario dedicationis ecclesiarum celebrando mutari non posse, nec in facultate Episcoporum esse, inconsulta S. Sede, hanc mutationem inducere ac proinde Sacram Congregationem, data ut supra responsione, leges et ritus sapienter statutos et certis validisque principiis et regulis innixos voluisse tectos sartosque manere pro quibus tuendis ipsa est constituta.

gia, discordias, simulationes secuturas esse cum Oppidanis alterius Paroeciae ejusdem Oppidi, quae eadem gaudet appellatione (a)?

(a) Dari quidem possunt plures Titulares unius Ecclesiae licet ut plurimum unus esse soleat sub cujus nomine primitus aedificatur, et dedicatur Ecclesia. Hi autem si plures sint, vel sunt simul, nempe sub eorum simul nomine dedicatur ecclesia, vel successive dati. Communis tamen usus is est omnium fere Ecclesiarum ut unicum habeant Titularem, et si plures sint, nonnisi sub unius ratione agnoscantur, exceptis quibusdam, iisque raris exemplis, quae semper eas respiciunt Ecclesias, quae pluribus simul Sanctis fuerunt initio ab ipsa consecratione peculiari modo dicatae: cum vero Ecclesiae dedicatio nonnisi vel in unius Sancti honorem, vel plurium sub ratione unius fieri consueverit, unaquaeque Ecclesia suam propriam appellationem ab ipsa sui dedicatione desumit. Plures, dictum est supra, dari posse Titulares successive ita ut Ecclesiae uni Sancto dicatae et ab illius nomine appellatae, alter Titularis addatur, a quo ipsa aliud nomen, sive relicto sive etiam retento priore, accipiat. Id tamen non ita frequenter, immo rarissime occurrit, et ob hanc causam solet evenire, quod nempe antiquiores illae primariae locorum Ecclesiae jam inde a priscis temporibus opera et studio primorum cujusque sedis Antistitum erectae, juxta veterem Ecclesiae morem ab ipsis Apostolis eorumque discipulis traditum, Sancto cuidem dicatae fuerunt, postmodum contigit, ut ii ipsi Antistites qui eas rexerunt e vivis excessi in iisdem Ecclesiis quiescentes Sanctitatis fama et miraculorum gloria floruerint, et ita factum est ut populi, eorum ope implorata, subsidium in suis vel spiritualibus vel temporalibus necessitatibus experti, frequentissimo concursu eos sint venerati, eosque per hoc ipsum in Patronos etiam agnoverint, talesque communi omnium consensu revera evaserint. Quandoque etiam factum est ut ipsae Ecclesiae obliterato apud ignarum saltem vulgum priori titulo, communi deinceps nomine ab his sint appellatae. Plura adduci de hoc exempla possunt, quae qui desiderat adire auctores poterit, qui fuse de hac materia pertractant.

At quocumque modo sint ecclesiarum Titulares, vel ab ipsa Ecclesiarum dedicatione selecti et constituti, vel successive, ut supra adsciti, ac ut tales ab immemorabili tempore et universali populorum consensu et veneratione recepti, haud quidem licet, nisi accedat novae ecclesiae dedicatio Titularem mutare et alium illi subrogare: nam, ut supra notatum est, unaquaeque Ecclesia ab illius Sancti nomine, cui dedicata fuit, suam accipit appellationem, et sicuti nova Ecclesiae dedicatio, stante integra priore Consecratione, inanis omnino est, quia inaniter consecratur quod execratum non evasit, ita inanis Titularis mutatio esset, relictis vel unico vel pluribus quovis modo constitutis, et alio illis subrogato: simul autem injuriosa nimis esset haec Titularis mutatio cum nulla sit ratio alium prae illo inducere. Hinc est, quod si eveniat Ecclesiam aliquam dirutam iterum aedificari iterumque consecrari, non alio quam priori titulo dedicatur, aequum enim quam maxime est ut eodem nomine, quo alias, deinceps nuncupetur quo ab ipsa prima sui erectione insignita fuit, illudque in nova consecratione jure retineat. Hisce positis quisque per se videt non aliter S. R. C. huic dubio nisi negative respondere potuisse, haec enim responsio principiis, praxi, et exemplis est maxime conformis, a quibus noluit declinare, nam vel in ipsa consecratione Ecclesia

In casu negativo ad quaestiones, ac lites praecavendas etiam atque etiam postulo ut ex Apostolica speciali potestate mihi liceat ex duobus nominibus in dedicatione minus fortasse prudenter adhibitis, illud supprimere, quod longa Saeculorum possessione, ad alteram Oppidi ejusdem spectat Ecclesiam.

Hujusmodi instantia per me infrascriptum Secretarium relata in Ordinariis Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis, Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature perspecta, diligenterque examinata, rescribendum censuerunt: *Negative in omnibus*. Die 6. Septembris 1834.

4587. VIGLEVANEN.

Eminentissimi, e Reverendissimi Signori.

Il Canonico Pietro Gilardini della Città di Vigevano divotamente espone che in quella Cattedrale nel giorno del *Corpus Domini* nella consueta Processione si portò egli ad assistere Monsig. Vescovo in qualità di Diacono, come precedentemente nella medesima qualità lo aveva assistito nella S. Messa. Non mancarono alcuni oppositori, i quali pretendevano, che il Diacono, e Suddiacono della Messa non già, ma i due Diaconi assistenti dovessero eseguire quella Sacra Funzione. Ad evitare pertanto negli anni avvenire consimili contestazioni, che potrebbero provocare scandalo nel popolo, e fissare insieme una massima, colla quale progredire senza errore, il supplicante umilmente implora l'oracolo dell'Eminenze Vostre Reverendissime. Che etc.

Sacra autem Congregatio Rituum audita relatione a Secretario facta in Ordinariis Comitiis ad Quirinale sub infrascripta die habitis, rescribendum censuit: *Servetur Coeremoniale Episcoporum lib. II. cap. XXXIII. num.* 8. 17. 22. Die 6. Septembris 1834.

4588. ALEXANDRINA.

Quum Sacrorum Rituum Congregationi sequens Dubium enodandum proposuerit Capitulum Cathedralis Alexandrinae Ecclesiae, nimirum: An ritus et formula dandi Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia Plenaria post Missam Solemnem juxta formulam praescriptam Episcopis, substitui possit ritui, et formulae dandi Benedictionem solemnem juxta Coeremoniale Episcoporum, dicto – Placeat – adeo ut dicto – Placeat –, omissa Benedictione solemni, impertiri possit Benedictio Apostolica, ut supra –? Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes sub infrascripta die coadunati ad relationem mei Secretarii rescribendum censuerunt: *Negative, et servetur ritus, ac forma in Romano Pontificali praescripta*. Die 23. Maji 1835.

non unum sed duos, vel plures habuit Titulares; vel etiam successive juxta modum expositum hubuit, quocumque eos habuerit modo, is vel ii sunt vere et proprie Titulares et jure retinendi sunt, ac proinde Episcopo non est facultas vel uno retento, alium subrogandi, vel ex duobus unum excludendi, sive jure ordinario nequit prohibere ne Ecclesia duos habeat Titulares et duplici etiam appelletur titulo vel in solemni illius consecratione usurpato, vel etiam successive addito, hoc enim esset limites auctoritatis praetergredi et injuriam Sancto in Titularem recepto inferre, quod nefas esset. Si autem quaestiones et jurgia excitantur, Episcopi est ea tollere, animos componere, et Fideles de Ecclesiae legibus instruendo in officio retinere.

4589. AQUIPENDIEN.

Archipresbyter, et Clerus Oppidi vulgo Farnese intra limites Dioecesis Aquipendien. ad propellendam omnem ambiguitatem quoad celebrationem Festi praecipui Patroni, Sacrorum Rituum Congregationi supplicarunt humillime pro declaratione insequentium Dubiorum, nimirum:

1. An post electionem, et confirmationem Apostolicam Sancti Isidori Agricolae in Patronum Praecipuum memorati Oppidi de Anno 1815. factam, Incolae Oppidi ipsius teneantur adhuc ducere sub praecepto festivum diem nonum Novembris, in quo occurrit Festum Dedicationis Sanctissimi Salvatoris, cujus sub titulo erecta reperitur Ecclesia matrix, uti antea fieri solebat?

2. Et quatenus non teneantur, an hoc Festum Titularis cum ritu competenti instituere debeant ipsa die IX Novembris, vel potius Dominica tertia Julii, in qua Officium occurrit Sanctissimi Redemptoris?

Hujusmodi Dubiis per infrascriptum Secretarium relatis in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature, accurateque perpensis rescribendum duxerunt.

Ad 1. *Non teneri.*

Ad 2. *Festum Titularis in casu esse Festum Transfigurationis Domini, juxta Decretum in Varmien. diei* 29. *Novembris* 1775. *ac proinde octavo Idus Augusti instituendum.*

Et ita rescripserunt, ac servari mandarunt (a). Die 23. Maii 1835.

(a) Licet Titulus et Patronus inter se differant, non semel tamen unus cum alio confunditur, ex quo fit ut ex Rubricarum verborum vel nimis libera vel parum accurata interpretatione errores enascantur; breviter aliqua advertuntur ut inde pateat datae responsionis fundamentum. A tuendo Titulus suam ducit originem juxta Varronem, et ad aliquid indicandum accipitur eo sensu quo rem quamcumque cui inscribitur indicet quodammodo et tueatur.

Vox haec plura significat, sive ad plura significanda usurpatur. Titulus ex. gr. in Sacris Scripturis monumentum quodcumque significat ad perpetuam rei alicujus memoriam servandam erectum, quemadmodum *Genesis cap.*28 dicitur de Jacob, qui ad perennem memoriam, ubi celeberrimam habuit visionem servandam, mane surgens lapidem tulit, quem capiti suo supposuerat, et infuso desuper oleo *illum in titulum erexit*: In Jure accipitur pro causa, quo quis sibi rem aliquam vindicat et jura sua contra quemcumque illa impugnantem defendit, unde dicitur *titulus causae.* Item hoc sensu, nempe causae, accipitur in Evangelio *Joan. cap.* 19. titulus quem Pilatus scriptum affigi jussit Christi Domini cruci, quem titulum Matthaeus cap. 19. *causam* appellat, et Marcus, utramque simul vocem usurpans, scribit *erat titulus causae ejus inscriptus* causae nempe ob quam Jesus Christus supplicio damnatus fuit. In ipso jure pariter pro tabulis quibusdam accipi solet vox *titulus*, quae praediis affigi consueverant, descripto in eis palam possessoris nomine, ut sic ab aliena invasione ea tuerentur, eo plane modo, quo nostra etiam aetate gentilitia insignia vel picta vel insculpta ponuntur ad proprias cujusque ditiones tuendas, qua super re scribit Augustinus *exposit.* 2. in *psalm.* 21. *ne domus ipsius invadat aliquis Potens ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces: ipse vult esse possessor, et frontem domus suae de titulo alieno*

4590. COSTANTIEN.

Quum Reverendissimus hodiernus Costantien. Episcopus Sacrorum Rituum Congregationi sequens Dubium enodandum proposuerit, nimirum: An Altaria

*muniri, ut cum titulus fuerit lectus, conterritus quis potentia nominis abstineat ab invasione*: nonnulla alia hac voce comprehenduntur, quae omittenda censentur.

Quoad praesens dubium et Liturgico sensu, olim Ecclesiae, Tituli nomine appellari consueverant, ita ut Titulus et Ecclesia pro eodem sumebantur, sic de s. Evaristo legitur Ecclesiarum titulos Urbis Presbyteris divisisse, et de s. Marcello pariter, qui vigintiquinque Titulos divisit super sepulturas martyrum. Haec denominatio ex eo orta est, quod cum Christiani domum aliquam divino cultui consecrarent crucis vexillum in ea ponebant, unde a Titulo crucis Dominicae, titulus nuncupabatur, atque hinc Theodosius Imperator praecepit, ut Gentilium delubra in Christianae Religionis cultum immutarentur *collocato in eis*, inquit, *venerandae christianae Religionis signo.*

Ecclesiae item Tituli dicti sunt a nomine illius Sancti in cujus honorem erigebantur, ut essent tamquam sanctitatis illius monumenta. Saepe etiam Ecclesiae Tituli dictae fuerunt desumpta denomitatione a titulo seu fundo illis attributo, quemadmodum quoque a titulo non semel et nomine fundatoris appellatae sunt; unde veteres Christiani domos suas in Ecclesiam consecrantes eas postmodum a suo nomine nuncupabant: Ut reliqua omittantur hujus rei exempla unum adducitur omnibus notissimum quod duas simul comprehendit super expositas rationes hujus appellationis, et fundatoris et Sancti cui Ecclesia dicata est, illud nempe quod in recitatione divini officii legitur in Breviario die prima Augusti in lectione quinta *tantus honor sacris illis vinculis haberi caepit, ut propterea hoc nomine s. Petri ad vincula Ecclesia titulo Eudoxiae dedicata sit in Exquiliis.* His, ut alia omittantur quae in medium proferri possent, de Titulo adnotatis, prout dicitur de Ecclesia, advertendum est hanc vocem tripliciter accipi posse, vel enim late sumitur et tunc facile est Titulum cum Patrono confundere, vel stricte, et tunc de eo tantum Sancto seu mysterio dicitur, a quo nomen ei imponitur, vel demum nec adeo stricte nec adeo late accipitur, ut accipi eo sensu debeat, qui hic expositus est, sed propriissime tamen quantum ad Rubricas earumque intelligentiam attinet, et dicitur de mysterio, seu re quacumque sacra a qua suam nuncupationem aliqua Ecclesia desumit.

In hoc autem maxime differt Titulus a Patrono, quod hic cum illo confundi queat, et dici Titulus idem qui est Patronus, at non item ille; ex titulo enim nequit inferri, eumdem esse etiam et Patronum juxta doctrinam tum Gujeti, tum Gavanti.

Differt revera Patronus a Titulo. Vox haec Patronus (quidquid sit de illius etymologia) a profano seu civili sensu ad res Ecclesiasticas translato dupliciter accipitur: primo iis aptatur, qui ob fundatam seu aedificatam Ecclesiam propriis sumptibus jus sibi Patronatus reservant, de quo agit Titulus 37. lib. 3. Decretalium, et idcirco qui hoc jure potiuntur Patroni appellantur: secundo: hoc nomen convenit Sanctis, qui in coelo regnant, suisque nos apud Deum precibus juvant juxta germanam catholicae Ecclesiae fidem, innumeris sanctorum Patrum testimoniis confirmatam, quos inter seligitur s. Joannes Damascenus, qui *lib.* 4. orthodoxae fidei ita scribit. *Quid non laboris susci-*

sive portatilia, sive non, suam amittant consecrationem per fractionem Tumuli, in quo reconduntur Sacrae Reliquiae, et earumdem amissionem? Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis

*pias ut Patronum quemdam nanciscaris, qui te mortali Regi offerat ac tuo nomine ad eum verba faciat? Annon igitur ii honorandi sunt, qui totius humani generis patronos se profitentur ac Deo nostri causa supplicant?* Quemadmodum differt Patronus a Patrono, quoad vocis vim et significationem nuper allatam, ita inter se differunt Patronus Ecclesiae, et Patronus loci: siquidem praeter singularem Ecclesiae Patronum seu Titulum (quem cum Patrono aliquoties, ut dictum est, confunditur) datur etiam loci alicujus Patronus communis et generalis.

In hoc autem differunt Loci et Ecclesiae Patroni quod hic circumscribitur quodammodo et ad unam tantum Ecclesiam proprie pertinet, ille magis extenditur, ad plures enim Ecclesias attinet; locus enim accipitur pro multitudine Cleri et populi, seu potius, juxta Gufeti et Gavanti opinionem, pro multis cleris et populis in uno eodemque loco constitutis. Aliis etiam rationibus loci Patronus a Patrono Ecclesiae differt, quas hic afferre, utpote a proposito alienas, supervacaneum putatur.

Diversi dantur Locorum Patroni sive datur Patronus Regni, Provinciae, Dioecesis, Civitatis. Datur etiam Patronus Oppidi, sicuti datur in oppido vulgo *di Farnese* intra Dioecesis Aquipendiensis limites, ut in Dubio isque est s. Isidorus Agricola. Iam loci alicujus Patronus Sanctus vere et proprie ille talis est, qui sive perpetuo usu ac majorum traditione, sive legittima electione, ac legibus in hac electione servatis, uti peculiaris apud Deum intercessor propriusque suffragator ab universo loci illius clero et populo colitur et observatur: quae Patroni definitio ab omnibus communiter admittitur Liturgicis auctoribus, aliquid si excipiatur, quod illius substantiae non officit. S. Isidorus Agricola, memorati oppidi juxta leges statutas et juxta Decretum Urbani VIII super electione Sanctorum in Patronos editum, peculiaris Patronus electus est, et ab Apostolica sede confirmatus. Cum talis sit, illius Festum ab oppidanis celebrari debet, convenit enim ipsi uti praecipuo Patrono illius Festi celebratio prae festo Sanctissimi Salvatoris, sub cujus titulo erecta est Ecclesia Matrix; tum quia plus habendus est loci quam Ecclesiae Patronus, plus enim habendus est totus loci alicujus Clerus et Populus, quam peculiaris Ecclesia, tum quia Festum Patroni loci ex praecipuis est et primariis loci ejusdem Festivitatibus, adeoque illius Festum retinendum est, et cum ea praecedentia et majori solemnitate quae ei debetur. Hoc quidem consonum est Decreto alias dato in *Calaguritana die* 28. *septembris an.* 1656. *in quo dicitur Festum Patroni principalis Civitatis . . . at ubi colitur festum peculiaris Patroni, nihil de Patrono Civitatis,* ex quo eruitur nihil etiam de Patrono Ecclesiae Matricis. Certis itaque innixa rationibus S. R. C. per negativam responsionem ad primum dubium ab obligatione solvit oppidanos vulgo *di Farnese* celebrandi sub praecepto Festum Dedicationis Sanctissimi Salvatoris, quod occurrit die nona Novembris.

His accedit quod, ut ex responsione ad secundum patet, (per quam etiam ipsum secundum dubium solutum manet,) Festum Titularis memoratae Ecclesiae Matricis haud quidem illud est verum et proprium quod praedicta die 9. Novembris celebratur, scilicet De-

Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, re mature perpensa, ad relationem infrascripti Secretarii, rescribendum censuerunt: *Detur Decretum Nullius diei* 23. *Martii* 1686. *in quo praescribitur; Altaria, de quibus supra, consecrari debere.*

Atque ita rescripserunt. Die 23. Maji 1835.

4591. COMPOSTELLANA.

Reverendissimus hodiernus Compostellan. Archiepiscopus Sacrorum Rituum Congregationem supplex adivit, declarationem consecuturus quoad sequens Dubium, nimirum: An Canonici Cathedralis teneantur assistentiam praestare Episcopo extra Cathedralem ipsam Sacras Ordinationes facienti?

Eminentissimi itaque ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum sub infrascripta die habitis, audita relatione a me Secretario facta, perpendentes alias ab hac Sacra Congregatione decretum fuisse, Canonicos Cathedralis teneri ad assistentiam Episcopo praestandam tam intra, quam extra Cathedralem, atque etiam privatim Ordinationes peragenti, rescribendum censuerunt: *Serventur Decreta in una Veliternen. diei* 6. *Septembris* 1698., *in Grossetana diei* 16. *Septembris* 1645. *ac Civitatis Ducalis diei* 7. *Decembris* 1698. *nec non Coeremoniale Episcoporum*: Die 23. Maji 1835.

4592. COMPOSTELLANA.

Quum Canonici Cathedralis Compostellanae renuant associare Reverendissimum Archiepiscopum ab Aula ad Ecclesiam, uti praescribitur in Coeremoniali Episcoporum, dum Pontificalia peragere debet, Reverendissimus idem Archiepiscopus opportunam in re declarationem ab Sacrorum hac Rituum Congregatione expostulavit humillime. Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum sub infrascripta diei coadunata in Ordinario Coetu rescribendum censuit: *Servetur dispositio Coeremonialis lib. I. cap. XX. et detur Decretum in Turritana diei* 26. *Aprilis* 1704.

Atque ita rescripsit, servarique mandavit: Die 23. Maji 1835.

4593. GRATIANOPOLITANA.

Reverendissimus hodiernus Episcopus Gratianopolitanus quum inter cetera

dicationis Ecclesiae Sanctissimi Salvatoris, cum hac die prima peracta fuerit Ecclesiae consecratio, et haec ipsa in nova illius consecratione *pro illius* anniversario assignata, sed illud quod celebratur die 6. Augusti Transfigurationis nempe D. N. J. C. quemadmodum decretum fuit *in una Vernien. die* 29. *Novembris* 1775. Hoc idem declaratum confirmatumque fuit per Decretum Urbis datum die 6. Augusti anni 1831. quo dicitur quod Festum Transfigurationis D. N. J. C. in Archibasilica Lateranensi occurrens octavo Idus Augusti *ceu Titularis* fuerit hactenus celebratum, quo quidem die, idcirco Sanctissimus D. N. Gregorius Papa XVI (quem Deus sospitem ad annos plurimos servet) idem Festum Transfigurationis celebrandum aliis etiam in locis concessit, et eo ritu qui Titularibus convenit et juxta constitutionem sa. me. Urbani VIII. super observantia Festorum. Sive igitur attendatur jus praecipui loci Patroni, sive verus Ecclesiae matricis titulus, non tenentur oppidani vulgo *di Farnese* Festivum sub praecepto celebrare diem nonam Novembris seu Festum Dedicationis Sanctissimi Salvatoris adeoque servandum est Decretum S. R. C.

Pastoralia munia et illud expleat, consecrandi nimirum suae Dioecesis Ecclesias, nonnullas in consecrationibus perficiendis invenit difficultates quoad recitationem Horarum Canonicarum illa occasione faciendam. Difficultates hujusmodi insimul complectens, duo sequentia Dubia Sacrorum Rituum Congregationi discutienda proposuit, nimirum

1. Officium Dedicationis Ecclesiae particularis, quod ritu annuali cum Octava celebratur, debet ne tam privatim, quam publice inchoari a primis Vesperis pridie dedicationis cum Matutino ejusdem Festi, vel incipere tantum consecratione Ecclesiae facta, id est circum circiter ad Horas minores?

2. Pontificale Romanum expresse innuit quod pridie dedicationis Ecclesiae Matutinum cum Laudibus canendum sit (ac proinde recitandum pro privatim dicentibus) de Sanctis, quorum Reliquiae reconduntur in vase ante fores Ecclesiae posito. Illud Officium obligat ne sub gravi? Numquid eo die duplex Matutinum recitandum est unum de Sanctis, alterum de Dedicatione?

Hujusmodi Dubiis per infrascriptum Secretarium relatis in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, rescribendum censuerunt.

Ad 1. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, et a Clero tantum servitio Ecclesiae strictim addicto.*

Ad 2. *Officium de Dedicatione: Vigiliae juxta Pontificale ante Reliquias, de Sanctis.*

Atque ita rescripserunt, ac servandum mandarunt (a). Die 23. Maji 1835.

(a) Ritus reponendi Sanctorum Reliquias in altari consecrando vetustissimus est, et originem suam ducit ab ipsis Ecclesiae primordiis cum super martyrum sepulchra erigebantur Altaria, et super his Sacrum peragebatur. De hoc ritu loquuntur quamplurimi tum antiqui tum recentiores libri Pontificales, codices MS., Ordines Romani, veteres Ecclesiae Patres, et omnes fere Liturgici auctores qui quidem ritus ad illa Apocalypsis verba referri videtur: *Vidi sub Altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei*. Hoc autem valde est uniforme S. Augustini verbis ex quibus eruitur congruum esse Sanctorum martyrum reliquias in Altari reponere, ita enim ipse loquitur Sermone 37: *Convenienter autem, et quasi pro quodam consortio ibi martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur; scilicet, ut qui propter mortem ejus mortui fuerunt sub sacramento ejus mysterio requiescant.* Hinc est, quod reliquiae Sanctorum quae reponuntur, Martyrum esse debent, et plurium, et solum permittitur ut cum his Sanctorum Confessorum reliquiae uniantur, illorum praesertim in quorum honorem vel Ecclesiae vel Altaria dedicantur, plurium autem Sanctorum reliquiae ponendae sunt, ut verba Sacerdotis in prima Altaris deosculatione verificentur, *quorum reliquiae hic sunt*, sicuti etiam pars aliqua corporum reponenda est, non vestes aut quidquid aliud hujusmodi.

Quemadmodum vetustissimus est memoratus ritus, ita pariter ab ipsa antiquitate in more erat ut hae Sanctorum reliquiae pridie vel Ecclesiae vel Altaris consecrationem sub papilionibus apposite paratis vel in aliqua proximiori Ecclesia ponerentur, et coram eisdem reliquiis sequenti die in Altari recondendis, vigiliae pie religioseque agerentur. In multis Pontificalibus, primus qui occurrit ritus pro Ecclesiarum dedicatione est denunciatio Sanctorum martyrum reliquiarum in Al-

Ad removendam quamcumque dubitationem circa cultum praestandum Sanctissimae Crucis Ligno Fidelium venerationi exposito, hodiernus Vicarius

tari reponendarum ab Episcopo facienda, et vigiliarum *tota nocte* coram illis peragendarum. Non inopportunum videtur nonnulla hic referre. In Pontificali MS. Egberti Archiepiscopi Eboracensis anni CM. enunciata prius repositione reliquiarum haec scripta reperiuntur. – Inde vero pridie quam consecretur Ecclesia providendae sunt Reliquiae ab Episcopo et ponendae in tali loco, ac tota nocte cum hymnis et laudibus atque luminaribus sint, usquequo exinde levandae, et ad locum *ubi condendae sunt, deducantur.* – Hunc ipsum ritum memorat Pontificale MS. Ecclesiae Cadurcensis. *Ponuntur reliquiae in feretro compositae in altera Ecclesia pridie quam nova Ecclesia consecretur et fiunt ibi vigiliae in ipsa nocte in honorem Sanctorum, quorum reliquiae condendae sunt.* Eadem Ecclesiae praxis erat seculo IV circa has vigilias, uti discimus ex S. Ambrosio, qui epistola 22 ad Marcellinam Sororem ita scribit (de Basilicae Ambrosianae dedicatione) *Qui multa, condivimus integra ad ordinem. Transtulimus vespere jam incumbente ad Basilicam Faustae, ibi vigiliae tota nocte, manus impositio, sequenti die transtulimus ea in Basilicam quam appellant Ambrosianam.* De hoc ritu multa habet S. Gregorius Episcopus Turonensis, narrat enim ipse lib. *de gloria martyrum* cap. XXXVI, quod ipse dedicaturus Ecclesiam S. Juliani pridie ejusdem Sancti reliquias incipiente nocte in Basilicam S. Martini detulit, *ubi*, inquit, *depositis super altare sacrosanctis reliquiis, vigilata nocte cum grandi psalterio*, sequenti die in praedictam Ecclesiam transtulit. De his vigiliis habitis coram sacris reliquiis nocte praecedente diem Consecrationis multa habet Rhabanus Maurus, sed unum tantum adducitur testimonium ex multis, quod vetustatem simul ritus comprobat, et originem ostendit, quam a veteri lege manare asserit: *Quod in dedicatione Templi*, inquit, *in nocte praecedente diem dedicationis Reliquiae Sanctorum feretro conditae, in tentorio vigiliis custodiuntur, quid aliud demonstrat quam quod arca Testamenti cum sanctis, quae in ea erant in Tabernaculo mosaico ante dedicationem Templi per excubias Levitarum servabantur?*

His omnibus consonant verba Pontificalis Romani de Ecclesiae dedicatione §. IV. praecipitur enim quod celebrandae sunt vigiliae ante reliquias ipsas *(eas nempe quae positae sunt in decenti, et mundo vasculo.)* Hae autem vigiliae, ut ex adductis huc usque patet, *in honorem Sanctorum* fieri debent, quorum reliquiae recondendae sunt in Altari, quae die praecedenti in vase inclusae in aliqua proximiori Ecclesia, vel oratorio, vel sub papilione apposite parato et ornato inter luminaria exponuntur. Laudes itaque, hymni, et quidquid aliud ante reliquias vel recitatur vel etiam canitur in his vigiliis ad ipsorum Sanctorum honorem recitari, aut cani debet, ut clarissime patet. Hae insuper vigiliae perdurare debent usque dum tempus advenerit, quo levandae sunt et in altari praescriptis ritibus et caeremoniis recondendae: quid enim aliud ostendunt, quae leguntur in allatis testimoniis et auctoritatibus, nempe *tota nocte; per totam noctem, vigilata nocte* etc.? Falsa itaque quorumdam opinio qui asserunt non esse stricte praeceptum ut per totam noctem vigiliae agantur, sed sufficere ut nocturni tantum officii de Sanctis quorum reliquiae exponuntur, recitentur,

Generalis Lucionen. Dioecesis Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia discutienda proposuit.

1. An Coeremoniae in Missa coram Sacrae Crucis Ligno palam exposito differant ab iis, quae in Missa coram Sanctissimo Sacramento adhibentur.

et per *vigilias, nocturni* hoc loco intelligantur, eo quod *nocturni vigiliarum* nomine appellentur. Hoc quis nesciat, at unde hanc hauserunt opinionem? non ex antiquitate, non ex Pontificalibus libris, non ex praxi tum vetustissima tum praesenti, et si in nostro Pontificali Rom. non expresse dicitur vigilias per totam noctem esse agendas, non inde sequitur sufficere aliquos nocturnos tantum recitari : Pontificale enim quandoque solum innuit quid faciendum generice sit, quin ab antiqua semper retenta et universali praxi recedat, nec verisimile est, ut cum in honorem Sanctorum vigilias agendas praecipit, sine honore eorum reliquias relinqui permittat; hoc autem sequeretur, si satis esset nocturnos tantum recitare, quod absurdum est, et intentioni Ecclesiae penitus adversatur. Relinquat igitur, quisquis is sit qui hanc opinionem forte tenet, quae novitatem redolet.

Insuper, si vigiliae in honorem Sanctorum, quorum Reliquiae sunt in Altari recondendae celebrandae sunt, ut expresse dicitur a Pontificali, jam de officio Dedicationis nihil est agendum, quia haec reliquiarum expositio ante quas vigiliae sunt agendae, est quaedam solummodo remota praeparatio alicujus peculiaris ritus in Ecclesiae dedicatione vel altaris consecratione servandi, non autem est ipsa Ecclesiae dedicatio, et per Reliquiarum expositionem, ne dum ea incepit, nisi enim prius super Ecclesiam dedicandam ab Episcopo consecrante aspersiones, unctiones, orationes, aliique omnes ritus qui praescribuntur a Pontificali adhibeantur minime consecrata Ecclesia censeri debet; cum illius consecratio ab hujusmodi actionibus omnino pendeat, ac proinde officium consecrationis jam peractae, antequam peragatur, et per statutas actiones et ritus perficiatur, nequit celebrari. Si quidem si pridie recitari vellet officium Dedicationis, vera non essent, quae vel in officio, vel in missa leguntur, quibus Ecclesiam divinis cultibus sacrisque mysteriis dedicatam esse asseritur, ac falso diceretur *locum illum factum esse inaestimabile Sacramentum* ( ut in Graduali in Dedicatione Eccl. ) *terribilem esse locum quia domus Dei est*, (per ritus nempe et caeremonias talis effectus est) ut in Introitu dicitur; et falso pariter diceretur a celebrante ipso consecrationis die in oratione post communionem *quem nomini tuo indigni dedicavimus*; quod alienum esset a veritate, et divino honori repugnans. Neque arridet Halden et Guyeti sententia, quam exemplo ab hymno Sancti confessoris desumpto tuentur in quo dicitur *hac die laetus*. Hoc enim respicit Sancti alicujus mortem jam sequutam, cujus memoria ecclesiastico ritu a primis vesperis celebratur, non vero de re non existente, qualis in casu est ecclesiae dedicatio nondum expleta. Ex Rubrica vero Breviarii FF. Ordinis Praedicatorum quam in auxilium suae sententiae proferunt, nihil in re nostra praesenti concludi posse videtur, quia sanctio particularis vel usus apud illos Fratres receptus, ad universalem Ecclesiam nequit extendi.

Demum si in vigiliis ante Reliquias agendis officium dedicationis dicendum esse quis contenderet, adversaretur Decreto S. R. C. die 9. Julii 1780. edit. quo sancitum fuit, *inchoandum esse officium finita consecratione*. In eodem autem Decreto ad 5. dubium statutum pariter fuit a S. R. C. *Ve-*

2. Coram Sanctissimo Sacramento palam exposito omnes in Choro stant nudo capite, nec transeunt ante medium Altare, quin genua flectant: an idem observari debeat coram Ligno Sanctae Crucis palam exposito?

3. Quum in hac Dioecesi sicut in bene multis Galliarum Dioecesibus Sacerdos benedicendo Populum cum Sanctissimo Sacramento dicat cum cantu verba: *Benedicat vos omnipotens Deus Pater* etc. an possit aut debeat idem ritus servari etiam in benedictione cum Ligno Sanctissimae Crucis?

Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, audita relatione ab me infrascripto Secretario facta, rescribendum censuerunt.

Ad 1. *Affirmative, et solum est genuflectendum in accessu, et recessu, et quoties transit ante medium Altaris, seu a latere ad latus, ut in incensatione.*

Ad 2. *Negative ad utrumque, sed tantum unico genu in transitu.*

Ad 3. *Non licere juxta Decretum in una Caputaquen. diei* 9. *Februarii* 1762.

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt. Die 23. Maji 1835.

4595. MEXICANA.

Quum in Mexicanae Dioecesis Ecclesiis solemnis expositio Sanctissimi Sacramenti Quadraginta Horarum quatuor complectatur dies, dubitari assolet in qua ex duabus integris diebus celebrari debeat Missa votiva solemnis pro Pace, ad quam quidem dubitationem eliminandam Sacrorum Rituum Congregationi supplicatum est pro opportuna declaratione. Eminentissimi itaque ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi animadvertentes in In-

*speras, matutinum, laudes, et horas consecrationem praecedentes recitandas esse vel de feria vel de Sancto prout descriptum fuerit in Ordinario.* Quando itaque incipiendum erit officium dedicationis ipsa consecrationis die? Clarissime patet ex adducto Decreto: non ante consecrationem, sed consecratione peracta et completa. Officium itaque inchoari debet ab illa hora in qua consecrationis actio perfecta jam est. Qua hora inchoandum revera sit in Decreto non indicatur, sed si Rubricarum regulas parumper velimus perpendere ab ipsa Pontificalis Rubrica desumere facile poterimus. Nam cum Episcopus consecrator peracta consecratione teneatur celebrare solemniter Missam de ipsa consecratione, vel si nimis sit defatigatus per alium Sacerdotem solemniter celebrare facere *(Rub. Pontifical. in Dedic. Eccl. sub fine)* cum juxta caeremoniale Episcoporum missam ab Episcopo solemniter celebratam praecedere debeat cantus alicujus horae canonicae; cum Rubrica missalis *(tit. de hora celebrandi missam)* diebus duplicibus et festivis definiat celebrandam esse post horam Tertiam, cum denique officium dedicationis festivum sit, non feriale, ac proinde ex ipsa Rubrica missa post Tertiam debeat celebrari, sponte sequitur officium dedicationis ab hora Tertia esse incipiendum, illudque debito ritu per sequentem octavam prosequendum esse, sed ab iis tantum de clero, qui Ecclesiae illi sunt addicti, neque totus loci clerus ad duo officia recitanda tenetur, nam in casu hoc officium non ex iis est quae a toto clero juxta Rubricas sunt persolvenda, ut in die omnium Sanctorum in Vesperis, et secunda die Novembris ad Matutinum et Laudes.

structione Clementina quoad hujusmodi expositionem §. XIII. nil sancitum fuisse pro qualitate hujusmodi Missae votivae, ibidemque praescriptum fuisse Missam pro Pace celebrandam donec aliter Summus Pontifex constituat; probe senserunt in Dioecesibus ab Ordinariis Locorum constituendum quae, et quando Missa votiva tali occasione celebrari debeat, ac proinde in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, audita relatione ab infrascripto Secretario facta ad propositam quaestionem Dioecesis Mexicanae respondendum censuerunt: *Arbitrio Episcopi quoad qualitatem Missae votivae, et assignationem diei vel secundae, vel tertiae.*

Atque ita rescripserunt. Die 23. Maii 1835.

4596. SANCTI MINIATI.

Quarto Idus Januarii 1801. sa. me. Pius Papa VII. pro Clero Saeculari, et Regulari Magni Ducatus Etruriae peculiare quum adprobaverit Officium in honorem Beatae Mariae Virginis titulo Divini Pastoris Matris ritu duplicis majoris quotannis persolven. Dominica prima Mensis Maji non impedita Officio superioris ritus, aut dignitatis; quumque eodem anno 1801. Senis idem Officium typis fuerit cusum, in calce hujus edictionis monita nonnulla reperiuntur, in quibus inter cetera et illud invenitur, quod si prima Dominica Mensis Maji fuerit impedita, Officium hujusmodi transferri debeat ad secundam, vel tertiam non impeditam. Quod si omnes Dominicas Mensis Maji aliquando impeditas inveniri occurrat, tunc a prima Dominica Maji transferendum erit ad primam diem liberam juxta Rubricas, et in hoc postremo casu Octava Lectio dimidietur. Sanctionis hujusmodi regulam a Sacra Rituum Congregatione autumant die 25. Julii ejusdem anni 1801. super hoc Officio requisita datam fuisse. Attamen hac super declaratione dubitari inceptum est, an fuerit authentica, praesertim in Dioecesi Sancti Miniati, proindeque Canonicus Pro-Poenitentiarius, Sede illa Episcopali vacante, Sacrorum Rituum Congregationem supplex adivit, ac declarari expetiit:

1. An supradicta declaratio Sacrorum Rituum Congregationis diei 25. Julii 1801. habenda sit ut authentica, et pro cunctis Etruriae Dioecesibus obligatoria? Et quatenus negative

2. An in Dioecesi Sancti Miniati, quae ab anno 1818. inclusive, usque ad annum 1832. (quo ultimus Episcopus obiit) bona fide, exemplum sectando aliarum Etruriae Dioecesuum, se conformavit regulae in praefata delaratione contentae, quoad translationem Festi Beatae Mariae Virginis Divinis Pastoris Matris, eadem regula in posterum servari debeat?

Et Eminentissimi, ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, coadunati, re mature perpensa, diligentique examini subjecta, audita fideli relatione ab me infrascripto Secretario facta; rescribendum censuerunt.

Ad 1. *Non reperitur in Regestis Secretariae Congregationis Sacrorum Rituum.*

Ad 2. *Dentur Decreta in Cusentina diei* 10. *Julii* 1677. *in Lycien. diei* 25. *Septembris* 1688. *et in una ordinis Carmelitarum Excalceatorum Provinciae Poloniae diei* 29. *Januarii* 1752. *in quibus generaliter praescribitur, quod Officia affixa certis diebus, eo anno impeditis, sint omittenda.*

Atque ita rescripserunt, ac in proposito casu servari mandarunt. Die 23. Maji 1835.

praecipitur, aut convenit nonam Lectionem Festi jungi octavae, puta quum nona Lectio continet laudem propriam Sancti, vel Sanctorum, de quibus fit Officium, ut in Officio Sancti Joseph, Septem Fratrum, Sanctorum Martyrum Nerei, Achillei etc. et in similibus?

7. An recurrente die anniversaria consecrationis Episcopi facienda est a Sacerdotibus omnibus per totam Dioecesim, vel solum in Cathedrali, commemoratio ejusdem Consecrationis in Missa?

8. Si Sanctus Joannes Cantius non habeat secundas Vesperas integras, an Hymnus harum Vesperarum anticipandus est in Laudibus? 2. Si contingant Festa Sancti Venantii die XVIII. Maji, et Sanctae Julianae Falconieri die XIX. Junii ita tranferri, ut habeant secundas Vesperas integras, an Hymnus proprius primarum Vesperarum repetendus est in secundis Vesperis?

9. In concursu diei octavae Ascensionis Domini cum Festo Beatae Mariae Virginis titulo Auxilium Christianorum die XXIV. Maji totum fit de praecedenti et commemoratio sequentis, quomodo autem concludendus est Hymnus Completorii?

10. An Clerici, qui obligantur ad Horas Canonicas teneantur recitare Officia Votiva v. g. Sanctissimi Sacramenti, quod ex concessione sa. me. Clementis Papae XI. fieri potest Feria quinta non impedita etc., et Officium Conceptionis Beatae Mariae Virginis Sabbato non impedito etc. si jussu Ordinarii apponantur in Kalendario his diebus non impeditis? Quatenus negative, an tenentur se conformare huic Officio, si sit duplex, ut Officium Conceptionis pro Missa, et colore paramentorum, sive illud recitaverint, sive non?

11. Officium Sancti Angeli Custodis cum Octava concessum pro omnibus ditionibus subjectis Romanorum Imperatori celebrandum est Dominica prima Septembris an vero Dominica prima juxta computum Civilem? In Officio Feriae secundae infra Octavam dicitur in primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente sumendas esse ex Dominica prima Septembris, quia pridie non sunt lectae, et in Dominica secunda non datur initium libri, inde videtur Dominicam primam Septembris juxta computum Ecclesiasticum sumendam esse, et haec est praxis Belgii: an legitima? Ratio dubitandi est, quod Festum Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis celebrandum sit Dominica tertia Septembris, et Solemnitas Rosarii Dominica prima Octobris juxta computum Civilem, non vero Ecclesiasticum.

12. Si 1. in Feriis Rogationum fiat de Festo duplici vel semiduplici, et una tantum Missa celebretur, et quidem post Processionem, an debet esse de Festo occurrente, saltem si sit duplex? 2. An responsum affirmativum, vel negativum applicandum erit Festo Sancti Marci Evangelistae?

13. De XVIII. Decembris in Festo Expectationis Partus Beatae Mariae Virginis finis est hymnorum – Virtus, honor, laus, gloria etc. an, ut legitur in Breviariis Lodii, et Antuerpiae impressis, excipiendus est Hymnus Matutini – Verbum supernum prodiens?

14. In Belgio, sicuti in Gallia vi reductionis Festorum factae auctoritate sa. me. Pii Papa VII. plura sunt Festa, quorum solemnitas transfertur in Dominicam proxime occurrentem. Exinde plurimae exortae sunt difficultates ad praxim, pro quarum solutione, quaeritur 1. An Missa canenda sit more votivo cum unica Oratione in Dominica, quando Festum, cujus solemnitas tranferenda praescribitur incidit in ipsam Dominicam v. g. anno praeterito

Sanctorum Petri, et Pauli? 2. An commemoratio omnium Sanctorum Apostolorum, facienda in solemnitate Sanctorum Petri et Pauli, habeat locum in die festivitatis, vel in Dominica in quam Solemnitas transfertur, vel in utraque? 3. Idem quaeritur quoad Parochias, quarum Sanctus Stephanus est Patronus, de commemoratione omnium Sanctorum Martyrum in ipsius Festivitate praescripta? 4. Ex instructione data Parisiis die 11. Decembris 1306. a Cardinale Legato a Latere, sola solemnitas praefatorum Festorum differtur in Dominicam subsequentem, in qua Officium quidem a Clero tam publice, quam privatim, et Missa recitabatur juxta Rubricas occurrentes, seu juxta consuetum ordinem, canetur tamen una Missa Solemnis de Festis illis more votivo cum unica Oratione: an autem Officium etiam Vespertinum Dominicae occurrentis, si fiat de ea, cantandum est solemniter, seu cum pompa, servato tamen ritu semiduplici ratione solemnitatis translatae? 5. In reductione Festorum Pius Papa VII. eam legem adjunctam esse voluit, ut « in festis diebus, vigiliisque eas praecedentibus, quae suppressae decernuntur, in omnibus Ecclesiis de consueto Divinorum Officiorum, sacrarumque coeremoniarum ordine, ac ritu nihil innovetur, sed omnia ea prorsus ratione peragantur, qua hactenus consueverunt, die 9. Aprilis 1802. » An igitur in Festis, quorum solemnitas differtur in occorrentem proximam Dominicam Officium publicum tam matutinum, quam vespertinum peragendum est sicut ante reductionem? 6. An licet cantare Missam de Requiem praesente Corpore in Dominicis in quas transfertur solemnitas illorum Festorum primae Classis? An illud licet in ipso die festivitatis? 7. An indulgentiae concessae festis primae classis, quorum solemnitas transfertur, ut supra, cadunt in ipsam solemnitatem, vel in festivitatem? 8. Nonnullis festis, quorum solemnitas differtur in Dominicam sequentem interdicuntur Sacra in Sacellis domesticis, quaeritur an illud interdictum intelligendum sit de die festivitatis, vel de Dominica, in qua fit solemnitas? 9. Si in unam eamdemque Dominicam incidat solemnitas translata v. g. Sanctorum Petri, et Pauli, et Patroni Dioecesis, vel Parochiae, equidem celebranda erit dignior, an altera tranferenda sit in ipsam Dominicam, quae si fuerit impedita an adhuc in aliam? Si Dominica ad quam juxta Indultum praefatum transferenda esset solemnitas, sit dies propria Sancti Joannis Baptistae, an solemnitas Patroni, transferenda erit ad Dominicam impeditam, quum festum Sancti Joannis sit ejusdem ritus, nec tranferri possit, duplex solemnitas primae Classis eadem die in una Ecclesia peragatur. Dicitur sequens responsum ab Eminentissimo Cardinale Caprara pro tempore Legato a Latere datum fuisse Dubiis propositis a Cambiarensi Episcopo 1. « Si in unam, eamdemque Dominicam incidat solemnitas translata tum Anniversarii dedicationis, tum Patroni, ea solemnitas celebranda erit de digniori, scilicet de dedicatione, translato minus digno, id est Festo Patroni ad primam Dominicam non impeditam juxta Rubricas. » 2. « Si Dominica ad quam juxta Indultum reductionis Festorum diei 9. Aprilis 1802. transferenda esset solemnitas Patroni sit dies propria Sancti Joannis Baptistae tunc solemnitas Patroni transferenda erit ad primam Dominicam non impeditam juxta Rubricas, ne scilicet (quum Festum Sancti Joannis Baptistae sit ejusdem ritus, nec transferri possit) duplex solemnitas primae Classis eadem die in una Ecclesia peragatur. » An praefatum responsum sit? est authenticum, et applicandum similibus casibus?

15. An est authenticum Decretum sequens: « Dies tertia Februarii non » potest assignari alicui Sancto duplici, vel semiduplici semper translato pro » ejus certa, et perpetua sede » die 9. Augusti 1681. Et quatenus affirmative, an transferendum in aliam diem Festum Sancti Raymundi de Pennafort, quod ratione Desponsationis Beatae Mariae Virginis in his regionibus fuit sive bene, sive male fixum in die tertia Februarii?

Et Eminentissimi, ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunati, percepta relatione ab me infrascripto Secretario facta, rescribendum censuerunt.

Ad 1. *quaest.* 1. *In casu Collecta erit sequens* – Ne despicias – num. 13. posita: *quaest.* 2. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam: quaest.* 3. *Detur Decretum Regni Hispaniarum diei* 15. *Maji* 1819. *nimirum: Negative in duplicibus primae Classis, ut alias responsum fuit: quoad duplicia vero secundae Classis ad libitum Celebrantis legi, vel omitti poterit Collecta imperata in Missis privatis tantum; in Conventuali, et Solemni omittenda: quaest.* 4. *Diebus a Rubrica praescriptis secundo loco etiam in Missa Conventuali juxta Rubricas: in Missis privatis quando est semiduplex, vel simplex ad libitum Sacerdotis pro aliquo Defuncto penultimo loco ante Collectas juxta recensitum Decretum Sanminiaten. die* 2. *Decembris* 1684.

Ad 2. *Standum Kalendario.*

Ad 3. *Affirmative juxta Decretum in Einsilden. diei* 5. *Maji* 1736.

Ad 4. *Regula in casu desumatur ex Lectionibus III. Nocturni.*

Ad 5. *Affirmative.*

Ad 6. *Debere jungi si sint historicae, secus convenientius posse.*

Ad 7. *Juxta praxim, et Decretum in Portugallen. die* 17. *Septembris* 1785. *per universam Dioecesim in omnibus Missis, praeterquam in Solemni dicenda in Cathedrali, et Collegiatis Ecclesiis, in quibus post Nonam dicenda est Missa cantata ejusdem Anniversarii.*

Ad 8. *Affirmative in omnibus.*

Ad 9. *Cum Stropha Hymni Ascensionis.*

Ad 10. *Si constet de Indulto speciali Apostolico affirmative ad primam partem, ad secundam juxta alia sancita posse, sed non teneri.*

Ad 11. *Juxta computum Civilem, sed in casu servari posse consuetudinem.*

Ad 12. *In utroque casu de Feria Rogationum.*

Ad 13. *Negative.*

Ad 14. *quaest.* 1. *Negative: quaest.* 2. *In die Festi: quaest.* 3. *Ut ad proximum: quaest.* 4. *Posse: quaest.* 5. *Affirmative: quaest.* 6. *Servetur Rubrica sicut ante reductionem Festorum, et extendatur etiam ad Dominicam: quaest.* 7. *Recurrat ad Sacram Congregationem Indulgentiarum: quaest.* 8. *In die festi: quaest.* 9. *Affirmative: quaest.* 10. *Juxta Instructionem a Cardinale Legato a latere Episcopo Camberiensi datam.*

Ad 15. *Affirmative in omnibus.*

Atque ita rescripserunt, ac servari mandarunt. Die 23. Maji 1835.

4598. ORDINIS EREMITARUM SANCTI AUGUSTINI.

Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit R. P. Fr. Jacobus Spratt Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, hodiernus Prior Collegii Sanctae Mariae in Posterula Urbis, nimirum

1. Quando in Missa vel Officio dicuntur plures Orationes sub unica con-

clusione, et in prima Oratione, vel secunda, non autem in ultima nominatur Spiritus Sanctus, quaeritur an in conclusione dici debet: in unitate ejusdem Spiritus Sancti etc.?

2. An idem dicendum – Per eumdem Dominum nostrum – quoties Filius non in ultima Oratione, sed in aliqua ex praecedentibus tantum fuerit nominatus?

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die habito, audita relatione ab infrascripto Secretario facta respondendum censuerunt: *Negative ad utrumque.* Die 23. Maji 1835.

4599. ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM PROVINCIAE HELVETIAE.

Sacrorum Rituum Congregationem supplex adivit R. P. Fr. Isidorus a Valesia Sacerdos Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum Provinciae Helvetiae, ac insequentia Dubia declarari expetiit, nimirum.

1. An consuetudo benedicendi Populum cum Sacra Pixide quoties Eucharistia distribuitur, sit servanda, vel potius, an benedicendus sit populus manu dextera tantum, uti habetur in Rituali Romano, et in una Urbinaten. diei 16. Januarii 1793?

2. Et quatenus affirmative ad primam partem, an tunc dicendum sit: *Benedicat vos* etc.

3. An servanda sit consuetudo dandi benedictionem cum Ostensorio quando cantatur versus – *sit et benedictio* – vel potius, an impertienda tantum sit benedictio, expletis Hymno, et Oratione, uti habetur in Rituali Romano, Ceremoniali Episcoporum, atque decrevit S. R. C. in Sabinen. die 5. Februarii 1639. et in Caputaquen, die 9. Februarii 1762?

4. An consuetudo in Expositionibus minus solemnibus in throno collocandi Sacram Pixidem, et deinde cum ea benedicendi Populum possit licite observari, non obstantibus Ecclesiae proibitionibus toties renovatis?

5. An consuetudo dicendi in Communione Fidelium: *Ecce Agnus Dei* et *Domine non sum dignus* idiomate vulgari sit sustinenda, vel potius eliminanda utpote contraria Rituali, et Missali Romano?

6. An praesente Cadavere liceat celebrare Missam privatam de Requiem in Ecclesiis ruralibus, et aliis, ubi Missa non solet cantari, diebus, quibus permittitur unica Missa Solemnis de Requiem, praesente Cadavere?

7. An Sabbato Sancto celebrata Missa Solemni de die, liceat alteram Missam Solemnem de Requiem celebrare, praesente Cadavere?

8. An in Responsorio: *Libera me Domine:* Officii Defunctorum possint, vel debeant repeti verba: *Dum veneris*: dicto jam V. *Tremens*: vel an sint omittenda? Et quatenus affirmative, an idem servandum quoties in Officio Divino similis occurrit repetitio?

9. An formulae benedictionum, quae inveniuntur in Libris ab Ordinariis tantum locorum, et non ab Apostolica Sede approbatis, retinendae sint, adeo ut in benedictionibus perficiendis iisdem uti valeant Sacerdotes Cotta, et Stola induti?

10. Licet ne cum Cotta, et similibus benedictionum formulis, vel aliis ab Rituali vel Messali deprom ptis benedicere, et privatim exorcizare notorie haereticos, vel protestantes ad Sacerdotes accedentes, et id enixe efflagi-

tantes, ut liberentur a variis languoribus quibus opprimuntur? Notum est tales benedictiones ipsis quoad corpus, et alia temporalia proficuas fuisse, et plerumque esse. Verum ratio dubii est, quod in praefatis formulis plerumque dicatur quod credant, et confidant in Deum, Sanctorum protectionem etc. quum tamen notorium sit ipsos veram Fidem Catholicam non habere.

11. In quibusdam Parochiis ad arcendas inundationes fluviorum Processio instituitur, et quum perventum fuerit ad ripam fluminis seligitur lapillus, qui immergitur in Cereo Paschali liquefacto; deinde accipitur a Sacerdote functiones sacras peragente, et ab eodem projicitur in torrentem: alibi quaedam guttulae liquefacti Cerei Paschalis effunduntur in flumen ad ejus tumescentiam compescendam: quaeritur idcirco an hae, vel similes praxes possint licite observari, quamvis videantur superstitiosae, et ridiculae?

Hujusmodi Dubiis ab infrascripto Secretario relatis in Ordinariis S. R. C. Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, omnibus mature perpensis, et consideratis, rescribendum censuerunt

Ad 1. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam juxta Rituale Romanum, et Decretum Urbinaten. diei* 16. *Januarii* 1793.

Ad 2. *Jam provisum in primo.*

Ad 3. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad 4. *Non esse locum.*

Ad 5. *Consuetudinem esse eliminandam.*

Ad 6. *Juxta alias decreta non licere.*

Ad 7. *Negative.*

Ad 8. *Dici debere.*

Ad 9. *Detur decretum in Ariminen. diei* 7. *Aprilis* 1832. *ad Dubium V. nec aliae adhibeantur; dummodo non constet ab hac Sacra Congregatione fuisse adprobatas.*

Ad 10. *Recurrat ad Sacram Inquisitionem.*

Ad 11. *Ut ad proximum.*

Atque ita Sacra Congregatio propositis Dubiis respondendum censuit, eaque declaravit. Die 23. Maji 1835.

4600. ORDINIS MINORUM REFORMATORUM SANCTI FRANCISCI.

Ut uniformitas servaretur in Divinis persolvendis Laudibus sancitum est ab hac Sacra Rituum Congregatione ut uno, eodemque die, nimirum quarto Nonas Julii, Officium institueretur Dedicationis omnium Ecclesiarum trium Ordinum Sancti Francisci. Ast quum in Ordine Divini Officii reperiatur adnotatio quaedam, nimirum in Secreta Missae omittenda esse verba inter parenthesim comprehensa quoties Ecclesia aliqua non sit consecrata; hinc hodiernus Guardianus Ordinis Reformatorum Sancti Francisci Civitatis Venusin. eamdem Sacrorum Rituum Congregationem requisivit humillime pro declaratione insequentis Dubii nimirum: An quarto Nonas Julii instituendum sit Anniversarium Dedicationis propriae Ecclesiae, quum constet illam consecratam fuisse sexto Idus Octobris 1728. qua quidem die celebrandum esset quotannis Festum Dedicationis sub ritu duplicis primae Classis cum Octava? Eminentissimi vero ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati, infrascripto Secretario referente,

animadvertentes ab hac Sancta Sede id consilii potissimum ceptum fuisse, ut uniformitas induceretur in Kalendario Seraphico, rescribendum censuerunt « *Officium dedicationis propriae Ecclesiae faciendum die quarta Iulii.* »

Atque ita servandum mandarunt. Die 23. Maji. 1835.

4601 ORDINIS MINORUM DE OBSERVANTIA

Sacrorum Rituum Congregationem humillimis datis precibus adivit Fr. Joseph Camaiti Alumnus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Burgi Sancti Sepulchri, ut declarare dignaretur, an in Decreto Generali sa. ma. Pii Papae VII, quo interdicitur usus Sacrarum Suppellectilium Sacrificio Missae deservientium ex Grossypio confectarum comprehendantur etiam Casulae ex eodem Grossypio contextae? Eminentissimi, et Revendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis audita relatione ab infrascripto Secretario facta, sescribendum censuerunt « *Non comprehendi* » Die 23. Maji 1835.

4602. QUEBECEN.

Reverendissimus hodiernus Quaebecen. Archiepiscopus Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum.

1. An Parrochus, vel alter residentiali Beneficio provisus extra propriam Ecclesiam teneatur, vel possit Missam celebrare respondentem Officio quod recitat, ex. gr. de Octava particulari propriae Ecclesiae, vel an potius debeat, vel possit Missam celebrare respondentem Officio occurrenti in Ecclesia, in qua Sacrificium perficit? Insuper quaeritur quid faciendum, si celebret in Oratorio privato?

2. An Clerus addictus Parrochiali noviter erectae in Suburbiis Quebecen. teneatur ad Officia particularia Sacrae Familiae, et Sanctorum Martyrum Flaviani et Felicitae, quae sunt particularia Cleri Quebecen. et indulta quum unica tantum ibi extabat Paroecia?

3. Quum in Decreto Sanctae Sedis de Anno 1810. lato statutum fuerit, ut Festa Titularium ad Dominicas infra Octavas transferantur; quumque in eodem Decreto excepta fuerint Festa Ecclesiarum Quebecen., Montisrealis, et alterius ex Paroeciis suburbanis, quaeritur an in Decreto ipso generali comprehendantur Festa Titularium Ecclesiarum Parrochialium institutarum post Annum praedictum 1810?

4. Quum in Pontificali Romano titulo de Ordinationibus habeatur « Minores Ordines possunt dari singulis Dominicis, et festivis diebus duplicibus » quaeritur, an verba « festivis diebus duplicibus » intelligenda sint pro Festis de praecepto strictim servandis?

5. In eodem Pontificali Romano legitur « Antequam ad collationem Ordinum procedatur, legitur mandatum Apostolicum » quaeritur ergo an quum conferuntur Ordines Sacri extra Tempora omnino legendum sit Breve Apostolicum facultatem hanc tribuens?

6. Quaeritur qui sint Sancti Patroni Ordinis Sanctae Ursulae a Sancta Angela Merici fundati? Sub quo ritu in eodem Ordine celebranda sint Festa Sanctae Ursulae, Sanctae Angelae Merici, Sancti Augustini, et Sancti Josephi Sponsi Beatae Mariae Virginis?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, omnibus mature perpensis, diligenterque examinatis ad relationem per infrascriptum Secretarium factam respondendum censuit:

Ad 1. *In Ecclesiis posse, si respondeat color Paramentorum: in Oratoriis privatis debere juxta alias decreta.*

Ad 2. *Exhibeat concessionis Decreta.*

Ad 3. *Affirmative.*

Ad 4. *Affirmative.*

Ad 5. *Affirmative juxta Pontificale Romanum.*

Ad 6. *Sunt enunciati, qui celebrantur cum Symbolo Nicaeno in Missa ritu solemni.*

Atque ita rescripsit Die 23. Maji 1835.

4603. SANCTI SEVERI

Capitulum Cathedralis Sancti Severi Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuit ab Reverendissimo Episcopo Altare majus ipsius Ecclesiae Cathedralis translatum fuisse in alium locum, in qua quidem translatione contigit ut Mensa a stipite separaretur, ac proinde dubitatur de illius execratione et ad hoc requirit quid in casu faciendum sit? Insuper quum ab sa. ma. Pio Papa VII. Canonicis, quibus conceditur usus Pontificalium, uti ex Brevi eruitur, concedatur et usus Annuli, quaeritur an eodem Annulo uti debeant etiam dum celebrant, vel Pontificalibus assistunt? Si praeter hos casus adhibere valeant Annulum cum gemmis? Tandem an id, quod statuitur pro Canonicis, servari etiam debeat pro aliis, qui Canonicali Dignitate non cohonestantur, uti sunt Parrochi?

Et Sacra eadem Cangregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die habito ad relationem infrascripti Secretarii respondendum censuit.

Ad 1. *Debet denuo consecrari.*

Ad 2. *Exhibeat exemplar authenticam Litterarum Apostolicarum in forma Brevis sa. me. Pii Papae VII.* Die 23 Maji. 1835.

4604. VERONEN.

Quum diversae circumferantur opiniones circa Communionem Fidelibus administrandam in Missis Defunctorum, Reverendissimus Veronen. Episcopus pastoralis sui muneris esse censuit hanc Sacram Rituum Congregationem adire, eidemque humillimis datis precibus supplicare, ut declarare dignaretur, an in praedicta Missa de Requiem cum paramentis nigris liceat unquam Sacram Synaxim administrare cum Particulis praeconsecratis? Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunati post auditam ab infrascripto Secretario relationem, perpendentes alias sancitum fuisse in iisdem Missis Defunctorum seu in paramentis nigris ministrandam non esse Eucharistiam per modum Sacramenti, extrahendo Pyxidem a Custodia, ac posse tantum ministrari per modum Sacrificii cum Particulis intra eamdem Missam consecratis, proposito Dubio rescribendum censuerunt. *Negative juxta Decreta in una Congregationis Montis Coronae diei* 22. *Januarii* 1701. *in Ordinis Capuccinorum diei* 22. *Novembris* 1710. *et in Aquen. diei* 2. *Septembris* 1741.

Atque ita rescripserunt, ac omnino servandum mandarunt. Die 23 Maji. 1835.

4605. THEATINA.

Quum a Clero Archidioecesis Theatinae septimo Kalendas Aprilis quotannis persolvatur Officium Sancti Dismae Boni Latronis, evenit interdum ut enunciata die reponi debeat Officium Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis, ut-

pote quia Feria Sexta post Dominicam Passionis praepeditur Officio potioris ritus, uti insequenti Anno 1836. eveniet, nam enunciata Feria sexta fieri debet de Annunciatione Deiparae. Ex peculiari Rubrica circa Festum Dolorum, qua edicitur, Festum, ipsum quoties fieri nequit Feria Sexta post Dominicam Passionis, reponendum esse Sabbato insequenti, dilucide eruitur Festum Sancti Boni Latronis tunc locum cedere debere Officio Dolorum, ac propterea transferendum juxta Rubricas; verum quum a Sacra Rituum Congregatione aliter constitutum reperiatur in Decreto Hispalen. die 2. Decembris 1673. dubitatum est, quid faciendum in casu esse et pro opportuna declaratione eidem Sacrorum Rituum Congregationi humillimae porrectae sunt preces. Eminentissimi itaque ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, rem mature perpendentes, probe senserunt enunciatum Decretum Hispalen. utpote evulgatum antequam ad universalem Ecclesiam extenderetur Officium Dolorum Beatae Mariae Virginis impedimento minime esse, quominus servetur specialis memorata Rubrica de translatione ad Sabbatum Officii Dolorum, proposito Dubio hisce concepto verbis – An Officium Dolorum in casu, de quo agitur sit omittendum, vel persolvendum die XXVI. Martii assignata Officio Sancti Boni Latronis? – respondendum consuerunt: *Servanda est peculiaris Rubrica.*

Atque ita servandum mandarunt. Die 23. Maji 1835.

4606. VERULANA.

Precibus Canonici Vespasiani Collegiatae Ecclesiae Frusinatis intra limites Dioecesis Verulanae, exquirentis: an ipse qui Canonicatum in ipsa Collegiata resignavit, retentis Insignibus, et Stallo, possit celebrare Missam Conventualem? Sacra Congregatio Rituum in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, ad relationem subsignati Secretarii rescribendum censuit: *Posse consentientibus omnibus. Diei* 23. *Maji* 1835.

4607. CUSENTINA.

Publicis in Supplicationibus, Cadaverum associatione, aliisque Ecclesiasticis Functionibus dum praecedentibus aevis interfuere Alumni Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum in Civitate Cusentina una cum Alumnis Ordinis Minorum de Observantia Reformatorum, praecedentiam super Reformatos sibi jure vindicarunt juxta sancitas Leges a sa. me. Gregorio Papa XIII. per Bullam – Exposcit pastoralis – editam octavo Kalendas Sextiles Anno 1583. aliamque Urbani Papa VIII. quae incipit – Nuper pro parte – publicique juris factam decimoquinto Kalendas Januarias Anno 1637. Quum autem ob temporum calamitates aliquantisper Coenobio cedere debuissent Capuccini, post eorum reditum, occasione capta Patres Reformati vindicare sibi autumarunt jus praecedendi in iisdem Functionibus ob quasi possessionem. Quaestione autem inter utramque partem circa ipsam praecedentiam exorta, dum illam privatim, et amicabiliter, ut par erat, componere datum non fuit, Sacrorum Rituum Congregationem adivit R. P. Thomas a Treja Reformatorum Ordinis Procurator Generalis, atque in caussam, ac judicium evocavit R. P. Fr. Cherubinum a Mormanno Capuccinorum Ordinis Procuratorem itidem Generalem, et coram R. P. D. Secretario concordato sequenti Dubio – An, et cui competat praecedentia publicis in Processionibus, Cadaverum associatione, aliisque publicis Functionibus in casu? – ipsam Sacram Congregationem hu-

millime rogavit opportunam solntionem. Eminentissimi vero ac Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi in Ordinario Coetu ad Quirinale sub infrascripta die coadunati, ad relationem Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Joannis Francisci Marco-y-Catalan Ponentis, omnibus mature, riteque perpensis, consideratisque rationibus, monumentisque hinc inde productis, rescribendum censuerunt: *Affirmative in omnibus, et praecedentiam dandam esse Patribus Ordinis Capuccinorum.*

Atque ita rescripserunt, et in casu servandum esse mandarunt. Die 8. Augusti 1835.

4608. BISINIANEN.

Quum hodiernus Archipresbyter Terrae Lutiorum Dioecesis Bisinianen. Sacrorum Rituum Congregationi sequens Dubium pro opportuna solutione proposuerit, nimirum – Num Diaconus Superpelliceo, et Stola indutus possit, de consensu Parrochi, benedicere Domos in Sabbato Sancto? – Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die habito ad relationem mei infrascripti Secretarii respondendum censuerunt – *Negative* – Die 8. Augusti 1835.

4609. DUBIUM.

Quidam Archiepiscopus, cujus Dioecesis non habet Suffraganeos, Pontificalia exercens Dominica Pentecostes in Ecclesia alienae Dioecesis, de licentia Ordinarii, Magistro Coeremoniarum suadente usus est Pallio. Hinc quaerit utrum possit in posterum uti Pallio in designatis diebus extra suam Dioecesim de licentia tamen Ordinarii loci? Sacra Rituum Congregatio ad Quirinale in Ordinario Coetu coadunata, ad relationem proprii Secretarii rescripsit – *Negative* – Die 8. Augusti 1835.

4610. FERETRANA.

Reverendissime Domine uti Frater.

Preces Amplitudinis Tuae, quibus referebas Oppida, et Loca istius Dioecesis ex parte posita intra limites Reipublicae olim Cisalpinae, et ex parte intra limites Reipublicae Romanae, pro quibus ad preces respectivi Gubernii varia ab hac Sancta Apostolica Sede indultum fuit quoad Festorum reductionem, et jejuniorium observantiam, nunc autem quoniam differentia istiusmodi intra eamdem Dioecesim multis incommodis locum praebet; proptereaque ut opportune provideretur summopere expetebas., adeo ut vel una pars alteri cederet quoad eamdem observantiam juxta placitum ejusdem Sanctae Sedis ad uniformitatem obtinendam, licet Summo Pontifici directae fuissent, ad rem facilius, et plenius maturo cum examine assequendam ab subcripto Secretario in Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria relatae fuerunt. Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale sub infrascripta die coadunata, omnibus mature examinatis, accurateque libratis, Amplitudini Tuae scribendum edixit ad Mentem: Mens autem est, ut quoniam de perspecta tua fide, et integritate plurimum in Domino confidit, examinatis pariter omnibus, pro tuo arbitrio, et prudentia adeo res componas, ut unum vel alterum modum ex concessis a Sede Apostolica quoad Festorum, et jejuniorum observantiam praecipias in universa hac Dioecesi Feretrana servandum, quo facilius in Domino judicaveris assequuturum eamdem observantiam, et uniformitatem. Et diu felix, et incolumis vivat.

Amplitudinis Tuae, Romae 8. Augusti 1835.

4611. MONTIS REGALIS PROVINCIAE PEDOMONTANAE.

Septimo Idus Iunii quotannis recurrente in Ecclesia Cathedrali Montis Regalis Provinciae Pedomontanae celebranda venit ex Legato Missa Solemnis de die cum cantu, et assistentia Canonicorum, quae anticipari assolet praecedenti die, occurrente Dominica. Hisce positis hodiernus Archidiaconus Sacrorum Rituum Congregationi sequens Dubium enodandum proposuit, nimirum « An occurrente Vigilia Pentecostes cantari possit dicta Missa juxta ritum pro Missis privatis praescriptum, cum Introitu » Quum sanctificatus fuero « an differenda, vel anticipanda sit? Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale sub infrascripta die coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, rescribendum censuit » *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* Die 8. Augusti 1835.

4612. TAURINEN.

Eminentissimi, e Reverendissimi Signori. Il Guardiano de' Cappuccini del Convento della Madonna di Campagna Fr. Francesco Domenico da Torino umilmente espone all' Eminenze Vostre Reverendissime, che i Religiosi del sunnominato Convento sebbene distanti dalla Città un miglio, ed un terzo di Piemonte, cioé di 4000. passi, sempre intervennero per l' addietro alle solite Processioni pubbliche, che si fecero nella Città di Torino formando però un solo Corpo con i Religiosi del Convento del Monte distante assai meno da quella Città. Siccome peraltro sotto il giorno 1. Luglio dello scorso anno 1834. fu eretta in Parrocchiale la loro Chiesa, li medesimi debbono ora, e per l' avvenire fare le istesse Processioni con i nuovi Parrochiani, e quindi implorano essere esentati dalle Processioni, che si fanno in Città. Che della grazia. – Sacra Rituum Congregatio ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente me infrascripto Secretario, benigne commisit Reverendissimo Taurinen. Archiepiscopo, ut quoniam per Generale Decretum diei 21. Augusti 1628. confirmatum die 28. Septembris 1658. Regulares ultra medium milliare a Civitate distantes nequeunt compelli ad Processiones, quae ducuntur per Civitatem, pro suo arbitrio, et prudentia petitum Indultum Oratori largiatur eo potissimum fine ut cum Paroeciae Plebe publicas Supplicationes instituere valeat. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8. Augusti 1835.

4613. ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI.

Quum in Officio Translationis Almae Domus Lauretanae pro editionum Breviarii diversitate immutati reperiantur versiculi Nocturnorum, R. P. Vicarius Provincialis Ordinis Minorum de Observantia Reformatorum Provinciae Cataloniae Sacrorum Rituum Congregationem certam sequendam regulam rogavit. Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis ad relationem proprii Secretarii rescripsit: *Versi Nocturnorum variandi sunt juxta Rubricas, et dicendi juxta Ordinem Resp. Horarum Minorum.* Die 8. Augusti 1835.

4614. TARVISINA.

Reverendissimus Tarvisin. Episcopus Sacrorum Rituum Congregationem humillimis adiens precibus, rogavit solutionem insequentis Dubii, nimirum: An Episcopus, qui ex Apostolico indulto bis in Anno Salemnem Pontificiam Benedictionem Populo dare potest, quoties rationabili ex caussa Missam celebrare nequivit, an pro illa die, et vice censeri possit praeditus eadem De-

legata Auctoritate Populo benedicendi? Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Quirinale hodierna die coadunata, ad relationem proprii Secretarii rescripsit –*Negative*– Die 8. Augusti 1835.

4615. ANCONITANA.

Precibus Sacerdotis Vincentii Bartolucci Anconitan. qui ceu Parochus assistit Ecclesiae Sancti Marci ejusdem Civitatis, ubi extant Alumni Ordinis Eremitarum S. Augustini, pro opportuna declaratione sequens proposuit Dubium, nimirum « An Parochus Sancti Marci in Sacro peragendo. praesertim ad unitatem, et concordiam in Sacris Functionibus conservandam, debeat Fratrum Kalendario se se accommodare, dum pro diversitate Eremitani Kalendarii a Dioecesano color Paramentorum dissonat? » Sacra Rituum Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente Secretario, rescripsit: *Affirmative, sed cum Missali Romano juxta alias decreta.* Die 8. Augusti 1835.

4616. EUGUBINA.

Ut Animabus, quae piaculiaribus addictae flammis in Purgatorio cremantur, levamen obveniat, mos invaluit in Ecclesia Parochiali Oppidi vulgo Costacciaro, et in alia Ecclesia ipsius Oppidi Ordinis Minorum Conventualium intra fines Dioecesis Eugubinae, quatuor instituendi pro Defunctis Officia Generalia per quatuor immediatas Ferias insequentes Dominicam quartam Quadragesimae, ad hunc enim finem erogantur eleemosynae a Fidelibus oblatae ipsa Dominica quarta. Quum autem in praesentiarum dubitetur an celebrari valeat Missa Solemnis de Requiem ut in Anniversario, Officio aliquo ritus duplicis occurrente; hodiernus Archipresbyter Nicolaus Aliberti Sacrorum Rituum Congregationi duo sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum.

1. An praedicta Officia generalia habenda sint ut Anniversaria, ac proinde celebranda sit Missa de Requiem cum cantu, etiam occurrente Officio ritus duplicis, exceptis duplicibus primae et secundae Classis; et quatenus negative, an liceat servare invectam consuetudinem?

2. Posito autem quod enunciata Officia trasferenda sint ad dies ritus semiduplicis, quaeritur quae Missa celebranda sit?

Eminentissimi vero, ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die coadunati, audita relatione ab me infrascripto Secretario facta, rescribendum censuerunt.

Ad 1. *Negative ad primam partem: ad secundam sine Indulto non licere.*

Ad 2. *Servetur particularis Rubrica.*

Atque ita rescripserunt, ac servandum mandarunt. Die 8. Augusti 1835.

4617. ALBEN.

Quum in Civitate Alben. dispositio Sacrarum Functionum Ecclesiae Sanctimonialium Ordinis Praedicatorum, demandata sit Sacerdoti Cosmae Damiano Montanaro Canonico Cathedralis, ac in earumdem Sanctimonialium Asceterio Confessario Ordinario, sui muneris esse duxit Sacrae huic Rituum Congregationi duo sequentia Dubia pro opportuna solutione proponere, nimirum.

1. An liceat Feria V. in Coena Domini in Altare Sacri Sepulchri apponere Velum Album, quod e magna Cruce descendens cooperiat Eucharistiam?

2. An decretum Sacrorum Rituum Congregationis diei 17. Septembris 1822. prohibens pro Celebrante Sedem Cameralem loco scamni cooperti tapete, comprehendat etiam ritum Dominicanum?

Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale sub infrascripta die coadunati, ad relationem subsignati Secretarii, respondendum censuerunt.

Ad 1. *Non licere.*

Ad 2. *Affirmative. Die* 8. *Augusti* 1835.

4618. ORDINIS MINORUM CAPPUCCINORUM PROVINCIAE HETRURIAE.

R. P. Fr. Antonius ab Aqua Ordinis Minorum Cappuccinorum Provinciae Hetruriae Sacrorum Rituum Congregationem humillimis datis precibus supplex adivit, ac circa insequentia Dubia opportunas declarationes enixe efflagitavit, nimirum.

1. Quum aliqui Conventus Hetruriae Titularem habeant Sanctum Martyrem, vel Confessorem, vel Virginem cum Officio, et Missa propria, et in die octava desiderentur Lectiones secundi, et tertii Nocturni propriae, quaeritur an ipsa die octava omnia desumenda sint ab Officio diei Festi, vel potius Lectiones ipsae esse debeant de Communi?

2. Aliqui Sancti habent in tertio Nocturno Lectiones proprias, et in particularibus Rubricis nihil dicitur, an Nona Lectio conjungenda sit cum Octava occurrente Homilia Vigiliae, Feriae, vel Dominicae, sive etiam Lectione Sancti simplicis; quaeritur an hujusmodi Unio semper fieri debeat?

3. Dum Hebdomadarius in Choro pergit ad legendam Homiliam, sive Lectiones tertii Nocturni Sancti, de quo fit Officium, ad Evangelium debet ne tenere manus super Breviarium, vel potius junctas ante pectus?

4. An in Lectione Martyrologii annuncianda sint Officia votiva persolvenda insequentibus diebus?

5. An item annuncianda sint Officia per accidens translata?

6. Utrum Sanctimoniales Ordinis Cappuccinorum, quae Ordinis ipsius Kalendario utuntur, possint omittere Officia propria Sanctorum Dioecesis, an omittere Officia Ordinis, ut persolvant illa Dioecesis, vel potius relicto Kalendario Ordinis, in omnibus sequi illud Dioecesis?

Eminentissimi itaque ac Reverendissimi Patres, Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunati, omnibus mature perpensis, ad relationem mei infrascripti Secretarii, rescribendum censuerunt.

Ad 1. *Lectiones secundi et tertii Nocturni in casu desumantur ex Octavario Romano.*

Ad 2. *Detur Decretum in Namurcen. diei* 23. *Maji* 1835. *ad Dubium quintum.*

Ad 3. *Ad libitum Hebdomadarii.*

Ad 4. *Affirmative juxta Rubricas, et alias decreta.*

Ad 5. *Ut ad proximum.*

Ad 6. *Juxta alias decreta praeter Dedicationem Cathedralis, et Officium Patroni, non teneri nisi ad Officia, quae indulta sunt utrique Clero, nec teneri dimittere Kalendarium Ordinis, si juxta illud Officium recitent.* Atque ita rescripserunt, ac servandum mandarunt. *Die* 8. *Augusti* 1835.

4619. CASALEN.

Beatissime Pater.

Ad pedes Sanctitatis Tuae humiliter provoluti Praepositus et Canonici Col-

legiatae insignis Sanctae Mariae Novae Oppidi Lii Casalensis Dioecesis devotissime exponunt, a Suprema Benignitate Benedicti Papae XIV. fel. rec. Praedecessoris Tui Indultum obtinuisse vestiendi in quibuslibet Functionibus Capparum Insignia ormesini violacei coloris, ut ex Bulla quinto Kalendas Maji MDCCXLVIII.

Ast (qua de causa nescitur) Canonici tunc temporis loco ormesini violacei coloris, serico coloris cremisini ad instar Cathedralis usi sunt, idque servarunt usque in hodiernum diem, atque sic induti pluries adstiterunt tam coram Episcopo, quam Canonicis Cathedralis, nemine contradicente, aut impugnante.

Occasione vero Pastoralis Visitationis anno elapso peractae, Canonici Cathedralis recursum porrexerunt Episcopo actu visitanti, ubi instanter petierunt, ut Canonicos perstringat ad utendum Colorem violaceum in Bulla concessionis signatum, et cremesinum deponendum.

Quamvis Canonici Collegiatae Oratores Tui praescriptionem ab immemorabili allegare possent, attamen jurgia devitare cupientes apud Sanctitatem Tuam suppliciter expostulant, ut loco ormesini violacei coloris, colorem purpureum, ut ex signo hic apposito, benigne permittere digneris, quemadmodum conspicitur in usu in pluribus Pedemontanae Ditionis Collegiatis, Episcopo consentiente, et Canonicis Cathedralis, pro qua gratia Canonici preces effundunt ad Omnipotentem Deum, ut Tibi longitudinem dierum, ac quodcumque solamen pro Ecclesiae bono, et exaltatione Tibi misericorditer impertiatur, Pedes humillime osculantes.

Hujusmodi precibus ab infrascripto Secretario relatis in Ordinariis Comitiis Sacrorum Rituum Congregationis ad Quirinale hodierna die habitis: Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, rescribendum censuerunt, *Servetur dispositio Brevis sa. me. Benedicti XIV. Die* 8. *Augusti* 1835.

4620. ROMANA.

Quum diversae circumferantur opiniones circa translationem Officii Puritatis Beatae Mariae Virginis Clero Saeculari Urbis concessi, quin in Decreto appareat facultas illud transferendi quando Dominica tertia Octobris praepeditur alio Officio potioris ritus; Sacrorum Rituum Congregatio de sententia requisita, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale hodierna die coadunata, omnibus mature perpensis, rescribendum censuit. *In casu esse omittendum eo Anno simili in occurrentia juxta Decretum Lycien. diei* 25. *Septembris* 1688. *ad Dubium III. Die* 8. *Augusti* 1835.

4621. ARBOREN.

Seminarii Arboren. Sacellum ita fuit ab initio aedificatum, ut superius haberet Cubiculum, in quo interna dispositio Seminarii ipsius in praesentiarum exigeret, ut aliquis de noctu etiam moraretur. Ast quum hodiernus Archiepiscopus probe noscat id ab Ecclesiasticis Sanctionibus omnino prohiberi; hinc Sacrorum Rituum Congregationem supplex adivit Apostolicum exquirens Indultum. Eminentissimi itaque ac Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunati, audita fideli relatione ab me infrascripto Secretario facta, rescribendum censuerunt. *Detur Decretum in Lycien. die* 26. *Aprilis* 1834. *nimirum petitum elargiti sunt Indultum, hac tamen adjectà lege, ut super Altare Baldacchinum apponatur, et removeatur, si fieri potest, Custodia Sanctissimi Sacramenti, quatenus ibi asservetur. Die* 12. *Martii* 1836.

4622 CIVITATIS CASTELLAN. ET HORTAN.

Quum Clerus Civitatis Castellan. et Hortan. ad conscientiarum tranquillitatem Sacrorum Rituum Congregationem requisierit « Utrum servandum sit Decretum ipsius Sacrae Congregationis hisce conceptum terminis editum die 27. Martii 1779. nimirum » In die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, licet habeantur tria Officia translata, et reponenda, unum classicum, alterum duplex majus, tertium duplex minus, nullum ex translatis est admittendum « vel potius fieri debeat regressus ad aliud Decretum retroactis temporibus antecedenter emissum, posse tali die duplicia translata reponi, prout duobus ab hinc Annis in Civitatis Castellanae, et Hortanae Kalendario mos introductus est? Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die coadunata, referente infrascripto Secretario rescribendum censuit: *Extra casum a Decreto diei* 27. *Martii* 1779. *signatum, posse. Die* 12. *Martii* 1836.

4623. DUBIORUM.

Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione, sequentia Dubia proposita sunt, nimirum.

1. An iis in locis in quibus Officium Sacratissimi Cordis Jesu gaudet ritu duplici secundae Classis, habeat etiam primas Vesperas proprias cum commemoratione Octavae Sanctissimi Corporis Christi, vel an Vesperae esse debeant de memorata Octava?

2. Quum in concessionibus Octavarum privilegiatarum interdum non exprimatur an intra ipsas locum habeant dies octavae aliorum Festorum, quaeritur an standum sit particularibus concessionibus, vel potius an sequenda lex; quod de diebus Octavis semper recitari debeat Officium etiam intra Octavas privilegiatas?

3. An Festa principalia Ordinum Religiosorum, in quibus juxta Rubricas inter Regulares Familias addi potest in Missa Symbolum Nicaenum, intelligenda veniant Festa Fundatorum tantum, vel potius etiam aliorum Sanctorum cujusque Ordinis, quae recensentur sub ritu duplicis secundae Classis cum Octava?

4. An in Missa Sancti Aloisii Gonzaga Patroni Iuventutis, ubi Officium persolvitur ritu duplicis primae Classis cum Octava, addi valeat Symbolum Nicaenum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem proprii Secretarii rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.*

Ad 2. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

Ad 3. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.*

Ad 4. *In locis tantum, ubi est Patronus Praecipuus. Atque ita rescripsit. Die* 12. *Martii* 1836.

4624. FERETRANA.

Eminentissimi, e Reverendissimi Signori.

L'attual Vescovo di Monte Feltri con benigno Rescritto della Sacra Congregazione de' Riti del giorno 8. prossimo passato Agosto venne autorizzato a togliere la differenza delle Feste, e Vigilie, che ha luogo in quella Diocesi nata dalla diversità de Dominj, cui la medesima era soggetta, allorchè dalla Santa Sede fu concessa la riduzione, rimettendo all' arbitrio del Vescovo Oratore l'adottare l'uno, o l'altro metodo. Come più gradito alla Popolazione avrebbe desiderato uniformarsi all' uso della porzione soggetta allora alla Re-

publica Romana. Incontra però due difficoltà ; per la prima, resterebbero così soppresse quattro Feste di precetto, cioè la seconda di Pasqua, di Pentecoste, di Natale, e l'ultimo dell'Anno, cosa che dispiace a chi le osserva : per la seconda le Vigilie dell'Avvento rimarebbero dispensate dalla stretta osservanza, mentre nella suddetta porzione di Diocesi si gode l'Indulto di poter far uso delle Uova, e Latticini, quando nell'altra parte sono Vigilie totalmente chiuse. Rendendole tali per tutta la Diocesi, riuscirebbe disgustoso agli altri. A contentare ogniuno bramerebbe essere abilitato ad uniformarsi pienamente all'uso vigente, ove comandava la Republica Romana in quanto alle Vigilie, e così a ripristinare ancora quella di San Giovanni Battista, che ora non è di precetto in ogni luogo, e di lasciare, ove sono in vigore le nominate quattro Feste, col permesso anche di estenderle a tutta la Diocesi, chè n'è già contenta. In tale maniera, è tolta ogni differenza, con reciproca soddisfazione, e perciò il Vescovo Oratore si dirigge all'Eminenze Loro Reverendissime, onde impetrarne l'opportuna autorizzazione. Che della grazia. Hujusmodi precibus a me infrascripto Secretario relatis, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris ipsis Ritibus tuendis praepositi, rescribendum censuerunt: *De speciali gratia juxta preces. Die* 12. *Martii* 1836.

4625. HIERACEN.

Precibus Sacerdotis Iacobi Barillon exquirentis ut a Clero Communis vulgo Serra Dioecesis Hieracen. cujus ipse est Procurator, continuari valeat usus Sacrarum Supellectilium ex Grossypio confectarum, Sagra Congregatio in Ordinario Coetu hodierna die ad Vaticanum habito, rescripsit : *Episcopo, ut veris existentibus narratis, indulgeat, ut intra Biennium supellectilia renoventur ad tramites Generalis Decreti, permisso interim earum usu, quae nunc habentur. Die* 12. *Martii* 1836.

4626. LUCANA.

In universa Dioecesi Lucana Dominica quinta post Pentecosten fit Officium Sacri Cordis Beatae Mariae Virginis, quod in Ecclesia Clericorum Regularium Matris Dei celebratur magno Populi concursu, sed ritu duplici majore, ut in Kalendario Dioecesis. At in Dominica praecitata quandoque cadit solemnitas Sanctorum Apostolorum Petri, et Paulli, quandoque Sancti Paulini Patroni Principalis, utraque Festa primae Classis cum Octava ; propterea supradictum Officium Sacri Cordis pro iisdem etiam Clericis Regularibus transferendum. Utroque in casu unica Missa Solemnis canitur de Sacratissimo Beatae Virginis Corde, quod asseritur posse ex Rubricis Missalis de Translatione Festorum titulo VI. quamvis plurimi contradicant. Proposito Dubio Sacrorum Rituum Congregationi a Clericis Regularibus Congregationis Matris Dei Lucae degentibus, quaeritur quid sentiat ? Et Eminentissimi, ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati, ad relationem proprii Secretarii rescribendum censuerunt « *Abusum esse eliminandum.* » Die 12. Martii 1836.

4627. TARVISINA.

Reverendissimus D. Sebastianus Soldati Episcopus Tarvisinus, sequens Dubium humillime exponit, nempe.

An Episcopus gaudens, prout est de more, privilegio Altaris portatilis, licite possit, si forte aliquando sit morbo impeditus, jubere ut aliquis ex

Sacerdotibus sibi benevisis super idem Altare portalile, decenter collocatum juxta cubiculum suum, sacra peragat ad devotionis solatium? Et quatenus negative idem Episcopus enixe deprecatur pro hujusmodi Indulto valituro pro quocumque casu eventuro ad ejusdem Episcopi Oratoris vitam. Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem subscripti Secretarii, respondendum censuit « *Affirmative ad primam partem: ad secundam non indigere* » Die 12 Martii 1836.

4628. TRIDENTINA.

Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicavit R. P. Fr. Uldericus a Grigno Sacerdos Ordinis Minorum Sancti Francisci Reformatorum Provinciae Tridentinae, ut insequentia Dubia declarare dignaretur, nimirum.

1. Quum juxta Decretum Sacrorum Rituum Congregationis pridie Kalendas Aprilis 1821. eliminanda sit consuetudo apponendi Sanctorum Reliquias, pictasque Imagines super Tabernaculo, in quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, adeo ut ipsum Tabernaculum inserviat pro basi, quaeritur an hoc Decretum valeat etiam pro Reliquiis Sanctissimae Crucis, vel alterius Instrumenti Dominicae Passionis publicae venerationi expositi?

2. An iis in Ecclesiis, in quibus ob Sacerdotum defectum Celebrans in Hebdomada majori decantare cogitur partem Passionis, illam decantare debeat in Cornu Evangelii?

3. An in Missa Conventuali sive cantata, sive plana Passio legi debeat in Cornu Epistolae?

4. An reprobanda, ac proinde eliminanda sit consuetudo, Feria sexta in Parasceve de sero in Ecclesia, et ad proprium Altare, cum luminaribus iterum collocandi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum?

5. An liceat eadem Feria Sexta in Parasceve in loco, ubi asservatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pro hac Feria, statim post Coeremonias ipsius Feriae exponere publicae venerationi Reliquiam Sanctissimae Crucis et ibi manere usque ad crastinum ad horam solemnis Functionis expositam?

6. An in Sabbatis Quadragesimae in meridie *Angelus Domini* dici debeat stando?

7. An in Provincia Tridentina, quae ab Imperatore Leopoldo I. inter Provincias Germaniae adnumerata est, ab Alumnis Ordinis Minorum Sancti Francisci Reformatorum, absque Ordinarii licentia praeter consuetas, usuque receptas Sanctissimi Sacramenti expositiones, fieri possint extraordinariae, quae in illis Provinciis ex inveterata consuetudine introductae sunt?

8. An in Missa Conventuali plana omittenda sit in duplicibus secundae Classis commemoratio Simplicis, quando ratione Solemnitatis altera Missa cantatur?

9. An Litaniae Sanctorum juxta praescripta Rubricarum pro Nostratibus ex Indulto Apostolico rite disposita, sint modo de praecepto recitandae in Festo Sancti Marci, et in Rogationibus?

10. An in dictis Feriis Missa Rogationum sit de praecepto celebranda, quae in hac Provincia ex inveterata consuetudine non est in usu?

11. An in diebus anniversariis electionis, et consecrationis Summi Pontificis, Collecta in Missa adjungenda pro Eodem sit de praecepto?

12. An toleranda sit, vel eliminanda consuetudo inveterata, Sacerdotem, qui ad Altare aliquod ad celebrandum accedit, vel ab eo recedit, sic Sacris

Vestibus Sacrificii indutum, et jam prae manibus Calicem tenentem, ascendere in transitu Altare, in quo adest Sanctissima Eucharistia, ut ibi Sacram Communionem Fidelibus distribuat? Et quatenus non sit toleranda, utrum depositis Planeta, et Manipulo in Sacristia, accedere possit cum Alba, et Stola?

13. An stola pro ministranda Sanctissima Eucharistia extra Missam semper esse debeat coloris Officio illius diei convenientis, ut praescribit Rituale Romanum, vel potius esse debeat alba prout valde conveniens Sacramento Eucharistiae, ut multi censent Doctores?

Eminentissimi itaque ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunati, singulis mature perpensis, diligenterque examinatis, referente me infrascripto Secretario rescribendum censuerunt.

Ad 1. *Affirmative.*
Ad 2. *Affirmative.*
Ad 3. *In Missa Solemni tantum.*
Ad 4. *Abusum esse eliminandum.*
Ad 5. *Negative.*
Ad 6. *Recurrat ad Congregationem Indulgentiarum.*
Ad 7. *Negative.*
Ad 8. *Negative ad secundam partem.*
Ad 9. *Affirmative.*
Ad 10. *Affirmative si fiat Processio Rogationum.*
Ad 11. *Affirmative.*
Ad 12. *Si adsit necessitas posse tolerari.*
Ad 13. *Iuxta Ritualis Romani Rubricam debet esse coloris Officio convenientis.*

Atque ita rescripserunt, ac servandum esse mandarunt. Die 12. Martii 1836.

4629. VALENTINEN.

Sacerdos Spiritus Gustavus Jouve Canonicus, et Eleemosynarius Episcopi Valentinensis quaerit 1. Utrum teneatur ferre super habitu chorali Stolam, quando assistentiam praestat Episcopo, dum in Oratorio privato, aut alibi Missam celebrat: in hypothesi vero negativa, quaerit 2. Utrum sibi liceat, absque violatione Rubricarum, Stolam ferre in casibus supradictis? Et Sacra Rituum Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, ad relationem subsignati Secretarii respondendum censuit.

Ad 1. *Negative.*
Ad 2. *Obstant Decreta. Die* 12. *Martii* 1836.

4630. ANAGNINA.

Quum hodiernus Praepositus Cathedralis Ecclesiae Anagnin. non obstante Decreto Sacrorum Rituum Congregationis diei 21. Aprilis 1736. in quo edicitur in una Anagnin. « *Cathedralis Praeposito non debentur Paramenta Sacra, et nobiliora in loco distincto a caeteris Canonicis* » praesumat hanc ipsam distinctionem sibi vindicare; non nulli ex Canonicis ipsius Cathedralis ad Sacram Rituum Congregationum hujusmodi factum reclamarunt. Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem subsignati Secretarii, rescribendum censuit. *Episcopo Administratori; qui ad tramites Decreti in Anagnina diei* 21. *Aprilis* 1736. *provideat.* Die 12. Martii 1836.

4631. RHEDONEN.

Quum Reverendissimus Rhedonen. Episcopus animadverterit suae Dioecesis Parochos in nonnullis administrandis Sacramentis quoad quasdam Coeremonias haud penitus inter se convenire, nec eam aeque ab omnibus servari uniformitatem, quam ipse maxime optaret, pro eo, quo praestat studio ac diligentia ad rectum ordinem in Ritibus ac Coeremoniis Ecclesiae servandum, Sacrorum Rituum Congregationi humillime sequentia Dubia enodanda proposuit ad hunc finem aliquando obtinendum, nimirum.

I. Ultra pedum pars superior ne, an inferior ungenda sit in Sacramento Extremae Unctionis? (1)

(1) Varii semper in Ecclesia Christi fuerunt ritus, sive rituum varietas semper in Ecclesia viguit, et si illius inspiciamus exordium, tanta in ritibus fuit diversitas, ut, si ea excipiamus, quae ad Fidei substantiam spectabant, si ea demamus, quae vel divinam habebant institutionem, quae constitutiva rerum efformabant, ut in Sacramentis; vel divinum habebant praeceptum, vel Apostolicae institutionis aut vetustissimae traditionis notam praeseferebant (in quibus omnes conveniebant Ecclesiae, quaeque ab omnibus aeque Ecclesiis servabantur) si haec, inquam, excipiamus, tot erant in accidentalibus ritus et Liturgiae, quot Ecclesiae diversae erant, quin unitas fidei tolleretur, quin religio aliquid pateretur detrimenti. Ecclesia autem hanc utique, primis praesertim saeculis, libertatem reliquit, unde ipsa rituum varietas exorta est. Haec una ex praecipuis fuit causis; alias hic meminisse supervacaneum foret. Haec autem quae olim fuit in unaquaque Ecclesia rituum ac caeremoniarum varietas (de accidentalibus semper intelligo), haec, quae fuit Liturgiarum diversitas, admirabilis habenda est, et necessaria agnoscenda: admirabilis quidem, dum haec ipsa ex multis nationibus, gentibus, populis, et linguis Christi Ecclesiam conflatam esse demonstrat: necessaria (saltem initio) quia cum diversae indolis, diversi ingenii essent gentes, quae Christi fidem amplectebantur, ea ipsos retineri et Apostoli et Apostolorum successores passi sunt, quae substantialia non attingebant; idque sapientissimo ab ipsis factum est consilio, ne scilicet, si omnia statim improbari, ac rejici vidissent, quae usque ad illud tempus retinuerant, quaeque nec Fidei substantiam, neque unitatem respicerent, a nova, et vera Christi fide, ac religione amplectenda deterrentur. Sapientibus loquor, qui haud certe mirari possunt vel suspicari, me novum aliquid in medium proferre. Satis est de veteri Ecclesiae disciplina pertractantes auctores perlegere, ac diversa ritualia invisere, in quibus varii describuntur ritus, variae caeremoniae observantur, quibus diversae per orbem Ecclesiae, sive in Occidente, sive in Oriente usae sunt, et adhuc utuntur.

His praemissis videamus si forte aliquid sit, quod diversimode possit a quibusdam agi, quam alii in ritibus, et caeremoniis agant, vel ipsum Rituale praescribat, praesertim si hoc in quibusdam, aut diversimode agi permittat, aut quaedam non ita clare, aut praeceptive praescribat. Sane Rituale Romanum ita appellatur, quia ritus continet, quibus Ecclesia Romana, seu universalis utitur, quique Romae servantur tanquam Ecclesiae Apostolicae proprii, in qua, ut inquit Augustinus Epistola 157. *semper viget Apostolicae Cathedrae Principatus:* et ut longe ante ipsum docuit s. Irenaeus Libro 3. Capite 3. *ad hanc Ecclesiam* (nempe

Romanam) *propter principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.* Periculosum itaque esset a ritibus Romanae Ecclesiae omnium matre, et Magistra praescriptis recedere, atque hic omnia ut praescribuntur, servanda sunt: Ecclesia enim Sancto directa Spiritu nihil sine ratione, nihil frustraneum praescripsit, et ad finem aliquem religiosum, omnia instituit, omnia ad divini cultus majestatem, ad spirituale filiorum bonum, pia Mater instituit: Idcirco scribit s. Joannes Chrysostomus Homilia prima in Matthaeum *magistri nostri* (hoc est Apostoli) *Ecclesiarum institutores usque ad humilia et minuta praecepta deduxerunt diligentiam disciplinae.* Ordo igitur ab omnibus servandus est, et de hoc ordine ab omnibus servando in ritibus et caeremoniis cum Chrysostomo, et alii Patres intelligunt ea verba, quae Paulus Apostolus habet prima ad Corinthios *omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis.* Hinc est quod prisci fideles sedulo caeremoniis studuerunt, et ut omnia in ordine, et accurate fierent eligere quemdam consueverunt sacris ritibns praefectum, qui *Monitor* appellabatur, ut observat s. Isidorus Abbas, et ut probat exemplo Sacerdotis Nepotiani, quem laudat s. Hieronymus in sua ad eum epistola his verbis, *quod cernitur ejus in omnes caeremonias sollicitudo.* Quamvis haec in dubium nequeant revocari nihilominus ex ipso Rituali Romano quaedam esse possunt quae aliquantulum diverse in ipsa Sacramentorum administratione peragi possunt, quin illicite aut administrentur, aut suscipiantur. Patet ex ipsis ritualis verbis: Hoc enim postquam *titulo. De iis quae in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt*, haec dixerit, *Ut ea quae ex antiquis Catholicae Ecclesiae institutis, et Sacrorum Canonum, Summorumque Pontificum Decretis, de Sacramentorum ritibus et caeremoniis hoc libro praescribuntur, qua par est diligentia, ac religione custodiantur, et ubique fideliter serventur. illud ante omnia scire, et observare convenit, quod Sacrosancta Tridentina Synodus Sess.* 7. *Can.* 13. *de iis ritibus decrevit in haec verba – Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse: anathema sit.* – Postquam inquam haec dixerit, et retulerit Tridentini Concilii auctoritatem, haec habet verba *titulo de Sacramento Baptismi rite administrando. – Dum autem ad hoc Sacramentum conferendum alia sint de jure divino absolute necessaria, ut materia, forma, minister, alia ad illius solemnitatem pertineant, ut ritus, et caeremoniae, quas ex Apostolica, et antiquissima traditione acceptas, et approbatas, nisi necessitatis causa omittere non licet.* –

Jam si, in casu quidem necessitatis, omittere quaedam licet, non omnia quae praescribuntur, quamvis extra hunc casum sint servanda, ejusdem aeque sunt generis, ea ratione, quia non sunt substantialia, sed ad majestatem et solemnitatem Sacramentorum sunt instituta, et ea sunt, de quibus S. Thomas part. 3. quaest. 64. *art.* 4., ad primum, scribit: *Non sunt de necessitate Sacramenti, sed pertinent ad quamdam solemnitatem, quae adhibetur in Sacramentis ad excitandam devotionem, et reverentiam in iis qui suscipiunt, et est finis quem habet Ecclesia juxta Concilium Tridentinum.* – Idem Concilium *Sess.* 24. *de reformatione Capite* 1. *haec habet. – Si quae provinciae*, (quoad matrimonii Sacramentum) *aliis ultra praedictas*,

*laudabilibus consuetudinibus, et caeremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat.* Similia habet Rituale Romanum Titulo 7. *Cap.* 3. §. *Caeterum : Si quae provinciae aliis ultra praedictas laudabilibus consuetudinibus, et caeremoniis in celebrando matrimonii Sacramento utuntur, eas Sancta Tridentina Synodus optat retineri.* Quod dictum est generice de diversis Ecclesiae ritibus, et caeremoniis, quae per diversa Ecclesiae tempora servatae sunt, quaeque, approbante ipsa Ecclesia, viguerunt, et vigent adhuc, id ipsum de extremae unctionis Sacramento, quoad modum, et locum ungendi infirmos dici potest : Rituale Romanum de ungendis infirmis haec habet: *Quinque vero corporis partes praecipue ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit, nempe oculi, aures, et nares, os, et manus : Attamen pedes etiam, et renes ungendi sunt : sed renum unctio in mulieribus, honestatis gratia semper omittitur ; atque etiam in viris quando infirmus commode moveri non potest. Sed sive in mulieribus sive in viris alia corporis pars pro renibus ungi non debet.* At aliquibus in Ecclesiis diversimode per diversa saecula infirmorum unctio peracta est : Cum Divus Jacobus Apostolus solum unctionem memoret, et nihil de partibus ungendis innuat dicens, *infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiae ... orent super eum ungentes oleo*, factum est ut non parum different Ecclesiae in hoc ritu, et diversimode in unctione conficienda sese gesserint. Graeci, si Arcadium audiamus *libro* 5. *Capite* 7. unctionem adhibent ad frontem, mentum, ambas genas, ut fieri videatur unctio a capite ad modum Crucis, deinde ad pectus, tum ad manus, idque in utraque parte, postremo ad pedes. Ecclesia latina non eodem modo per diversa tempora sese pariter gessit, et varia quoad partes inungendas fuit ejus consuetudo, ut apud Martenium *de antiquis Ecclesiae ritibus ostendit* Sambovius. Id ex variis ritualibus diversarum Ecclesiarum desumitur, quae ab eodem Martenio proferuntur, quaeque brevitatis gratia omittenda censeo. Ex his nonnulli existimant usum invaluisse varias inungendi corporis partes, et invaluisse post s. Gregorii aetatem, sed pariter sentiunt non easdem, omnibus aeque in Ecclesiis corporis partes fuisse inuctas, imo in aliquibus quasdam debuisse partes inungi, quas inungere in aliis quibusdam vetitum erat. Saeculo Christi sexto apud quasdam Ecclesias una tantum Corporis pars inungebatur, et haec pectus erat. Habetur hic ritus in vita s. Augendi sive Eugendi, ex qua discimus, eum in pectore tantum fuisse inunctum : *Cum ultra sexagenariam aetatem sex fere mensibus praedictus pater inaequalitate corporea laboraret, vocato uno ad se de fratribus, cui cum libertate peculiari olim etiam perungendi infirmos opus injunxerat, secretissime quoque sibi pectusculum petiit, ut moris est, inungi* : Ubi advertenda sunt ea verba *ut moris est* : Non novitas ergo, non contra ritum tunc vigentem, sed juxta consuetudinem pectus solummodo inungebatur. Idem observat Mabillonius ad saeculum primum Benedictinum. In ritualibus libris autem, quos refert Martenius, de quibus supra, juxta quos plures corporis partes inungebantur, pene in omnibus praescribebatur, ut ea pars corporis inungeretur, ubi dolor plus imminebat. Quae praescriptio, qui usus verbis fortasse Apostoli Jacobi nitebatur, nimirum *et alleviabit eum Dominus*, qui tamen usus desiit omnino, et vetitus postmodum fuit, ne videretur unctio Sacri Olei ad medicinam potius corporis, quam ad animae spirituale remedium adhiberi.

En varia quoad unctiones in extremae unctionis Sacramento administrando praxis, quae vel ad veterem Ecclesiae disciplinam spectat, vel diversas respicit sive Orientis sive Occidentis Ecclesiae praxim. Quod vero pertinet ad hodiernam praxim et praescriptum Ritualis Romani sive universalis Ecclesiae, omnibus patet: in hoc enim statuitur, quomodo fieri debeat unctio, et quae sint partes inungendae, quaeque ex his debeant praecipue inungi, et quae inungi quandoque non debeant. Superius a me jam sunt allata Ritualis verba, quibus consonat Concilii Tridentini Catechismus *part. 2. de extremae unctionis Sacramento. Oculi, aures, nares, os, et manus* praecipue debent inungi; de *pedibus*, et *renibus* vero dicitur quod in quibusdam semper *omittitur* unctio, nempe in *mulieribus*, et omittitur *honestatis gratia*: in viris autem non semper, sed tunc solum quando *Infirmus commode moveri non potest. Oculi itaque aures, nares, os, et manus* sunt inungendae praecipue, et has corporis partes nominat, et ideo praecipue eas praescribit inungendas, quia veluti *sensum instrumenta* considerat. Omissis hic quibusdam quaestionibus, quae ad Theologos spectant, quaeque rei, de qua agimus, nihil prorsus vel officere possunt, vel prodesse, unum breviter adnoto: fuisse, nempe, olim a Theologis investigatum, disceptatumque, an quinque sensuum unctio sit de substantia Sacramenti. Jam in hac disquisitione non de omnibus texative unctionibus agebatur, sed de illis quinque, quibus sensus liniuntur; sed cum de quinque his sensibus loquuntur, pedes, et renes omittendo, renum ac pedum unctionem omitti posse eos putasse non est credendum, ex quo conjicere quis posset, parvi apud eos momenti fuisse *renum ac pedum* unctionem, adeoque omitti omnino posse vel debere, eos existimasse, sed male admodum quis ex ea quaestione id colligeret: clare enim nimis Ritualis rubrica praecipit, ut *renes et pedes* ungantur; neque ex eo quod Rubrica prius quinque tantum humani corporis partes memorat (eas aliquomodo a renibus, et pedibus sejungendo) quas solum, quemadmodum et Concilii Tridentini Catechismus, sensuum instrumenta in homine vocat, ei a natura tributa, non ex hoc, inquam, et *pedum et renum* unctionem vel excludit, vel omnimodam libertatem eos ungendi hujus Sacramenti Ministro relinquit; sed ideo Rubrica, quin sibi contradicat (ut videri primo intuitu posset) quinque partes prius inungendas assignando, septem postea enumerando, abstrahit quodammodo *pedes et renes ab oculis, auribus, naribus, ore, manibus*, non quia sensum ab illis, qui in quinque assignatis prius partibus, diversum aliae duae partes efforment, sed quia hae quas postea adjicit partes, relationem habent ad aliquem illorum sensuum, quos jam in quinque aliis partibus memoravit: Nam per *oculos, nares, aures, os, et manus* intelliguntur sensus *visus, odoratus auditus, gustus, et tactus;* cum quibus potest homo delinquere et peccatum perpetrare. Cum autem relationem ad aliquem ex his quinque sensibus, aliae duae postmodum adjectae partes habeant, hinc per has, nempe per *renes, et pedes* non de novis, aut diversis sensibus intelligit loqui, sed de duobus ex quinque jam memoratis sensibus. *Pedes* enim sub sensu *tactus*, *renes* autem sub sensu *delectationis* possunt comprehendi, *pes* namque *gressu* potest delinquere et *renes* per lumborum delectationem, atque idcirco in forma unctionis pedum dicitur. *Quidquid per gressum deliquisti* et in altera renum, *quidquid per lumborum delectationem deliquisti:* pia hinc Mater Ecclesia instituit

ut septem hae singulae partes inungerentur, ut medela cuique sensui plene, completeque aptaretur. Quinque igitur, si auctores audiamus, et ex toto Rubricae contextu eruitur, essentiales esse unctiones in hoc Sacramento dici potest, et duas integrales, *pedum* nempe et *renum*, quarum postrema plerumque in viris *omittitur*, semper vero in foeminis, quaecumque sit omissionis ratio, sive *impossibilitas* in viris, sive *honestas* in foeminis; quod non diceretur a Rubrica (quae quidem in foeminis renum unctionem omittendam praecipit) si harum partium unctio aeque essentialis esset, ac aliarum quinque. Confirmatur hoc ex aliis quae immediate habet Rubrica verbis, *sed sive in mulieribus sive in viris alia corporis pars pro renibus ungi non debet*; ex quo fluit integralem tantum esse hanc unctionem, quod quidem de aliis quinque sensibus non dicitur, imo si unctio fieri in aliqua ex aliis quinque partibus nequit, aliquo suppleri modo debere ipsa innuit Rubrica per haec verba: *Si quis autem sit aliquo membro mutilatus pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma*; recta igitur distinctio haec inter *integralem et substantialem partem* dignoscitur, et in ipso Ritualis Rubricae contextu fundata.

Omnibus hisce positis, sive quae ad veterem pertinent disciplinam, sive quae diversam respiciunt praxim, sive quae ipsa habet Rubrica quoad partium liniendarum distinctionem, differentia legitime infertur unctionem inter et unctionem, inter partem et partem inungendam, et hinc quoad alicujus etiam partis locum diversum inungendum, quin haec diversitas (loquor de duabus partibus integralibus, quas distinguendo memoravi) aut Sacramenti validitati aliquid detrahat, aut ipsi liciitudini officiat; quod habet relate ad pedum unctionem Rubrica *attamen pedes etiam, et renes ungendi sunt*. Hic Rubrica non innuit an inferiori parte seu planta, vel in superiori pes sit ungendus, sed solum praescribit pedum unctionem. Fateor quidem, si pedum unctionem cum unctione manuum conferamus, colligi quodammodo posse inferiorem pedum partem, sive plantam esse liniendam; Nam cum de unctione manuum Rubrica loquitur, clare innuit manus interius esse ungendas exceptis Presbyteris de quibus ait: *manus vero quae reliquis infirmis interius ungi debent, Presbyteris exterius ungantur*. Idem dici deberet de pedibus licet Rubrica non innuat, sicut de manibus, nam tam Tit. XXXII. *de Sacramento extremae unctionis* tam XXVIII. *de ordine ministrandi Sacramentum extremae unctionis* pedes simpliciter nominat; In illo legitur *attamen pedes etiam . . . ungendi sunt*, in hoc legitur, *ad pedes*: Nihilominus facta comparatione unctionis pedum cum alia manuum, colligi posse dixi etiam pedes inferius esse inungendos quemadmodum, et manus interius, quia in hac parte, sicut in manibus, tactus praecipue situs est; Ad sensum autem tactus vidimus pedes pertinere, et unctio tactum respicit, per quam orat Minister Dominum, ut infirmo indulgeat quidquid per tactum deliquit; quia licet gressus (cujus culpas Minister Deum precatur ut remittat infirmo) totius pedis sit actus, tamen inferiori parti praecipue tribuitur, in qua tactum dici potest praecipue et sensibilius inesse, et qua terram immediate premit. Haec, non inficior, sponte fluere videntur, hoc ex instituta comparatione cernitur: Advertendum tamen est, nihil a Rubrica quoad pedes dici, quemadmodum de manibus, an in inferiori vel in superiori parte pedes inugendi sint: Ex hoc factum fortasse est, ut diversi, diverso in loco pedes inungant, quidam nempe juxta

diversam praxim ad plantam, quidam ad *tarsum*, sive partem superiorem, quidam ad *metatarsum*, ad eam scilicet pedis partem quae vulgo *collo del piede* dicitur, ut ex Baruffaldo colligitur, qui etiam haec habet: *Si vero infirmus non valeat movere prae lassitudine ex morbo proveniente, ungatur ea pars, quae commode magis prostat.*

Hoc admisso, silente Rubrica, quoad pedis locum, in pedum unctione, praxis varietate inspecta, necessitate ob infirmi ex morbo lassitudinem admissa, pedes ungendi in ea parte *quae magis commode prostat*, (quod aequivalet alteri unctioni faciendae in mutilatis in loco proximori parti quae deest) unum accedit quod despiciendum non foret: nempe quod sicut pes ex inferiori parte, et superiori constat, et pedis idea haec omnia comprehendit, quaecumque ex his partibus ungatur, verum semper erit pedem inungi, et nihil fortasse referet, an inferior vel superior illius pars ungatur; Neque dici stricte poterit contra Rubricam agere qui superiorem potius quam inferiorem partem inunxerit, vel vicissim, aut ab uno potius quam ab altero Rubricae praeceptum servari, vel violari. Quisque enim illorum Rubricam servasse dicet, statim ac pedem, quacumque in parte inunxerint, et quisque pro se Rubricam proferet quae *pedes et pedem* simpliciter nominat. Quae hucusque dixi, quaeque ex diversa praxi desumpsi, ex auctoribus deprompsi, et ex generica Rubricae locutione protuli, unctionem hanc de qua sermo est, liberam fortasse possent relinquere quoad locum, cum praxis contra praxim, usus contra usum posset afferri, non vero clarum et taxativum Rubricae praescriptum, nisi genericum de pedibus ungendis. Hinc nec Ecclesia unum fortasse prae altero reprehenderet, cum omnes aeque unctionis praeceptum servasse, ac neminem aut Sacramenti validitati detraxisse, aut contra licitam administrationem peregisse, posset aliquo modo contendi. Quot, quaeso, sunt quae in disciplinari oeconomia Ecclesia diversimode peragi permittit? Quot in praxi de aliquibus discrepantiae, in accidentalibus quidem, admissae, quae non prohibentur? Quot rituum varietates, quas Ecclesia ipsa conservat, quot consuetudines, quae dummodo rerum substantiam non attingant, retinentur, observantur, ut scandalum vitetur, ut dissidia removeantur, ut contentiones et jurgia praecaveantur? Hoc semper servavit Ecclesia, hoc Patres, sese ad prudentiam componentes, sequuti sunt. Narrat apposite ad rem nostram Augustinus, Divum Ambrosium sibi de variis ritibus dubitanti, et sciscitanti ita respondendo scripsisse: *ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus mores serva, si cuiquam non vis esse scandalo, aut quemquam tibi.* Id autem cum agebatur de non substantialibus, aut de iis quae fidem non respiciebant. Hinc ipse Augustinus scribit (*Epistola* 86.): *In his rebus de quibus nihil certe statuit scriptura; mos populi Dei, vel instituta majorum tenenda sunt, de quibus, si disputare voluerimus, et ex aliorum consuetudine, alios improbare, orietur interminata luctatio.* Addam his quae apposite pariter habet Tertullianus initio libri de virginibus: *Regula fidei una omnino est, sola immobilis, irreformabilis, caeterae jam disciplinae conversationis admittunt novitatem.*

Omnibus his positis, quae quidem non parvi momenti facienda videntur, quid de Parochis Rhedonensis Diaecesis erit dicendum? Quid de diversa, quae inter eos servatur, praxi decernendum? Sane exponit Illustrissimus Episcopus diversimode in sua Dioecesi sese Parochos gerere in administratione Sacramenti extremae unctionis, et ab

II. Utrum in Nuptiis, quae secundae dicuntur, omittenda sit benedictio Annuli? (1)

aliis pedum plantam, ab aliis superiorem partem inungi: Sed duo aeque fatetur nempe, *et utrosque usui inhaerere*, et ideo inhaerere, tum *quia de hac re* sileat *Rituale Romanum*, tum quia diversa *praescribunt Ritualia*, quae pro *quibusdam Galliarum Dioecesibus* edita fuere. En itaque rationes diversitatis quae inter praefatos Parochos advertitur in extrema untione administranda, quae diversitas apud eos in usum transiit, et in consuetudinem, cui unusquisque, *ipso fatente Episcopo, adhaeret;* Quod verbum *adhaeret*, demonstrat quodammodo, ita eorum quemque suum in hac re usum, moremque retinere velle, ut fieri fortasse posset, neminem ab hoc, quem hucusque servavit, esse recessurum, praesertim cum unusquisque, nulla disciplinari universali existente lege, silente Rituale Romano, diversimode praescribentibus variis Galliarum Ritualibus, respondere, aliter praecipientibus, fortasse posset, sese, sive in inferiori sive in superiori parte pedem ungat, pedem revera inungere. Ritualium suorum praescripta servare, nec inobedientiae notam ullo pacto mereri. Hac supposita, paulisper, proprio usui huc usque retento, adhaesione, hac ad novam praescriptionem responsione admissa, nonne scandalum aliquod posset oriri? Nonne irreverentiae in Episcopum locus daretur? Quod quidem scandalum vitandum est, multoque magis non est excitandum, juxta Ambrosii verba super relata, *morem ejus serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi?* praesertim cum de re agatur quae accidentalia respicit, in quibus juxta Tertullianum varietas esse potest, sive discrepantia: *Caeterae jam disciplinae ... admittunt novitatem;* non vero fidem et fidei substantiam, *quae sola nempe fidei regula* per eumdem Tertullianum *una omnino est immobilis, irreformabilis*. Quid insuper si quisque pro suo usu stare vellet? Si suum quisque morem defendere? Suam quisque consuetudinem diversis Ritualium praescriptionibus innixam tueri? *Orietur interminata luctatio* ut inquit s. Augustinus quam luctationem vitare debemus *quaeque ex aliorum consuetudinum improbatione excitatur*.

Quare, ut scandalum vitetur, ut oppositio, ut luctatio isthaec praecaveatur in hoc accidentali ritu, cum varia fuerit ex ritibus Ecclesiae disciplina, cum varia haec fuerit diversarum Ecclesiarum praxis quoad numerum partium inungendarum, et istarum aeque partium locum inungendum mos et praescriptio, cum nihil Rituale *saltem praeceptive* innuat, cum varia Galliarum Ritualia diversimode praescribant, cum denique vere ab utrisque dici posset aeque pedem inungi, quacumque in parte inungatur, ad scandalum vitandum quod forte posset oriri, ad luctationes praecavendas quae possent excitari, S. Congregatio sapienter aeque, ac apposite respondendum putavit: *scribendum Episcopo esse, ut prudentia adhibita hac in re nihil innovet*.

(1) Datur sponsae annulus in signum mutuae dilectionis eam inter et sponsum, et est tamquam pignus junctionis cordis utriusque, idque ex ipsa eruitur oratione, quam in dicti annuli benedictione adhibendam praescribit Ecclesia; in hac enim, et de fidelitate integra, et de mutua charitate fit mentio, in qua vivere uterque semper debet. Hinc s. Isidorus *de Ecc. Off.* scribit *capite* 19. *Illud vero quod in primis annulus a sponso sponsae da-*

*tur, fit, hoc nimirum, vel propter fidei signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur.* Ideoque non sacerdos hujus Sacramenti minister, non alius quisque, sed ipse sponsus sponsae digitum annulo ornat. Benedicitur vero annulus, ut omnis fascinatio a connubio amoveatur et idcirco, cum signum Crucis, benedictio Sacerdotalis, et aqua benedicta valeant (quemadmodum innuitur in ordine ad faciendam aquam benedictam) ad *effugandos daemones*, *et effugiat* (legitur in exorcismo salis) *omnis phantasia, et nequitia, vel versutia diabolicae fraudis. Ut fias aqua exorcizata* (legitur in exorcismo aquae) *ad effugendam omnem potestatem inimici, et ipsum inimicum eradicare et explantare valeas cum Angelis suis Apostaticis*; et in oratione sequenti ... *elemento huic* (aquae) *virtutem tuae benedictionis infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens ad abigendos daemones . . . divinae gratiae sumat effectum*: cum, inquam, signum Crucis, benedictio Sacerdotalis et aqua benedicta, ad effugandos daemones valeant, optime, sapienterque statuit Ecclesia Sancto edocta Spiritu, ad pacem in connubiis servandam hanc annuli benedictionem (quae inter Sacramentalia recensetur) instituere, et praescribere, et peculiarem orationem assignare, per quam annulus ab omni diabolica fraude, nequitia, versutia, malignitate purificetur. Jam, quaeso, cur haec annuli benedictio erit in secundis nuptiis omittenda? Numquid, qui secundo nubunt, pacem non tenentur inter sese conservare? Numquid non amari invicem debent, ut hoc mutui amoris signo debeant carere? Numquid mutuae fidei debito liberantur, (ad quam servandam aeque per secundum conjugium adstringuntur, ac si uterque primo nuberet) ita ut hujus fidei inter se servandae symbolico pignore non indigeant? Numquid diversa sunt sui status officia, aut matrimonii Sacramentum, quod secundo nubendo suscipiunt, ab aliorum matrimonii Sacramento differt, qui primo illud suscipiunt? Haec quisnam dixerit unquam, aut quamnam inter primas, et secundas nuptias differentiam quis unquam potuit afferre, ut hanc annuli benedictionem, quae ad allatos, et ab Ecclesia intentos fines instituta est, et peragitur, ab Ecclesiae ritibus excludat, aut omitti debere contendat, tamquam sine fine, sine significatione, sine ad aliquid relatione, adhibetur? Arbitrarie ergo nimis, hanc omittens benedictionem, Rubricae verba interpretatur, ab Ecclesiae intentione recedit, et finem non agnoscit, quem Ipsa, hanc instituendo praescribendoque benedictionem, habuit. Allata itaque verba Rubricae: *sed viduae nuptias non benedicat*: quae non recte interpretando, quidam Parochi, de quibus agitur, prohibitioni benedictionis annuli aptant, alio respiciunt. Siquidem non de omittenda quacumque benedictione in nuptiis, illic sermo est, sed de secundis nuptiis non benedicendis, sive de vidua, quae secundum contrahit matrimonium: nimis clara per se sunt ea verba, et nescio quomodo aliter possit quis ea interpretari.

Haec quidem nuptiae benedicendae non sunt: quae prohibitio nova in Christi Ecclesia non est. Nimis fortasse longus in scribendo essem, si illius originem vellem investigare, si rationes, quibus Ecclesia ad hoc statuendum permota fuit, perscrutari, si praxis hujus, quae nostra adhuc aetate servatur, fundamentum inspicere. Omnibus omissis, quaeque tamen su-

**sunt adulto Catholico valide post nativitatem baptizato, sed omissis Coeremo-**

pervacanea ad rem nostram forent, et quae apud Martenium, aliosque veterum rituum scriptores inveniuntur, quaedam indicabo, ex quibus non recta Rubricae verbis data interpretatio patebit, cum ea ex dicendis appareat differentia, quae inter annuli, et nuptiarum benedictionem intercedit, per quam istam, non vero illam omittendam indigitatur, et praescribitur. Ut res clarior reddatur et origo non benedicendi secundas nuptias appareat: apud Paganos, ut testatur Valerius Maximus *lib.* 2. *cap.* 1. secundae nuptiae intemperantiae argumentum et indicium habebantur, et quasi nefastae considerabantur, hinc Plutarchus in problematibus problem. 99. ait: *felices et faustae sunt primae nuptiae, secundae vero tristes et detestandae:* Martialis, aliique, alia et his majora addunt. At in christiana Ecclesia alteras nuptias Patres numquam damnaverunt, et Ecclesia ipsa semper tamquam vera et indubia Sacramenta retinuit, et recepit, matrimonii enim Sacramentum inter liberas personas non prohibuit, licet ob significatum, ut infra videbimus, virginem cum virgine nubere optasset, non inquam secundas nuptias prohibuit, ut contra Montanum, et Novatum hac in re definivit Concilium Nicaeum I. can. 8. Hinc est quod secundas nuptias juxta tunc vigentem disciplinam dumtaxat passa est Ecclesia, cujus mentem explicans Hieronymus contra eumdem Novatum scripsit ep. ad Marcell.: *Nos secundas nuptias non tam appetimus, quam concedimus:* quod clarius alibi explicat ep. nempe ad Gerontiam ita scribens: *Aliud est, quod vult Apostolus, aliud quod cogitur velle. Ut concedat secunda matrimonia, meae est incontinentiae, non illius voluntatis.... Duae sunt Apostoli voluntates, una, quae praecipit, et altera, quae indulget.... vult nos permanere post nuptias sicut seipsum ... sin autem nos viderit nolle, quod ipse vult; incontinentiae nostrae tribuit indulgentiam.* Quare ipsamet Ecclesia viduas, quae ad secundas non transierunt nuptias, maximi fecit, easque velut Cleri partem habuit, ut loquitur Tertullianus lib. 1. de Uxore quem, et cum eo alios, quos praetereo, adire quis commode poterit. Hinc juxta veterem disciplinam, certis aliquibus legibus secundae nuptiae inter Christianos, medio praesertim aevo intra certos limites arctatae erant, et nemini fas erat viduis nubere *absque suorum Sacerdotum, idest Parochorum consensu, et conniventia Populi*, ut decretum est in capitularibus Regum Francorum. Insuper nonnisi integro anni a mariti obitu relictae nubere permissum erat quod praesertim legimus in codice Theodosiano *lib.* 3. *tit.* 8. *de secund. Nupt.: Si quae ex foeminis perdito marito, intra anni spatium alteri festinavit innubere... probrosis inusta notis, honestioris, nobilisque personae, et decore ut jure privetur, atque omnia quae de prioris mariti bonis, vel jure sponsalium, vel judicio defuncti conjugis consequuta fuerat, amittat: Et sciat nec de nostro beneficio, vel adnotatione sperandum sibi esse subsidium.* Hanc antiquam legem confirmavit Decretalium jure de foeminis *Innocentius III. Decretal. lib.* 4. *tit.* 21. *cap. capite ultimo.* Uti autem imperiali edicto viduis *subsidia* denegata erant, ita eamdem tenuit disciplinam Ecclesia quae ab eleemosyna eas excludebat, *sed et ab eleemosyna Ecclesiae; dum indigna putabatur stipe; quae ad secunda conjugia devoluta erat.* Tandem Ecclesia, etsi secundas pateretur nuptias,

niis, quae juxta Rituale Baptismum praecedere, vel sequi debent: an illae,

secundo nubentibus poenitentiam canonicam imponebat, quam dum illi exsolvebant sacra carebant communione. Ea fuit antiquitus Ecclesiae disciplina, ut docent vetustiora Concilia Ancyranum, Laodicoenum, et Neocaesareense. Tempus autem hujus poenitentiae, Saeculo 4, quandoque ad annum, quandoque etiam ad biennium protendebatur. Cum autem secundo nupti huic adjicerentur poenitentiae, neque Presbytero licitum erat interesse eorum convivio.

Ad liturgica etiam officia quod attinet, aliqua adnotanda sunt: et primo quidem: etsi sponsus viduae, cui spondebat, annulum traderet, tamen (medio potissimum aevo) vidua manum chirotheca quadam tectam habebat, ut Martenius refert: secundo nulla aderat sacerdotalis benedictio; homini enim ait Hilarius *comment. in Cap.* 4. epist. 1. ad Timoth. *unam uxorem decrevit Deus, neque enim secunda benedicitur*: quare S. Caesarius sic Christianos sui aevi hortabatur *sermone* 289. *Qui uxorem optat accipere, sicut illa Virginem invenire desiderat, ita ipse usque ad nuptias virgo sit; quia si non fuerit, benedictionem accipere cum sponsa non merebitur.* Similia his habentur in Constitutionibus Summorum Pontificum relatis *Titulo XXI. Decretalium Vir autem.* Urbanus Papa III. Vigiliensi Episcopo rescribens, rationem affert cur secundae conjugum nuptiae non benedicantur: *Quia*, inquit, *alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet.* Audiendus hac in re etiam Durandus in *Rationali lib.* 1. *Cap.* 9. *Nuptiae benedicendae sunt a Sacerdote cum precibus et oblationibus, veruntamen vir et mulier ad bigamiam transiens matrimonium contrahendo non debet a Presbyteris benedici, quia cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio non debet iterari .... Non ergo debent nuptiae benedici, nisi ubi virgo cum virgine contrahit.* Aliam de hac non impertienda in secundis nuptiis benedictione rationem affert s. Thomas *in VI. sententiarum Dist.* 42. *quaest.* 3. *art.* 2. *ad* 2. *nempe, quia secundum matrimonium in se consideratum, sit perfectum Sacramentum, tamen in ordine ad primum consideratum, habet aliquid de defectu Sacramenti, eo quod non habet plenam significationem, cum sit una unius, sicut est in matrimonio Christi et Ecclesiae;* juxta Paulum Apostolum dicentem *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico Christi et Ecclesiae.* Hinc ratione hujus defectus (plenae significationis) benedictiò in secundis nuptiis non datur. At idem s. Doctor hoc vult esse intelligendum, si secundae nuptiae tales sint ex parte viri, et ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantum: si enim virgo cum illo nubat, qui aliam habuit uxorem, nuptiae nihilominus benedicuntur; quod habet etiam Durandus citato superius loco. Tali enim in casu sarta quodammodo, tectaque significatio in ordine etiam ad primas nuptias, manet, ut idem s. Thomas fusius clariusque explicat, cujus doctrina conformis est, et favet quamplurimum his quae habentur in Rituali §. *Caveat etiam;* in quo haec leguntur: *Ubi ea viget consuetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, benedicantur, servanda est:* Quam quidem consuetudinem sua aetate aliquibus in locis extitisse Durandus testatur: *Secundum quorumdam locorum consuetudinem, siquis contrahat cum secunda virgine benedictio iteratur, et hoc si Dominus Papa sciat, et toleret.*

Priusquam concludam, aliquid addam quoad liturgiam in secundis nuptiis. Bigami Missae dumtaxat sacro aderant, neque velamine, *juxta Isidorum de div. Off. lib.* 2. *Cap.* 19. *seu* FLAMMEO ornabantur; ad cujus finem neque coronis (quemadmodum apud Graecos olim) ut cum univiris fiebat, a Presbytero donabantur, qui sane mos apud Graecos servatus est usque ad Copronymi Imperatoris aetatem: cum enim hic Eudoxiam in tertiam uxorem sibi adsciverit, eique corona fuerit elargita, jam tum et bigami coronari coeperunt, quod, in Constantinopolitana Ecclesia, et paucis aliis Orientis locis peragebatur. Allatius enim nos docet de consen. *Orien. lib.* 3. *cap.* 13. *in reliqua Graecia* ad suum usque tempus, *secundum exactam disciplinam, et antiquam consuetudinem, bigamos non coronari:* Ubi autem coronabantur aliquod etiam erat discrimen in corona ferenda; Qui enim virgo esset, in capite, vidua vel viduus in humero coronabatur, atque illa in capite, alter in humero coronam ferebat ut docet Theodorus Studita *epist. ad Maucrat,* En in ipsa liturgia differentia inter nuptias viduarum, et nuptias quas virgines contrahebant.

His omnibus de omissione benedictionis, de qua in dubio agitur, expositis, et ex disciplina Ecclesiae et sua origine desumptis, differentia apparet, quae benedictionem inter et benedictionem reperitur. Benedictio in viduae nuptiis omittitur, quia juxta veterem disciplinam omittebatur, quia Ecclesia, licet inter personas liberas inita Matrimonia tamquam vera matrimonia tamquam vera Sacramenta habuerit, tamen virginem cum virgine nubere optasset, neque per hoc secundas nuptias damnavit, aut damnat, quin immo contra Montanistas et Novatianos, qui jure damnati sunt, docet secundas nuptias, et ulteriores quoque, vere esse nuptias, ac per se licitas atque honestas, et in Montanistarum incideret errorem, si quis forte secundas, et ulteriores nuptias illicitas, aut damnandas esse putaret. Omittitur item benedictio haec, quia in secundis nuptiis, juxta D. Thomam non plena habetur significatio matrimonii cum Christo, et Ecclesia. Omittitur denique, quia olim Ecclesia, quae secundas non improbando nuptias, eas nonnisi certis legibus, et conditionibus permisit, quibus omnibus juxta praesentem disciplinam sublatis, hoc solum statuit, ut nempe viduarum nuptiae non benedicantur. Jam quae comparatio nuptiarum benedictionis cum benedictione annuli, ut ex omissione illarum, hujus etiam benedictionis omissio debeat inferri? ut quod Ecclesia de nuptiis dicit de annuli etiam benedictione id dixisse putandum sit? immo reapse debeat omitti, sicut et illa omittitur? Quae sit caussa benedictionis annuli, quid ipsa significet, quid in nubentium memoriam revocet, ad quae illa, amoris, pacis, fidelitatis obeunda munera nubentes provocet, jam vidimus; quae toto caelo ab iis distant, quae de nuptiarum secundarum benedictione omittenda retulimus. Quare cum benedictiones istae inter se comparatae, summopere, quoad omnia etiam differant, cum rationes quas habuit, et habet Ecclesia in omittenda viduarum benedictione, annuli benedictioni aptari prorsus nequeant, cum denique hujus benedictio peculiares habeat ad conjugum respective spirituale bonum procurandum rationes, et finem, numquam sive in primis, sive in secundis, sive in ulterioribus etiam nuptiis omittenda erit.

quae in Rituali assignantur pro Baptismo Adultorum, vel quae pro Baptismo Infantium? (1)

(1) Duo haec sunt Dubia quibus iisdem fere rationum momentis potuit occurri, ac simul consideratis unica responsione satisfieri. Duo sunt in Rituali Romano Tituli, in quibus agitur de Baptismo; *Titulus septimus*, qui agit de Baptismo parvulorum; *titulus duodecimus*, qui de Baptismo Adultis conferendo pertractat: Duo pariter sunt Baptismi *Ordines*, qui diversas respective caeremonias, exorcismos, preces praescribunt, et baptismo, vel Infantibus, vel Adultis conferendo respondent. *Titulus denique decimus quartus* modum praescribit ea supplendi, quae in baptismi collatione sunt omissa, cum hoc Sacramentum, ob imminentis mortis periculum, vel alia urgente necessitate collatum est, et inscribitur: *Ordo supplendi omissa super baptizatum.*

Novum non est quod cap. V. statuit Rituale de caeremoniis in baptismo omissis postea supplendis. Consuevit Ecclesia vel a primis saeculis aliqua, quae in conferendo baptismo omissa erant, supplere. Cum ii, qui in lecto decumbentes (clinici idcirco vocati) baptizabantur, si convaluissent, Episcopum adire tenebantur, ut ea omnia supplerentur, quae, urgente necessitate, omissa fuerunt in baptismo. Id constat et antiquis ac probatissimis monumentis, ita ut vetus Ecclesiae disciplina super hoc in dubium nequeat revocari. Omnia hic persequi longa nimis res esset, quaedam afferam. Liquet ex *lib. IV. historiae Ecclesiasticae* Eusebii, Cornelium Papam in epist. ad Fabium Antiochum, *Novatem redarguisse, quod postquam liberatus a morbo est, reliqua non perceperit, quae juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus est*: ex his eruitur Cornelium Papam docere, male se gessisse Novaten, quod suscepto in lecto baptismati, addi deinde non curaverit ritus alios, quos Ecclesia in conferendo baptismate adhibebat, sive qui praecedebant, sive qui subsequebantur, quorum quidam diversam catechesim continebant, quidam varias abrenuntiationes, et Fidei professionem, quae omnia non inutiliter, sed ad finem aliquem ab Ecclesia statuta erant. Item Auctor de Rebaptismo inter Cypriani opera haec generatim habet col. 637. *Siquidem per nos baptismo tradetur integre et solemniter, et per omnia, quae scripta sunt assignetur atque sine ullius rei separatione tradetur: aut si a Minore Clero per necessitatem traditum fuerit eventum expectemus, ut, aut suppleatur, a nobis, aut a Domino supplendum reservetur.* Censet itaque hic scriptor sane antiquissimus, et Cypriano coaevus suppleri posse post baptismum ritum aliquem, qui antea omissus fuisset. In Concilio Laodicoeno can. 47. legitur; *quod oportet eos, qui in morbo baptismum accipiunt, et deinde resurgunt, fidem ediscere et nosse, quo Divino munere digni habiti sunt.* Ex his patet, praeter confirmationem, quae olim per Episcopum simul tradi consueverat, etiam catechesim adjungi consuevisse et alia quae defuerant. Omnia, quae ad rem hanc apposite faciunt persequi, nec tempus sinit, nec res ipsa stricte postulare videtur, et haec sufficiunt pro instituto suscepto. Quae autem Ecclesiae super hoc fuerit disciplina omnibus compertum est, atque hinc plura referre praetermitto, quae apud D. Augustinum, Zenonem, Cyrillum Hierosolymitanum, Ambrosium reperiuntur, quos refert Martenius lib. 1. cap. 1. art. 15. n. 2. de antiquis Ecclesiae Ritibus.

Fuerunt qui putarunt, post colla-

tionem baptismi, quosdam ritus non convenire, ut illos, per quos indicatur catechumenum adhuc sub Daemonis esse potestate nempe *Exorcizo te spiritus immunde . . . ut discedas ab hoc plasmate Dei, quod Dominus noster ad Templum Sanctum suum vocare dignatus est, ut fiat Templum Dei vivi* ab eo enim qui baptizatus jam est, expulsus est Daemon, atque Dei vivi templum factus ipse est: at male, nam ad omnem inconvenientiae ideam tollendam, sapienter Ecclesia statuit mutationes aliquas faciendas in hoc exorcismo, in quo pro *fiat, fieret* poni constituit, quae mutatio respicit statum catechumeni baptizati ante baptismi susceptionem, non vero post susceptum baptisma in necessitate collatum: idem dicendum de catechismo ad Fidei instructionem, quam exclusam vellent, quia in Patrini Fide firmi sunt, qui spoponderunt, atque ita ea suppleri tantum vellent, quae baptisma sequuntur; sed male item, quia Ecclesia quidquid omissum est, suppleri statuit: quod satis superque esset, ne quis diverse sentiret, sed et haec est supplendi ratio, nec inutiliter peraguntur, juxta Theologos, quae supplentur. Audiatur prae omnibus s. Thomas parte III. de Sacramentis quaest. 71. art. 3. ad 3. qui haec tradit: *Non tamen sunt praetermittenda ea, quae aguntur in exorcismo, nisi in necessitatis articulo, et tunc cessante periculo, debent suppleri, ut servetur uniformitas in baptismo: nec frustra supplentur post baptismum, quia sicut impeditur effectus antequam percipiatur, ita potest impediri postquam fuerit susceptus.*

Haec quae supplenda dicuntur, scilicet ritus et caeremoniae, quae praecedunt, vel subsequuntur, licet non sint ad Sacramenti substantiam necessaria, nihilominus cum sint Sacramentalia, quae Ecclesia instituit, et quae aliquam habent significationem, habent finem aliquem, et effectum aliquem producunt, et idcirco omitti non debent, et consequenter supplenda sunt in iis, qui vel, urgente, necessitate, vel apud haereticos, aut quocumque errore sine ipsis sacro sunt regenerati lavacro. Hinc fuit et est vetus et recens Ecclesiae mos, qui *praxis* ab Estio nuncupatur, quam variis rationibus confirmat *in IV. Sent. dist.* 6. §. 5. easque ibi adducit; quarum prima est, ne Sacramentum careat solemnitate, tunc enim caeremoniae referuntur ad baptismum praecedentem, atque idcirco non est absurdum etiam illas adhibere, quae solent baptismo praemitti, veluti catechismus: secunda, exorcismus, etiam post baptismum aliquid agit atque per hoc utilis est, ut patet ex nuper allatis D. Thomae verbis *quia sicut impeditur effectus baptismi antequam percipiatur, ita potest impediri postquam fuerit perceptus*, quemadmodum et Cyprianus monet lib. IV. ep. 7. Sicut Diabolus *in baptismo fide credentis excluditur, ita potest, fide postmodum deficiente regredi*: tertia, ut servetur baptismi uniformitas juxta D. Thomam, sicut enim unum est baptisma, ita easdem caeremonias servari convenit: quarta ut publico hoc ritu Ecclesia baptismum a quocumque collatum, ratum se habere declaret: quinta ut baptizatus publice habeat susceptorem sive Patrinum, cui sit cura illum christiane et catholice instituere: sexta demum, ut baptizatus, expressa per susceptorem sponsione, obligationem suam agnoscat, quidque Deo, quidque Ecclesiae debeat, intelligat.

His omnibus positis, quid Rituale dicit Titulo qui inscribitur *Ordo supplendi omissa super baptizatum*? Post-

Fidem Catholicam conversus baptizandus est sub conditione, ob dubium fundatum de validitate Baptismi ipsi a Ministro haeretico collati? (1)

quam §. 1. dixerit: *omnia suppleantur etc.* sic sequitur *Idemque ordo ac ritus servetur, qui in baptismo parvulorum (si fuerit parvulus) seu adultorum (si fuerit adultus) praescriptus servetur.* Ex his verbis videri aliquibus fortasse posset, super adultum quemlibet, nulla facta distinctione, eumdem omino in supplendis omissis caeremoniis ordinem esse servandum, qui pro adultis generice praescriptus est. At distinguendum, hoc in casu, adultum inter et adultum: adultus in catholica Religione ortus, ab adulto qui in infidelitate vel haeresi ortus fuit, et vixit, est distinguendus atque hinc non omnibus indiscriminatim adultis eumdem ordinem servandum esse patebit. Siquidem Adultus, de quo sermo est in primo Dubio, super quem omissae caeremoniae servandae sunt, *valide baptizatus* dicitur post nativitatem, *et catholicus* eodem tempore dicitur: cum itaque duo sint ordines baptismi, Infantium nempe et Adultorum, et ritus et caeremoniae in ordine baptismi Adultorum diversi sint ab illis pro Infantium baptismo praescriptis, non omnibus aeque adultis (inspecta ordinis diversitate) idem ordo pro adultis adsignatus servandus est: ordo enim unus supponit adultum non in Fide natum, sed ab *Infidelitate ad Fidem venientem, vel ab haeresi etc.*; alter autem in Catholica Fide et ex Catholicis natum Parentibus supponit. Ille instructionem in Fide praescribit quemadmodum de Eunucho Candacis Reginae dicitur, qui postquam in Fide de Messiae adventu, morte, Resurrectione a Philippo instructus fuit, ab eo baptizatus est. Ille insuper continet ritus, exorcismos, preces, quae aptari nequeunt illis, qui in Catholica Religione orti sunt, ut omnibus patet: hic nihil de his habet. Hinc sicut ordo pro Adultis praescriptus servari non debet pro Infantibus ex catholicis parentibus natis, ita nec ordo idem supplendi omissa pro dictis infantibus aeque pro Adultis debet adhiberi. Siquidem si in Infante Catholico omissae caeremoniae fuissent, quaenam, quaeso, fuissent servatae si post dies aliquos tantum debuissent suppleri? Non aliae sane, nisi quae omissae fuerunt, sed quae fuerunt omissae illae fuerunt, quae pro infantibus praescriptae sunt, non pro adultis, igitur Caeremoniae non adultorum sed Infantium suppletae fuissent. Jam in adulto, de quo in primo Dubio sermo occurrit, cum is ex catholicis parentibus ortus sit, ac post nativitatem sit baptizatus, non aliae sunt omissae caeremoniae, nisi illae quae fuissent tunc post nativitatem servatae", quaeque una cum baptismo fuissent adhibitae, sed hae fuissent quae pro Infantibus praescribuntur: igitur quae pro Infantibus praescribuntur, fuissent suppletae; sed in supplendis caeremoniis illae servari debent quae omissae sunt. Infantium ergo caeremoniae in adulto nostro, qui catholicus natus est, suppleri, et servari debent: secus ritus, caeremoniae, preces servarentur, quae illius statui ac Religioni non respondent; nec Ecclesiae intentioni, et fini conformes sunt: quibus rationibus attentis S. Congregatio ad hoc dubium respondendum censuit *Caeremoniae et preces serventur, quae in Rituali adsignantur pro baptismo Infantium.*

(1) Quod attinet ad Dubium alterum diversa adultorum qui ab haeresi veniunt et adultorum qui in Catholica Religione sunt orti, conditio est. Illorum praecipue conditionem respicit ordo baptismi, qui pro adultis inscri-

bitur, qui autem catholicus natus est, nihil habet quod instructione in fide indigeat, nihil quod errorum detestationem exposcat, nihil quod contra Fidem senserit debeat revocare. Qui vero ex Infidelitate, vel ab haeresi ad Fidem veniunt, aliqua habent peculiaria, quae peculiariter detestentur, revocent, profiteantur. Hinc Rituale Romanum apposite sub Titulo *de baptismo* Adultorum §. 16. haec habet: *ubi vero debita forma et materia servata est, omissa tantum suppleantur, nisi rationabili de caussa aliter Episcopo videatur.*

Jam quod spectat ad Catechismum, ad exorcismos diversi sunt hi in adultis ab illis, qui in parvulis adhibentur, et licet caeremoniae sint eaedem, verba tamen eadem non sunt, quia in Adultis respectum habent vel ad Idololatriam, vel falsam Religionem, vel superstitionem, vel perfidiam in erroribus, ut in hebraeis Messiae adventum denegantibus, vel haeresim, ac propterea haeresim, cui adhaeserunt, necesse est ut agnoscat Minister dum vel in Fide illum instruit, vel exorcizat, ut apta verba, et in catechesi, et in exorcismis adhibeat: et quemadmodum infideles debent de peccatis suis poenitentiam agere, ita et haeretici de suis erroribus, quos detestari singulariter tenentur. Potest enim fieri *ut quis*, dicente Augustino *lib. de Baptismo, integrum habeat Sacramentum, sed perversam Fidem.* Hinc haec fuit vetus Ecclesiae disciplina ut haereticis haereticam pravitatem horrescere indixerit, antequam aqua salutari ablueret. Quin immo grassante aliqua haeresi, Fidei articulos pravis illius haeresis erroribus oppositos olim peculiari modo haereticis baptizandis, vel etiam aliis credendos, profitendosque proponebat; quibus illos singulariter detestarentur. Locum proferam ex epistola Nicetii ad Justinianum Imperatorem desumptum apud Chesnium Tom. I. Historiae Francorum, ex quo id patet: *Dulcis*, legitur ibi, *et dulcis Noster Justiniane memorare quae promisisti cum baptizatus es, quid per singula te credere dixisti, cum unum Filium manentem in duabus substantiis cum Patre, et Spiritu Sancto non duos Christos testatus es:* quae quidem Fidei professio impio Nestorii opponebatur errori, qui duas in Christo personas asserebat, duosque docebat esse Christos, unum Filium Dei, alterum Filium hominis, ac proinde Mariam Matrem non Dei, sed hominis esse, et Christotocon, non Theotocon esse appellandam.

Haec quidem est vetus Ecclesiae disciplina, ut baptizati apud haereticos, cum dubium non leve, sed prudens de baptismi validitate oritur, rite et sub conditione baptizentur. Rubrica Ritualis Romani *in ordine snpplendi omissa super baptizatum* §. 1. inquit: *omissa omnia suppleantur.* Jam (redit hic eadem ratiocinatio, qua in superiori usus sum dubio) ea supplenda sunt, quae fuerunt omissa, sed in casu omissa sunt, quae respiciunt haereticum, nempe peculiaris Catechesis, peculiares exorcismi, peculiares abjurationes errorum, et sectae cui adhaesit, haec igitur omnia supplenda essent in haeretico nostro adulto, qui ab haereticis baptizatus, quia de illius baptismi validate dubitatur, sub conditione baptizandus esse dicitur. Rubrica absolute inquit, *omnia suppleantur;* sed supplenda sunt, quae sunt omissa, haec autem sunt quae haereticum respiciunt; omnia ergo, quae illum respiciunt suppleri debent.

Nec inutiliter hoc Rubrica praecipit: in adultis enim hujusmodi, patet etiam

tari privilegiato celebratis, quando ex statuto de die, aut festo celebratur iis

utilitas horum Sacramentalium, quae omissa supplenda dicuntur, quia undequaque infirmitatibus sunt circumdati, et valido ad eas repellendas scuto indigent; atque hinc est, quod Rubrica omissiones supplendas praescribit.

At eadem Rubrica (aliquid adnotandum censeo) Ritualis Tit. *De baptismo adultorum* quem supra attuli §. XVI. haec habet: *Omissa tantum suppleantur, nisi rationabili de caussa aliter Episcopo videatur.* Haec non inutiliter habet Rubrica. Postrema haec verba cum aliis *in ordine supplendi omissa* relatis conferenda sunt, in quibus absolute dicitur *omissa omnia suppleantur*: ex illis liquet non ita stricte servandam esse hanc Rubricam, ut quae supplenda essent, omitti numquam possint. Datur enim casus quod Episcopi (statim ac ipsi illorum prudentiae res committatur) possint dispensare a supplendo omissas caeremonias, si quae sunt rationabiles causae, quae illos ad haec ipsa omittenda moveant; ne forte innumerae oriantur dissensiones, de baptismo ipso, de necessitate earumdem caeremoniarum, et praecipue in civitatibus, in quibus magnus Haereticorum numerus reperitur; cum praesertim validum sit baptisma sine his caeremoniis collatum. Addam postremo quod habet Trombellius *Dissert. XVIII.*, in cujus secunda parte agit de caeremoniis in baptismo privatim administrato omissis, et postea suppletis. Multos ipse auctores refert, qui de Rituali agunt, et ipsa Ritualia diversa depromit. *Ambrosianum* a Martenio integrum relatum; *Rituale* Cardinalis Sanctae Severinae, seu, ut alii volunt, Gregorii XIII., ac Clementis VIII, quod Rituale maxime commendat Paulus V., in praefatione Rituali Romano praeposita, affirmans fuisse a Viro singulari pietatis, et doctrinae b. m. Julio Antonio S. R. E. Cardinali S. Severinae nuncupato longo studio multaque industria, et labore plenissimum compositum; Rituale ipsum Romanum Pauli V. jussu editum, et hoc Rituali, quod reliquis omnibus est usitatius, usus praesertim fuit praestantissimus Joseph de Armstat Episcopus Augustanus. Hoc idem Rituale sive nostrum Romanum consuluit pariter praeclarissimus Cardinalis Armandus Rohan Episcopus Argentinensis, dum in Rituali Argentinensi edidit ordinem supplendi caeremonias tam super infantes qui sine ullis caeremoniis sunt baptizati, quam super adultos, pag. 60. 61. Multa quidem adjecit ad utilitatem, dignitatemque baptismi, et caeremoniarum quae in eo adhibentur copiosius explicandam, ex quibus constat ita Ecclesiam preces et ritus in baptismo administrando praescriptos accommodasse, ut iis rectissime utatur dum ab Ecclesiastico Ministro in sacro templo, et in publico fidelium coetu suppleri jubet quod in privata baptismi collatione omissum fuerit. Multa inquam adjecit, sed sic ordinem praedictum supplendi caeremonias baptismi super adultos concludit: *Haeretici ad Ecclesiam Catholicam venientes, in quorum baptismo debita materia, debitaque forma servata fuit, moneri quidem possunt post factam a se haeresis abjurationem, ad suscipiendas hasce baptismi caeremonias; Sed cogi non debent: Iis solum conferantur, sive infantibus sive adultis, qui, vel quorum parentes ea ex pia devotione expetierint.* Haec conformia maxime sunt iis quae Rituale Romanum habet, quaeque supra retuli, nempe *omissa tantum suppleantur, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur* et fortasse hanc omissionem, vel prudentiam in omissione exposcit, vel contentionum

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Quirinales Aedes infrascripta die coadunata, exquisito prius Voto alterius ex Apostolicarum

qui Decretum super hac re edidit, quod et confirmavit Clemens XI, et haec apud Benedictum XIV indicata reperiuntur Institutionum XXXIV. §. 26, 27., in quorum primo ait Pontifex: *Juxta Missalis Rubricas Missae privatae pro defunctis quocumque die dici possunt praeterquam in Festis duplicibus, et Dominicis diebus, item quibus diebus de Festo duplici nullum officium institui potest:* et jure, nam si dies excludunt officium duplex, eo magis excludunt *Missas Votivas* et de *Requiem.*

Itaque Missae Altaris privilegiati debent esse de Requiem, nisi hae nequeant celebrari vel ratione Festi duplicis, vel quia vetantur. Ex his omnibus inferendum est, Missas ad lucrandam Indulgentiam pro Defunctis in Altari privilegiato sive *locali* sive *personali* non solum posse, sed etiam debere esse de *Requiem*, nec ullam caussam requiri ut celebrentur in diebus non vetitis sive occurrat de Sancto simplici, sive de Feriis Adventus. Dixi *debere*, et de jure, nam eo ipso, quo quis diebus istis non celebret de Requiem, privilegio vel locali vel personali facto renunciat cum ex lege, ex conditionibus memoratis hisce diebus, ut privilegio gaudeat, Missam de Requiem celebrare tenetur. Quare clare evincitur diebus in Dubio memoratis et a clausula Episcopi Rhedonensis, hodierni Episcopi praedecessoris exclusis, non modo posse, sed et debere Missam de Requiem celebrari, ne frustraneum Altaris privilegium reddatur.

Quid plura? (et hoc ad omnem removendam praecavendamque dubitationem aliis adductis adjungam) Episcopus Rhedonensis rationem inquirens clausulae a suo Praedecessore Missali adjectae pro celebratione Missarum (quod quidem nescio qui fieri posset) advertit, ideo fortasse fuisse adjectam quia dari poterat Sacerdotes raro de feria, aut de Sancto celebrare, quia in Diaecesi Rhedonensi multo plures dicuntur Missae pro Defunctis, quam pro quacumque alia caussa, *ita ut ex centum stipendiis*, nonaginta, *ad minus* dentur in gratiam defunctorum. Si ita est, jam ratio celebrandi memoratis diebus etiam iis, quos clausula praedicta exclusos vellet, majorem vim accipit. Est igitur ratio potior cur defunctorum animae suffragio peculiari non priventur, et est potior et gravior ratio ob quam, cum possit, debeat in altari privilegiato vel personali, vel locali celebrari Missa *de requiem.* Et si lex generalis Rubricarum, quas Gallia recepit (recepit autem, et eas servandas ostendit, nam et Pontificum et S. R. C. super Rubricis edita appellat) si, inquam, lex generalis, talis est, ut memoratis diebus, in quos vel Festum de simplici, vel feriale officium, vel adventus cadit non solum permittit celebrationem Missae de *Requiem*, sed et ad eam obligat, statim ac nullus privilegio gaudet nisi hujusmodi Missas celebret iis diebus; cum insuper particularis cujusdam Episcopi dispositio, huic universali praescriptioni opponatur, non illi sed huic standum est, atque idcirco his diebus Missa de Requiem dicenda est, ut et lex servetur, et ne purgantium animae paculiari piaculo priventur, neve ex hac particulari Episcopi Rhedonensis dispositione et clausula patiantur detrimentum.

Si haec non sufficiant, addam et alia, ut hodierno Illmo Episcopo satisfiat illiusque animus acquiescat. Ecclesia animarum suffragio consuluit, et fidelium viventium voluntati; Ne enim illae suffragiis privarentur, voluit, quod si ex benefactorum praescripto Missae de re-

Coeremoniarum Magistris scriptis pandito, praeloque cuso, ad relationem Eminentissimi, et Reverendissimi D. Card. Caroli Mariae Pedicini Episcopi Praenestini, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarii, eidemque Sacrae Congregationi Praefecti, et Causae hujus Ponentis rescribendum censuit Iuxta Votum Magistri Coeremoniarum, nimirum.

Ad I. *Nihil innovandum.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Coeremoniae, et preces serventur, quae in Rituali assignatur pro Baptismo Infantium.*

Ad IV. *Quatenus supplendae sint, et supplendae credantur Coeremoniae ut in Dubio, illae supplendae sunt, quae pro Adultorum Baptismo sunt praescriptae.*

Ad V. *Negative.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 27. Augusti 1836.

4632. LUCERINA.

Capitulum et Canonici Regiae Cathedralis Lucerinae praecedentibus Annis novo illius Ecclesiae splendori et ornamento prospicientes Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papae XVI. humillime supplicarunt, ut memoratum Templum antiquitate ac majestate celebre Basilicae Minoris titulo Insignibusque decorare dignaretur, ipsosque Canonicos Pontificalium usu ad instar Abbatum in sacris peragendis officiis ornare. Benigne clementerque a Sanctitate sua excepto Supplici Libello, per Apostolicas litteras in forma Brevis expeditas die 8. Augusti 1834. Cathedrale Templum Lucerinum Basilicae Minoris Titulo fuit decoratum et Pontificalium usus Sacrorum Rituum Congregationis auctoritati et judicio ab Eadem subjectus fuit, quae in Ordinariis Comitiis ad quirinales Aedes die 6.

quiem celebrandae incidant in Festum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, sed dicantur de Festo currenti cum applicatione Sacrificii juxta mentem eorumdem benefactorum. Patet id ex decreto generali *sub die* 5. *Augusti* 1662. in authentica collectione Decretorum *Num.* 2031. Idem confirmavit S. R. C. in Elboren. sub *Num.* 3134. in quo servandum esse hoc generale Decretum statutum fuit. Idem sancitum reperitur sub *Alexandro VII. die* 20. *Julii* 1669. Idem denique *in Tirasonen. die* 15. *Septembris* 1714. Quare non video cur de hoc possit dubitari. Sive igitur dies inspiciamus, de quibus in dubio, cum hi dies sint feriales, vel eos in quos incidit festum de simplici, tales sunt ut in his non solum possit sed debeat celebrari Missa de requiem, sive S. C. R. decreta investigemus, quae permittunt, ut in duplicibus etiam, de festo occurrente Missa celebretur cum applicatione Sacrificii, juxta Benefactorum mentem, et in utroque casu provisum sit animarum suffragiis: in primo, servando regulas statutas quoad privilegium Altaris vel locale, vel personale, et celebrando Missam de requiem; in secundo autem permittendo Missam de festo cum applicatione Sacrificii, si inquam, haec omnia consideremus, clausula praedicta nihil officit. Quare patet. *Non comprehendi in citato decreto diei* 15. *Septembris* 1714. *dies vel feriales, vel de festo simplici, itemque opus non esse nova concessione pro applicatione aliis diebus, et dari posse decretum generale jam datum quod nuper relatum est,*

Septembris ejusdem Anni 1834. coadunata, re mature, diligenterque discussa *negative* rescribendum censuit. Quum autem recensitis in literis generice sermo instituatur de privilegiis, gratiis, praeminentiis, exemptionibus, indultis, quibus aliae Basilicae Minores utuntur, harum litterarum Secratarium Canonici adiverunt postulantes, ut sibi significaretur, quidnam privilegiorum, gratiarum, caeterorumque praemissorum nomine veniat, quibus dum Titulo Basilicae Minoris Ecclesia aliqua decoratur, illius Canonici honestantur. Nulla apposita declaratione recepta per alium supplicem Libellum Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicarunt, ut sibi significaretur quid eorumdem verborum, seu vocum nomine veniret, atque hoc potissimum fine, ne aut concessionis fines ipsi excederent, aut aliquid sibi ex concessis adimerent; atque in Ordinariis Comitiis iterum ad Vaticanas Aedes die 12. Martii vertentis Anni coadunatis rescriptum Supplici Libello fuit: « *Dilata et exquiratur votum Magistri Coeremoniarum.* » Omnibus propterea rite postmodum dispositis panditoque hujusmodi Magistri Coeremoniarum Voto, quod fuit etiam typis cusum ut prae omnium manibus haberetur, in Ordinario demum coetu ad quirinales Aedes infrascripta die, coadunato, ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Iacobi Brignole Ponentis, Sacra Congregatio re mature, diligenterque discussa, ac rite librata rescribendum censuit: *Juxta votum Magistri Coeremoniarum excepta Palmatoria* »; (1) *declaravit nimirum*

(1) Quibus honoribus, quibus privilegiis, quibusve praerogativis honestatae sint Basilicae sive majores, sive minores incertum sane est, et quod sciam, et quod legerim apud Liturgicos nullus fortasse inter scripteres reperitur, qui de hoc fuse saltem appositeque pertractet. Scriptores enim qui de Basilicis agunt toti in eo plerumque sunt ut vel vocis etymologiam inquirant, vel ex profano sacrum illarum usum memorent, vel internam externamque illarum formam, structuram, ornatum, magnificentiam, splendorem describant, atque hinc nihil ab illis decerpi aut sumi potest, quod nostro huic proposito possit accommodari.

Dixi, initio incertum omnino esse quibus privilegiis gratiis etc. Basilicae gaudeant, nam, ut plurimum, non gaudent privilegiis, et praerogativis quae intrinsece, et absolute iis debeantur, sed iis, quae ipsis per varia tempora concessa fuerunt, ac proinde non omnia omnibus communia sunt, unde, reipsa videmus quasdam privilegiis, et honorificentiae insignibus gaudere, quibus aliae prorsus carent. Id autem ex eo evenit, vel quia Ecclesiis quibusdam ob earum antiquitatem et celebritatem aliquid prae aliis concessum fuit, vel quia Summi Pontifices alias prae aliis honestatas voluerunt ob aliquod singulare et praeclarum in Christi Ecclesiam facinus, vel in ipsos Romanos Pontifices benefacta, vel quia Clerus ipse optime de Ecclesia, et Pontificibus meritus decorari singulariter dignus habitus fuit. Hinc est quod ipsae Episcopales Ecclesiae nonnullae hoc illove privilegio gaudeant, et Episcopi ipsi dum Sacrum solemniter agunt aliquo in Altari ipso insigni utuntur, quo anteacti temporis, vel civitatis, vel Episcopi praeclare gesta in memoriam revocentur.

In tanta rerum obscuritate in tanto auctorum silentio, si quid statui hac in re poterit, id totum vel ex praecellentia Basilicarum super aliis Ecclesiis, vel ex aliarum minorum Basilicarum exemplo poterit desumi et quae concedenda sunt Ecclesiae Lucerinae ad aliarum minorum Basilicarum exemplum

*nomine privilegiorum, gratiarum, praeeminentiarum, exemptionum, indultorum, caeterorumque similium, quae continentur in litteris Apostolocis in*

componi, ut quod ipsi non debetur intrinsece et absolute, quoad honorificentiae insignia, ex iis, quae aliis concessa sunt, et ipsi concedatur, ne Literarum Apostolicarum verba inutilia ipsi reddantur, et specie tantum data concessio habeatur, quod suspicari nefas esset.

Ut de excellentia Basilicarum prae aliis Ecclesiis aliquid dicam, Basilica, si ejus perquiremus etymologiam, regiam sive regis domum significat: Apud gentiles ad publica peragenda negotia quasi diversorium erat, de quo Seneca *lib.* 3. *de ira Cap.* 33. « *Fremitu judiciorum Basilicae resonant*. » Erat locus ad jus dicendum; sic apud Plinium accipitur *lib.* 6. *epist.* 33. » *Sedebant judices centum et octoginta ... ingens utrinque advocatorum et numerosa subsellia, adstantium corona latissimum judicium multiplici circulo ambibat. Ad hoc stipatum tribunal, atque etiam ex superiore Basilicae parte, qua foeminae, qua viri, et audiendi, quod erat difficile, et visendi studio imminebat.* »

Has postmodum Christiani Basilicas in Ecclesias et ex profano ad sacrum usum, et in locum ad divina peragenda officia converterunt; Unde apposite scribit Isidorus *lib.* 5. *Originum* « *Basilicae prius vocabantur regum habitacula; Unde et nomen habent: Nunc autem ideo Basilicae divina templa nominantur, quia ibi regi omnium Deo cultus et sacrificia offeruntur.* Hinc Antonius in gratiarum actione pro suo consulatu: *Basilicae olim*, inquit, *negotiis plenae nunc votis pro tua salute susceptis.* Dicitur etiam Basilica, quae templum etiam gentilium prius erat et sic vocata, et postea Deo vero consecrata. Hinc Ennodius in consecratione Basilicae Apostolorum, ubi templum fuit idolorum, scribit » *Veni ergo piissime Domine, et ad consecrationem operis tui plenus illabere vice humani per baptisma pectoris purgentur haec templa turpi hactenus dedicata patrocinio*, et Sanctus Augustinus de civitate Dei templum vaticanum *Basilicam amplissimam* appellavit. Differentia erat inter templa et Basilicas; in templis enim columnae quibus illa ornabantur, in externa parte, in Basilicis vero in interna positae erant. Basilicae apud Christianos, initio, quoad religiosum cultum aliqua ratione a Templis differebant: Nam illae plerumque, singulariter ad Sanctos, praesertim Martyres colendos statutae erant; Templa vero ad sacra celebranda mysteria erant destinata. Ex quo autem Ecclesiarum numerus crevit, et tunc templa sive Basilicae indiscriminatim Ecclesiae sunt appellatae, et tam Sanctorum cultus in utriusque agebatur, quam divina mysteria, nulla facta inter utrumque distinctione, in utrisque pariter sunt celebrata, Basilicae nomine non aliae Ecclesiae retinuerunt, sive non aliis Ecclesiis hoc nomen Basilicae datum fuit, quasi antonomastice, nisi iis Ecclesiis quae per totum orbem magis essent insignes, vel ob antiquitatem, vel ob magnitudinem, aut celebritatem quae ipsis inerat, quaeque per hoc ipsum majori veneratione, ut ita dicam, dignae habebantur, Haec fuit temporis progressu celebrioribus Ecclesiis data denominatio. Ast cum ob aliquam peculiarem rationem Basilicae nomen a summis Pontificibus aliis etiam Ecclesiis concessum fuit, quae iis per se non gaudebant antiquitatis aut celebritatis aut, si dici potest, maioris cultus notis, tunc facta inter vetustiores et novas Basilicas distinctione, illae *majores* hae *minores* Basilicae nuncu-

*litteris Apostolicis in forma Brevis expeditis favore alicujus Ecclesiae ad gradum Basilicae minoris elevatae, venire Conopaeum, omni tamen auri et argenti*

pari coeperunt, quemadmodum Basilicae minoris nomen Lucerinae Ecclesiae nostrae concessum nuper est; Et haec maioris vel minoris appellatio alteri aequivalet *primi aut secundi ordinis.* Quatuor tantum primariae Ecclesiae Romae, Basilicae maiores dicuntur, seu Patriarchales Ecclesiae, in memoriam primarum quatuor Patriarchalium Cathedralium: Lateranensis, Vaticana, Sancti Pauli via Ostiensi, et Liberiana, quarum prima, iuxta *Macrium* aliosque Sedem Romanam, in qua novus Pontifex instituitur, praesignat, secunda Constantinopolitanam repraesentat, tertia Alexandrinam designat, quarta Antiochenam sedem exhibet.

Differentia patet inter Basilicas *Majores* et *Minores:* quae vero sint utrarumque privilegia, honores et caetera quae ipsis tribui debeant, silentibus Auctoribus ignorare penitus fateri cogor, nec me pudet, cum deficientibus monumentis, nullis extantibus super hoc legibus, certi aliquid statui a nemine possit, et ipsis Basilicis Maioribus diversa a Summis Pontificibus, nec omnibus aeque communia tributa et concessa sint. Quid igitur? Rem imperfectam relinquam? Haud quidem decet, et ab ipsis Apostolicis Litteris, ab aliarum Basilicarum exemplo desumenda responsio erit.

Jam dubitari nequit Ecclesiae Lucerinae *Minoris* Basilicae titulo decoratae aliquid concedi voluisse, et ea sane, quibus Basilicae Minores gaudent et utuntur: Legitur enim in Litteris Apostolicis; *Regale et Cathedrale Templum Luceriae Neapolitani Regni in Basilicam Minorem cum omnibus et singulis privilegiis . . . . quibus Basilicae Minores utuntur, vel uti et frui possunt, et poterunt, erigimus et constituimus.* Ne igitur, frustranea sit concessio, cum aliquid debeat concedi, et ea concedenda dicantur quibus Basilicae Minores utuntur, videndum quae sint ea, quibus utuntur Basilicae memoratae: Sequetur enim, haec esse, de quibus Apostolicae Litterae loquuntur. Siquidem, quaedam, ut Romae videmus, sunt omnibus communia, quaedam vero aliquibus concessa: Communia sunt Conopaei (sive italice *Padiglione*) usus, et usus Tintinnabuli, quod illud praecedit in sua cuiusque Ecclesia, et in supplicationibus toti Clero communibus: in vestibus vero Choralibus Cappa Magna pellibus armellinis ornata in anteriori parte per hyemem, et Cotta super Rocchettum, cum Cappa deponitur, per aestivum tempus: quae vero aliquibus concessa sunt singulariter, pauca sunt, quod sciam, et fortasse sola Palmatoria, et haec quidem, aliquibus, in Missis tantum solemnibus, aliquibus in Missis etiam lectis, sed infra Ecclesiae suae taxative limites, ut non multis ab hinc annis Basilicis S. Laurentii in Damaso concessum non ignoramus et S. Mariae in Transtyberina Regione: Haec sunt, quae si non intrinsece et absolute minoribus Basilicis conveniunt reapse tamen concessa ipsis sunt, et his utuntur, vel ex communi usu, vel ex singulari concessione. Jam cum Litterae Apostolicae concedant *Ecclesiae Lucerinae* ea quibus minores Basilicae uti et frui possunt, non quae intrinsece et absolute conveniunt, licet Conopoeum et Tintinnabulum non memorent, hoc tamen privilegium, hoc honorificentiae saltem signum concedere eas voluisse dicendum est, quemadmodum et cappam supradictam in hyeme, et cottam supra Rocchettum aestivo tempore, nisi forte jam ante postrema haec,

*genti ornato ab eo excluso, Tintinnabulum, et usum Cappae Magnae.*
Atque ita declaravit, ac servari mandavit die 27. Augusti 1836.

quod nescio, peculiariter sint concessa. Generalia quidem sunt Litterarum Apostolicarum verba, attamen eiusmodi, ut de concessione nequeat dubitari.

Tota difficultas quoad Palmatoriae usum poterit moveri, cum haec non omnibus aeque minoribus Basilicis, sed aliquibus tantum, Romae, concessa sit: dubitari hinc de hac potest cum non communis sit aliis omnibus; quod enim universaliter omnibus est commune, id solum dicendum est voluisse concedi: At cum eodem tempore Ecclesia Lucerina sit etiam Ecclesia Cathedralis posset aliquo modo dici id etiam voluisse concedi, quod habent aliquae Basilicae minores, quae Cathedrales non sunt.

Quod spectat ad Conopaei et Tintinnabuli usum, et horum concessionem exemplum non deest, et reperitur in una *Calathajerenensi* Syracusanae Dioecesis sub *die* 22. *Martii* 1817. Distractis enim quindecim Terris ab extensa nimis Syracusana Dioecesi, unam ex duabus in *Calathajerenensi* Civitate existentibus Collegiatis nempe Ecclesiam S. Juliani ad Cathedralitatis honorem tamquam alia aptiorem erigi voluit, erectaque reapse fuit. Altera vero Collegiata, nempe S. Jacobi ob ejus insignitatem Basilicae minoris titulo fuit condecorata. Supplicantibus hujus Ecclesiae Canonicis, Conopoeum et Tintinnabulum gestandi facultas facta fuit: Verumtamen, ( ne quid me reticuisse incuser ) quidam appositi sunt quoad horum usum limites, nempe: *in iis tantum solitis et consuetis Functionibus Ecclesiasticis in quibus non concurrit cum altero Cathedralis Ecclesiae Capitulo; idque in Ecclesiae ambitu, vel inter limites tantum ejusdem Paroecciae, excepta dumtaxat ab hac limitatione solemni supplicatione, ab eadem Collegiata fieri quotannis solita per vias Civitatis in die S. Jacobi ejusdem Titularis.* Hic ut liquet, agebatur de Ecclesia Collegiata ad Basilicae Minoris gradum evecta, et in concursu cum Ecclesia Cathedrali, et idcirco jure, merito prudenterque limites concessae facultati fuerunt praescripti: hoc evenire nequit in Ecclesia Lucerina, quae simul est Cathedralis, atque idcirco nullam fortasse meretur exceptionem cum aliquid semper ut Ecclesia Cathedralis in se honorificentius, prae aliis omnibus Ecclesiis habeat. Unum tamen quoad Conopaeum adverterem illius nempe materiam talem esse debere a qua *auri argentive texturam* aut ornatum prorsus excluderem.

His omnibus positis, attenta Dignitate Cathedralis Ecclesiae attentis litteris Apostolicis, quae eidem Cathedrali Ecclesiae Minoris titulo honestatae privilegia, praeeminentias concedunt, quibus aliae Basilicae Minores gaudent, attentis aliarum Minorum Basilicarum exemplis, ne concessio frustranea, et specie tantum data videatur, respondendum putarem; *per privilegia, praeeminentias, gratias intelligi Conopaeum omni tamen auri et argenti ornato exculso, et Tintinnabulum, usum cappae, ut supra dictum est:* quibus Eminentissimi Patres, si ad exemplum nennullarum minorum Basilicarum Urbis *Palmatoriam* propria tantum in Ecclesia addere velitis, haud quidem repugnarem cum aliquo modo Apostolicas Litteras favorabiliter interpretando posset includi, et ad *R. D. Secretarium cum Sanctissimo.*

Aliae *Exemptionum, Indultorum etc.* voces verba sunt generalia, quae quidem cum nihil honorificentiae, ut

4633. VERONEN.

Ut omnia, quae Dei cultum respiciunt, ad aedificationem, et secundum ordinem fiant, quo Sacris concilietur reverentia, excitetur in Populis fides, servetur Mysteriis gratia, et majestas, alte animo defixum habens Reverendissimus Veronen. Episcopus Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicavit, nonnulla exponens Dubia per ejusdem oraculum solvenda, ut et corrigantur, si quae emendanda in sua Dioecesi reperiuntur, et ea omnia, quae ad praxim Sacrorum Rituum, et Rubricas observandas concurrere possunt, magis magisque innotescant. Quae in Ordinario Coetu ad Vaticanas Aedes die 12. Martii vestentis Anni coadunata, rescribendum censuit: *Ponatur in Folio, exquisito Voto Magistri Coeremoniarum.* Hisce omnibus de more servatis, iterum proposita sunt ejusdem Episcopi pro opportuna solutione sequentia Dubia, nimirum.

I. Quid dicendum de consuetudine a doctis, piisque Sacerdotibus, Ordinariis non contradicentibus, usurpata?

II. Ex Constitutione Benedicti XIV. Summi Pontificis die 13. Decembris 1740. conceditur Indulgentia in memoriam Agoniae Domini Nostri Jesu Christi pro singulis sextis Feriis: pulsatio Campanae fieri debet hora tertia post meridiem, ut innuit laudata Constitutio, vel hora Vigesima prima Horologii italici, uti vult Libellus Romae editus Anno 1834. inscriptus: *Raccolta di Orazioni, e pie Opere* etc. Typis Perago-Salvioni.

III. Utrum Benedictio Apostolica pluries impertiri possit novo mortis periculo redeunte?

IV. Utrum liceat simplici Sacerdoti Superpelliceo, et Stola induto post Vesperas, Litanias, et Preces immediate Altare ascendere, et Populum dimittere, eum benedicendo nuda manu per verba: *Benedictio Dei omnipotentis* etc. ut praescribitur a Rituali post Comunionem extra Missam? (1).

videtur, singulare includant, nihil etiam huius generis concedunt ac nullam dari ab hac S. Congregatione declarationem exposcunt, quae sit nimirum illorum vis, quid significent quove modo Cathedrali Lucerinae debeant aptari, atque proinde non erat hujus S. Congregationis, haec omnia inquirere.

(1) Peropportum valde videtur nonnulla hoc in loco in medium proferre tam de benedictionibus Ecclesiasticis in genere, earumque origine, et antiquitate, quam de benedictione, quae datur in fine Missae, priusquam de ea benedictione agatur, de qua sermo est in dubio, quae fortasse ad illarum similitudinem dari coepit. Itaque Benedictio Ecclesiastica est precatio quaedam qua aliqua sanctitas confertur, et illa proprie dicitur quae fit nomine Ecclesiae, et ex auctoritate a Deo ei concessa, quando nempe quis ratione sui muneris, quo fungitur petit a Deo ut vel personis, vel rebus bona convenientia tribuat. Deus enim posuit Sacerdotes et ministros Ecclesiasticos dispensatores benedictionum suarum uti docet eruditissimus Jacobus Eveillon Canonicus Andegavensis Ecclesiae in lib. de processionibus Ecclesiasticis et probat ex cap. 6. Numerorum ubi per Moisen locutus est Aarōn et filiis ejus *Sic benedicetis filiis Israel, et dicetis eis: benedicat tibi Dominus, et custodiat, et ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui: convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. Invocabuntque nomen meum propter filios Israel, et ego bene*

*dicam eis.* Hinc ipsum Numerorum locum inter alios interpetratus est S. Doctor Petrus Damiani ad cives Florentinos scribens his verbis; *Dominus in lib. Numerorum de Sacerdotibus ait: invocabuntque nomen meum super filios Israel, Ego benedicam eis. Sacerdos quippe Dominum super hominem verbis invocat, sed ipse super eum Dominus benedictionem efficaciter format. Effectus itaque benedictionis non ex merito Sacerdotis constat, sed hanc invocatio divini Nominis administrat, ut quod ex ore sonat hominis intus impleat Creator, et per indigni saepe hominis ministerium Divina virtus suum veraciter efficit sacramentum.* Deo itaque operante in ministerio Sacerdotali benedictio Ecclesiastica suum sortitur effectum, non quidem ex opere operato ad instar Sacramentorum, sed ex vi precum Ecclesiae, quae cum Christi sit sponsa non potest non exaudiri ab eo pro merito et dignitate sua, quando aliquid pro filiis petit. Tota itaque benedictionum Ecclesiicarum vis posita est in oratione et invocatione Ecclesiae quae fit per suos ministros hinc est, quod non aliis formulis, non aliis verbis uti quisque benedicendo debeat quam iis, quae ab Ecclesia sunt constituta; *Ita* inquit memoratus Eveillon, *Ecclesia divino spiritu edocta omnium rerum benedicendarum formulas conceptis verbis definivit in libris Ritualibus, ut sciant Sacerdotes quid in singulis et quomodo petendum sit, ne scilicet temere et pro arbitrio loquendo ab ejus institutione, proposito, et fine excedant, et sic optatis decidant.* Haec in genere de Benedictionibus advertuntur, sed aliud aliquid hic addere juvat quod non inopportum videtur. Ex comuni Theologorum sententia benedictiones duplicis sunt generis. Aliae *invocativae*, dicuntur, aliae *constitutivae* appellantur. Invocativae benedictiones illae sunt, quibus Dei benignitas invocatur, ut vel personis, vel rebus pro benedictionis diversitate, et vario rerum benedicendarum usu aliquid boni tribuat, easque a malo vindicet, non tamen immutato earum statu: Huiusmodi sunt benedictio Episcopalis, ea quae datur post Confirmationem, ea quae datur a Celebrante Diacono Evangelium lecturo, et quae ab ipso Celebrante nunc datur populo in fine Missae, aliaeque huius generis multiplices benedictiones, ut vinearum, frugum, exculentorum, aliaeque innumerae, quarum formulae habentur in libro Sacramentorum S. Gregorii, in ordinibus Romanis, et in recentioribus Ritualibus; quae omnes sunt boni alicuius adprecatio. Harum benedictionum virtute, licet aliquod, vel temporale, vel spirituale bonum divinitus ex Ecclesiae intentione tribuatur, vel rebus, vel personis, super quibus nomen Domini invocatur, tamen hae in suo naturali statu remanent, nec in sacrarum rerum ordine possunt adnumerari. *Constitutivae* vero benedictiones illae dicuntur per quas Personae, vel res benedictae ad divinum cultum destinantur, et in statu permanenti rei sacrae constituuntur; ita ut receptum per benedictionem hunc statum amplius non immutent, neque ad profanum statum, aut usum redire possint aut profanae ullo modo considerari, vel effici valeant.

Hae autem multiplices sunt quaedam enim spectant ad aliquid simpliciter sacrum significandum; quaedam destinantur ad Dei cultum, et certa nostrae Religionis officia et ministeria, uti Episcopi, Sacerdotes et reliquorum Ordinem Sacri Ministri, vasa sacra ec. Quaedam vero ita benedicuntur ut ad aliarum rerum benedictionem praeparentur uti sunt sacrum Chrisma, Oleum cathecumenorum, quibus in consecratione vel ordinatione juxta diversum Pontificalis proscriptum inunguntur Epi-

V. Utrum verbum - *Deinde* - in forma absolutionis in nonnullis editionibus Ritualis rubro charactere impressum, omittendum sit?

scopi Sacerdotes, et Fontis baptismalis benedictio peragitur. Haec omnia cum per benedictionem seu consecrationem in jus Domini transierint, et sacra sint facta, nequeunt in usum hominis adhiberi, aut ad profanum usum transferri juxta celebrem Juris canonici regulam in cap. 51. de Regulis Juris in VI.; *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum.* Hinc quae sunt constitutiva benedictione consecrata in suo semper manent consecrationis statu, quae autem sunt benedictione tantum invocativa benedicta licet statum possint immutare, et aliquo modo ad humanos usus adhiberi, ad profanos tamen numquam possunt, quemadmodum plerique, et magni nominis auctores sentiunt; sed haec investigare alienum prorsus esset a proposito.

His generice de benedictionibus adnotatis, nullum dubium est benedicendi ritum vetustissimum esse, hic enim reperitur in veteri Testamento, et ex eo eruitur quod elevatis manibus perficiebatur ut legitur Esdrae cap. 8. num. 6.; *Et benedixit Esdras Domino Deo magno, et respondit omnis Populus Amen, Amen, elevatis manibus suis et incurvati sunt et adoraverunt Deum proni in terra.* Hoc autem fiebat in signum invocandi Altissimum. Sic etiam in iuramentis peragebatur quemadmodum legitur Danielis cap. 12. N. 27. *Cum elevasset dextram et sinistram suam in coelum et jurasset per viventem in aeternum.* In Sacris litteris de huiusmodi actibus saepe fit mentio: Et ideo Christus Dominus dum in coelum ascendit, elevatis manibus, benedixit Apostolis, sicuti in Evangelio Lucae notatum reperitur, quae fuit vera super eos benedictio, sive super illos bonorum adprecatio. Apostoli super fidelibus per manuum pariter elevationem quasi a Deo susciperent benedictionem, quam impertiebant, fidelibus bona adprecabantur. Deinde ex ipsa apostolica traditione inter Christianos, manibus in coelum prius elevatis, et facto Crucis signo, per quam mundo salus facta est, ex qua bona omnia dimanant, et in qua per Christi mortem humani generis redemptio perfecta est, facto, ut supra, crucis signo, dari caepit benedictio, quem ritum haud errare putandus esset qui asseveret a Christo Domino in praefato Ascensionis die ortum suum habuisse, ad cujus similitudinem, peracta Missa, benedictio populo confertur. *Etenim*, scribit Amalarius lib. 2. de offic. cap. 26. *Dominus ante Ascensionem in coelos, duxit Apostolos in Bethaniam, ibique benedixit eis, et ascendit in coelum. Hunc morem tenet Sacerdos ut post omnia Sacramenta benedicat populo atque salutet, deinde revertitur, ad orientem, ut se commendet Domino.*

Ecclesia itaque ex veteri Testamento, et ex Christi Domini exemplo sumpsit benedictionum ritum, quem semper retinuit; *quemadmodum enim*, scribit Rhabanus Maurus, *in Numeris Deus certam formam populo benedicendi Aaroni et Sacerdotibus veteris legis praescripsit, ita quoque usus Ecclesiae, quae multiplices benedictiones in diversis rebus habet.*

Priusquam autem directe et specialiter de benedictione agatur, de qua in dubio sermo est, haec benedictio dabatur olim a Sacerdote immediate post communionem, ut ex adducta auctoritate patet, et ex quamplurimis auctoribus colligitur; soli autem Romano Pontifici licitum erat in fine Missae populo benedicere, juxta Rodulphum propositione 23.; itaque reliqui Celebrantes sacrum divinum absolvebant per

VI. In quibusdam Ecclesiis occasione Orationis Quadraginta Horarum suspenditur oratio a Vesperis usque ad unam vel duas horas post solis ortum

illam orationem *Placeat*, quod ex sequentibus verbis patet : *Finitis omnibus, osculato Presbyter altare, dicet: Placeat tibi Sancta Trinitas deinde sacris vestibus se exuat ; ita ord. Romanus.* Haec autem oratio *Placeat* in pluribus reperitur Sacramentariis post saeculum nonum scriptis: Eam Sacerdos secreto recitat ; *est enim*, ut observat Benedictus XIV. in suo opere de sacrosancto Sacrificio Missae lib. 2. cap. 24. §. 5., *pro ipso peculiaris oratio, eamque dicit inclinatus, ut aequum est ad altare, siquidem ad Sanctissimam Trinitatem dirigit.* Idem ut supra legitur in quodam antiquo Caeremoniali Mileti anno 1609. exarati: Sic etiam observant Carthusiani, qui benedictionem non dant in fine Missae, nec Evangelium S. Ioannis in fine recitant, ut notat Puget Tom. 2. Institutionum catholicarum pag. 890. cum quo concordat Ritus olim Cisterciensium : rationem eius Ritus affert Joannes Bacossen in expositione Missae Basileae exarata anno 1419, *eum scilicet qui populum non habet, nec benedicere.* Hodie tamen Carthusiani, si in Templis celebrent, quae non sunt sui Ordinis populo benedicunt, ut colligitur ex eorum recentioribus Constitutionibus stat. 3. cap. 1. num. 58. In veteri Dominicanorum ordinario lib. 2. ut refert Marcellus de Cavaleriis Statera sacra tit. 29. n. 50. ita legitur : *Et si consuetudo patriae fuerit et extranei fuerint hoc expectantes, dent benedictionem juxta morem patriae.* Ideo autem benedictio, ut supra notatum est, post communionem dabatur, ut qui Eucharistiam non susciperent, saltem cum illa benedictione discederent, quemadmodum sentit Micrologus sicut hodie Sacerdotes qui post Missam vel extra eam solent communicare, dant benedictionis signum in fine illius communionis pro non communicatis.

Diversa quoad benedictionem, quae datur in fine Missae fuit Ecclesiae disciplina. Siquidem simplex Sacerdos nequibat olim benedictionem populo impertiri juxta can. *Ministrare* 26. *q.* 6. *Benedictionem quoque super populum in Ecclesia fundere Presbytero poenitus non licere.* Hoc autem Sacerdoti nunc permittitur postquam divinum sacrificium peregit: dictum est permittitur, si enim totam dictam antiquitatem perscrutemur, neque id Presbytero simplici licitum olim erat, ut notat *Benedictus XIV*, tum in *Constitutione XLVIII.* in cujus initio agit de solemni benedictione, quae ab Episcopis datur, quod ad praesens dubium nullimode pertinet, *tum in opere de Sacrificio Missae.* Etsi enim, ut ipse in utroque loco observat, in usu semper fuerit, ut re divina peracta populus cum benedictione ab Ecclesia dimitteretur, id tamen non a Sacerdote celebrante, sed vel ab Episcopo si praesens aderat, vel eo absente ab Archipresbytero, jussu ipsius praestabatur, et hoc in sensu explicari juxta ipsum debet Decretalis *in cap. Officium* de officio Archipresbyteri, ubi inter archipresbyterialia munera recensentur *Benedictiones Presbyterales in Ecclesia dare*, prout advertit etiam Conzales in idem *caput Officium n.* 2. quod ante plane comprobaverat Sausses in Penoplia Sacerdotali p. 558. Haec tum ex jure tum ex antiquitate, et monumentis eruuntur; et hinc est, quod de hac benedictione silent omnino Amalarius, Floras, Walfridius, et Renisius saeculi IX. Scriptores: ejus tamen mentionem facit Micrologus ut supra relatum est. Ast ex multis saeculis contraria nunc viget disciplina, ex qua facultas Sacerdoti ce-

diei sequentis, ne nocturno tempore scandala oriantur; quaeritur utrum ab aurora, usque ad Eucharistiae expositionem in Missis dici possit Collecta de

lebranti facta est benedictionem super populum impertiendi absoluta Missa: immo nunc praescribitur a Rubrica, ut Sacerdos populo benedicat; sic enim legitur in ordine Missae *de benedictione in fine Missae : et Evangelio Sancti Joannis dicto . . . extensa manu dextra, junctisque digitis et manu sinixtra infra pectus posita semel benedicit populo* dicens. etc. Mittuntur hic quae a Rubrica juxta diversos casus adduntur; inopportunum enim esset ea in medium proferre. Rationem autem benedicendi populo multis ab hinc saeculis affert *Bellotus in Ritibus Laudunensis Ecclesiae parte* 1. *pag.* 136. *num.* 9. *At cum benedictio ad Missae perfectionem pertineat; hodie, ab incaepto Sacro recedere nec jure queat populus ante benedictionem egredi ex praecitata Agatensi Synodo quatenus integrae Missae non interesset, quisquis praemature recederet; sequitur facultatem cuilibet Celebranti concessam esse privatam illam benedictionem ad finem Missae ubique locorum impertire;* quod quidem commemorat Quartus ad *Rubricas missalis p.* 386. *in dubiis conscientiae.* Juvat hic addere quod habetur in *can. Ecce ego D.* 11. 95.*; Nemo Episcoporum invidia diabolicae tentationis inflatus irascatur in Templo si Presbyteri interdum exhortentur plebem, in Ecclesiis praedicent, si plebibus, ut dictum est, benedicant:* quae verba probant simul et olim Episcoporum tantum fuisse benedictionem impertiri, et nunc simplicibus etiam Sacerdotibus inesse facultatem.

Quod vero et simplices Sacerdotes benedicere possint in Missa, et quod hic ritus a multis saeculis invaluerit liquido constat, aliis silentibus auctoribus, praeter supra allatum Micrologum etiam ex iis, quae habet Guido Abbas, qui saeculo decimo circiter vel undecimo vixit: loquitur enim ipse de consuetudine, quae aetate sua invaluit ut Presbyteri sub finem Missae populo benedicerent, ita enim scribit: *Hinc et illa consuetudo apud modernos, quae non fuit apud antiquos, inolevisse videtur, ut in aliis temporibus etiam Presbyteri post finem Missae benedicant, ne populum ita benedictione et communione privatum discedere permittant;* et alibi: *Adeo in usum jam usquequaque venit, benedictio, ut nequaquam absque gravi scandalo a Presbyteris in populo praetermitti possit, nisi forte apostolica Sedes generaliter et synodaliter prohibere voluerit.* Jam ex his verbis eruitur benedicendi ritum praefati auctoris aetate in consuetudinem transiisse, et grave scandalum in populo suscitasse huius benedictionis in fine Missae praetermissionem. Jam si haec consuetudo ea aetate inolevit, argumentum desumptum ab aliorum auctorum paene coëvium silentio, nihil erui potest in contrarium.

Aliquando, placet et hoc addere, sive per abusum datae facultatis Presbyteris benedicendi populo post Missam, sive alia quacumque ratione, Sacerdotes populo benedicebant ac nunc Episcopi ternis crucis signis. Hic autem ritus sublatus fuit a s. m. Pio V. qui in solemnibus Missis dumtaxat eum voluit adhiberi. At postmodum Clemens VIII. statuit ut Presbyteri in Missis etiam solemnibus unico crucis signo populo benedicant, videri potest apud Martenium Tom. 1. pag. 243.

Ex allatis superius verbis, quae in canone *Ecce ego* leguntur, licet plerique cum Glossa sentiant illud *benedicere* generaliter declarare benedictionem quae populo traditur a Sacerdote,

Sacramento, vel solum tempore expositionis, hoc est per unicum spatium quadraginta horarum interruptarum? (1)

qui divinum Sacrum perfecit tantum; ita eodem tempore interpretantur ut intelligi possit de quacumque benedictione, quam Sacerdotes manu impertiuntur post aliquam Ecclesiasticam actionem, puta post preces in novendialibus, aliasque hujusmodi, post Litanias, ut in dubio; nam cum haec sit ex benedictionibus quae invocativae appellantur, per quas Dei benignitas invocatur, ut vel personis, vel rebus benedicendis aliquid boni tribuatur et eaedem a malo liberentur, quis prohibeat ut recitatis precibus Sacerdos populum cum hac benedictione, sive adprecatione dimittat ut domum suam ab Ecclesia discedat. Fatendum quidem est auctores omnes loqui semper de benedictione a simplici Sacerdote danda in fine Missae de qua supra sermo fuit, quamque impertiri populo antiquis temporibus ei non licebat. Sed cum nulla super hoc benedicendi ritu extra Missam extet prohibitio, cum bonum aliquod spirituale, vel etiam temporale per hanc benedictionem ex divina benignitate Sacerdos adprecetur, cum denique haec consuetudo quasi undique invaluerit, atque hinc jure putandum est aut expresse aut saltem tacite factam esse vel fieri Sacerdotibus ab Episcopis Dioecesanis hanc populo extra Missam benedictionem impertiendi facultatem. His innixa rationibus S. R. C. affirmative respondendum huic dubio censuit, *si adsit consuetudo.* Consuetudo enim haec nec ulli adversatur prohibitivae legi, et bonum semper aliquod a Deo per eam populus sperare potest, quod ei Sacerdos a Deo quem invocat, adprecatur.

(1) Non est hic inquirendum quo tempore Oratio Quadraginta horarum inceperit, quis fuerit huius Orationis primus Auctor, et ubi ea fuerit instituta: haec qui desiderat adeat Summos Pontifices Pium IV. in sua Constitutione: *Divina disponente Clementia*, Benedictum XIV. in Instit. Eccl. trigesima latinae editionis, adeat insuper Ughellium Ital. Sacr. Tom. 4., Thiersium, Cavalerium aliosque: hoc investigare alienum esset a proposito, et parum interesse videtur. Aliud est hic inquirendum, quod cum praesenti dubio est aliquo modo connexum. Sane licet quadraginta horarum spatio haec oratio duraret, certum tamen non est hanc orationem ubique, saltem initio, ante Sanctissimum Sacramentum fuisse peractam, et Hoc ea solemnitate fuisse expositum, qua hisce nostris temporibus solet exponi, cum vere dici possit aliquem ante Sanctissimum Sacramentum orare, quamvis Illud in Ciborio sit inclusum. Ipsa Clementina Instructio de sola loquitur oratione, non de expositione, et ipsa fel. rec. Clementis VIII. (a cujus aetate perpetuae adorationis in Urbe initium est repetendum) verba, nempe: *Orationis incensum in conspectu Domini dirigatur*, de publicis precibus possunt intelligi, quae semper, sive exposito, sive non exposito Sacramento in conspectu Domini fiunt. Non eadem in exordio fuit ubique praxis: Mediolani ex. gr. vel in ipsa huius orationis institutione aevo S. Caroli Borromaei, non modo statutae et distributae successive sunt Ecclesiae in quibus haec oratio fieri deberet, sed in unaquaque Ecclesia expositum solemniter erat sacrum vas cum Eucharistia super altari, et oratio fiebat diu noctuque sine ulla intermissione, ut clare colligitur ex Instructione ejusdem Sancti Antistitis: Aliis in locis quibusdam et in nostra Urbe ipsa asseri certo nequit, tempore hujus orationis Sacram Eucharistiam ab initio usque ad finem Orationis exponi

VII. Utrum in Missis quotidianis Defunctorum pro Oratione assignata primo loco, alia subrogari valeat, puta pro matre, offerente eleemosynam etc.?

consuevisse; quin immo valde de hoc dubitandum est.

Praeterea Romae in ipsa Orationis hujus institutione, quae nonnullorum privatorum initio fuit, qui statis temporibus aliquam in Ecclesiam ad Religionis opera exercenda conveniebant, oratio non ita erat, perennis et continua, quemadmodum hac nostra aetate servatur, ut numquam per totum anni circulum in hac illave Ecclesia per quadraginta illas horas cessaret, et licet aliquibus in Ecclesiis oratio per illas quadraginta horas non intermitteretur, et Sodales coram Sanctissimo Sacramento orarent, et invicem sibi ad orandum succederent, tamen non in omnibus aeque Ecclesiis Sacramentum expositum erat.

Dictum supra est ex Clementina Constitutione erui, praeceptam fuisse continuam ante Sanctissimum Sacramentum orationem, non vero continuam aeque expositionem, et hanc in arbitrio et facultate fuisse. At si hoc ab initio fuit, tamen non ita post, et tempore ipsius Clementis VIII. consuetudo fuit inducta exponendi Augustissimam Eucharistiam in singulis Ecclesiis per integras quadraginta horas praescriptae Orationis. Auctor nobis de hoc est fel. rec. Benedictus XIV, qui in allata superius Constitutione, quamvis dicat expositionem Sanctissimi Sacramenti non fuisse a Clemente VIII. aliqua lege praeceptam, ejus tamen tempore merito fuisse inductam; haec enim habet – *Licet de exponenda publice Eucharistia nullum* (Pontifex Clemens VIII.) *verbum faciat, conjici tamen potest tunc primum morem fuisse inductum, vel paulo ante ut Sacra Eucharistia exponeretur, cum quadraginta horarum Oratio indicebatur* – quo in testimonio adnotandum apposite est, Benedictum XIV. non dixisse paullo post, sed paullo ante, quae enunciatio omne tollit dubium circa praescriptionem latam et consuetudinem aetate Clementis VIII. Haec autem consuetudo, quae quodammodo Clementi ipsi coaeva dici potest, universalis est diuturna non interrupta, eam nunc vim habet quam praescriptae leges habent, nec alicui liberum est ab ea recedere.

Haec insuper consuetudo quam maxime laudabilis orationi conjungendi expositionem Sanctissimi Sacramenti ex ipsa Clementina Instructione eruitur non obscure: leguntur enim in exordio haec verba; *Della Introduzione dell'Esposizione del Santissimo Sagramento per l'orazione continua delle quaranta ore;* neque obstat quod supra dictum est, quodque contradictionem quamdam offerre primo intuitu videtur, nam utrumque stare potest; haec enim verba ita sunt intelligenda ut demonstrent primum inductam fuisse perennem et perpetuam orationem ante Sanctissimum Sacramentum (fortasse Romae), et postea usum invaluisse exponendi Sanctissimam Eucharistiam tempore continuae Orationis initio quammaxime laudatum, postea praeceptum. Insuper addendum aliquid videtur per quod ostendatur, sicut continua et non interrupta est Oratio, continuam et non interruptam esse debere Sanctissimi Sacramenti expositionem, adeoque eos, qui a laudabili non modo, sed a praescripta consuetudine recedunt, Illud per aliquas horas in tabernaculo includendo, contra legem agere, quae continuam et non interruptam Illius expositionem praecipit. Id ex dictis patet ex ipsa S. R. Congregatione quae in Ilerden. die 28. Aprilis 1607. jussit – *ne Concionatores caput tegant ante Sanctissimum Sacramentum expositum infra octavam Corporis Chri-*

VIII. Parrochus novit sacrum Viaticum difficillime porrigi posse infirmo morti proximo, nisi celebret in Oratorio domestico Indulto Apostolico erecto

*sti, et quando per annum Oratio continua quadraginta horarum indicitur.*

Quidquid anteacto tempore factum fuerit, quidquid diversi sentiant auctores inquirendo, fuerit ne Orationi huic in institutione, simultanea Sanctissimi Sacramenti continua expositio vel posterioribus temporibus haec fuerit inducta, certum est, morem hunc vetustissimum esse, et nunc legis vim habere, licet, ut jam observatum est, ea initio in arbitrio fuerit, et Orationem 40. horarum sine simultanea Sanctissimi Sacramenti expositione haud nunc indicere licere.

Clementina Instructio non de institutione agit huius orationis, sed ea continet, quae ordinem, et ea quae in expositione sunt servanda, respiciunt. Multa sane haec sunt quae afferre inutile esset, et praesens disquisitio non postulat; unum dumtaxat quae huic proposito opportunum videtur notare juvat. Siquidem titulus Instructionis hic est – *Istruzioni ed ordini da osservarsi nell' Orazione continua delle quarant' ore;* primus autem paragraphus sic incipit: *Essendo state fatte sin dal tempo dell' Istituzione dell' Esposizione del Santissimo Sagramento per l' orazione continua di quarant' ore diverse provisioni ec.* – In utroque loco usurpatur vox *continua*, et haec vox afficit *orationem*, non vero *expositionem*, hinc dicere quis posset praecipi orationem continuam, non autem continuam expositionem, ita ut haec non illa possit interrumpi; sed hoc non sequitur semel ac, ut supra adnotatum est, Clementis VIII. mens fuerit ut continua pariter et Oratio et expositio esset, et hanc fuisse illius mentem clare patet ex eo, quod ille Summus Pontifex voluerit ut oratio Romae fieret ad exemplum Ecclesiae Mediolanensis: At Mediolani toto orationis continuae tempore vas cum S. Eucharistia super Altari *diu noctuque* erat solemniter expositum; quis ergo non videt Clementis mentem fuisse ut cum continua et non interrupta oratione, continua item et non interrupta Sanctissimi Sacramenti expositio simul conjungeretur? Dicendum itaque est, nihil erui posse ex voce *continua* apposita orationi, et non expositioni, neque posse expositionem interrumpi: generice tamen et juxta praescriptionem hoc dictum intelligatur; potest enim quandoque evenire ut aliqua in Ecclesia, rationabili aliqua interveniente causa, debeat Expositio interrumpi, sed hac deficiente, haud eam interrumpi fas est.

His adductis, quae proposito dubio opportuna visa sunt, quamplurima praescribit Clementina Instructio. Inter alia praecipit, ut in Missis dicatur collecta de Sanctissimo Sacramento, cum iis exceptionibus quae videri possunt tum in ipsa Instructione, tum in Illustratione hujus Tom. 6. Part. I. Decretorum S. R. C. authentica Collectione. Iam si hoc Clementina Instructio praecipit, per hoc praecipit, quod supponit, Sanctissimum Sacramentum eo tempore publice esse expositum non vero in Tabernaculo inclusum: Secus quicumque Sacerdos, et quovis tempore in Missae celebratione posset collectam addere de Sanctissimo Sacramento, quod non est ex Rubricis, quodque neminem qui asserat inveniri posse putandum est. Hinc sequitur, collectam de Sanctissimo Sacramento dicendam esse (cum exceptionibus supra citatis) tempore tantum quo Illud publice patet per expositionem. Ex his eruitur, quod collecta in Missis dicenda relationem habet ad expositionem non vero ad Orationem, quae licet sit continua col-

domui Infirmi proximae: quaeritur utrum possit a privato Oratorio Sanctissimum Sacramentum deferre? Et quatenus arffirmative, utrum in tali casu celebrare possit etiam Indultario precario absente?

IX. Quum per Leges Municipales Cadavera domo efferre non liceat, nisi transactis horis Vigintiquatuor ab obitu, quaeritur utrum liceat Missam de Requiem de mane celebrare jam insepulto Cadavere diebus quibus non licet, nisi praesente Corpore, uti erui posse videtur ex Decreto S. R. C. relato in editione Gardelliniana sub numero 4253?

X. Potest ne Sacerdos, omnibus sibi prius commode dispositis, quae ad Sacrificium occurrere possunt, ne mulieres inserviant Altari, uti ministerio mulieris tantum pro responsis?

XI. Utrum Officiis alicui Dominicae assignatis, puta Puritatis, Maternitatis Beatae Mariae Virginis in Dioecesano Kalendario, in aliqua peculiari Ecclesia festo majoris ritus perpetuo impeditis, debeat assignari dies fixa, vel perpetuo omitti?

XII. Utrum ad benedictionem Sacerdotis in fine Missae solemnis, sive cum cantu, Ministri, et alii de Choro stare, vel genuflectere debeant?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Quirinales Aedes infrascripta die coadunata, mature, diligenterque omnibus perpensis, praesertim

lectam non exposcit. Duo autem haec Oratio nempe et Expositio valde in se differunt. Cum insuper continua debeat esse non solum Oratio per quadraginta horarum spatium, sed etiam per hoc idem spatium Expositio, sequitur, quod si alicubi quis Missam celebret, et nondum ea in Ecclesia Sanctissimum Sacramentum, quavis ratione nocturnis horis in ciborio inclusum, nondum fuerit iterum publice expositum, collectam, de qua agitur, addi omnino non debere. Si quis contra ageret et Collectam adderet eo tempore, contra finem ageret per quem ea addenda praecipitur. Finis autem est, ut memoria fiat de Sanctissimo Sacramento, quando dici nequit Missa de Eo, sed dicitur de aliquo Sancto, ut eo quo licet modo aliquid in Missis addatur quod referri possit ad ipsius Sacramenti expositionem quodam particulari modo eam memorando, et in Illius gloriam, et Fidelium adstantium bonum redundet. Haec autem omnia supponunt veram realem et patentem Sanctissimi Sacramenti expositionem, quae ut supra probatum est, continua et non interrupta esse debet. Cum itaque realis intermittitur Expositio, toto intermissionis tempore collecta erit jure omittenda, deficiente principali fine, contra hunc eam addendo ageretur. Demum contra S. R. C. Decreta, adderetur collecta, et ea videri possunt in authentica Collectione, ex quibus clare patet eam esse addendam durante expositione: Sic in una Varsavien. anni 1746. in qua dicitur *durante Expositione*, quae enunciatio supponit veram et realem Expositionem. Sic pariter in una Canonicorum Reg. Lateran. die 2. Dec. 1684. in qua dicitur posse (nempe addi collectam praedictam) exceptis Festis primae et secundae Classis ratione Sanctissimi Sacramenti actu et realiter expositi. Ex his omnibus quae adducta sunt clare descendit omittendam omnino esse collectam de Sanctissimo Sacramento, in omnibus Ecclesiis, quoties in illis Missae celebrantur et nondum Sanctissimum Sacramentum, quod aliquibus horis in Tabernaculo inclusum fuit, iterum fuerit publice expositum, quemadmodum S. C. ad propositum dubium respondit.

iis quae allata sunt in exquisita sententia alterius ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris scriptis pendita, praeloque cusa, ad relationem Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Joannis Francisci Marco y Catalan. Ponentis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Recurrat in casibus particularibus.*

Ad 2. *Ad Sacram Congregationem Indulgentiarum.*

Ad 3. *Ut ad proximum.*

Ad 4. *Affirmative si adsit consuetudo.*

Ad 5. *Ad Sacram Universalem Inquisitionem.*

Ad 6. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad 7. *Quoad primam Orationem servetur ordo Missalis: quoad secundam detur Decretum Aquen. diei* 2. *Septembris* 1741. *ad Dubium IV.*

Ad 8. *Affirmative etiam absente Indultario.*

Ad 9. *Negative.*

Ad 10. *Affirmative urgente necessitate.*

Ad 11. *Negative, nisi supplicetur pro translatione.*

Ad 12. *Stare Canonicos se profunde inclinantes, alios genuflectere.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 27. Augusti 1836.

4634. CAMERINEN.

Reverendissimus Camerinen. Archiepiscopus sequens Dubium quum proposuerit Sacrorum Rituum Congregationi, nimirum: An Parrochi, qui intra limites Parrocchiales habent Ecclesias filiales, quarum servitio Clerus non adest, de ipsis Ecclesiis recitare possint Officium Dedicationis cum Octava, ac Officium pariter recitare de Sanctis Titularibus earundem Ecclesiarum? Sacra eadem Congregatio, referente me infrascripto Secretario rescripsit: *Negative*, Die 27. Augusti 1836.

4635. CAPUANA.

Eminentissimus, et Reverendissimus Cardinalis Serra-Cassano Archiepiscopus Capuanus Sacrorum Rituum Congregationi sequentem porrexit supplicem libellum pro declaratione nonnullorum Dubiorum, nimirum:

Emi, et Rmi Patres.

Quum a Sacra Rituum Congregatione concessa fuerint pro hac Archidiaecesi Capuana Officia Sanctorum Summorum Pontificum Romanorum sub ritu duplici, et quum nequeant nonnulla celebrari diebus propriis ob occurrentiam aliorum Sanctorum tam Dioecesis, quam Regni, et haud veleant eadem transferri ob dierum deficientiam; Eminentiis Vestris sequentia Dubia benigne declaranda propono.

I. An liceat anticipare perpetuo Officia praedicta noviter concessa, assignando ipsis dies, circa initium Anni, et quatenus negative quomodo agendum?

II. An occurrente Festo duplici ex praedictis, in semiduplicibus liceat ista perpetuo instar simplicium celebrare, ne prorsus omittantur?

III. An liceat nonnulla Festa semiduplicia instar simplicium celebrare, ut fiat de Festo duplici translato?

Sacra autem Congregatio coadunata ad Quirinale in Ordinariis Comitiis referente me infrascripto Secretario, respondit; *Negative in omnibus, et detur Decretum in una Ordinis Capuccinorum diei* 8. *Martii* 1738. Die 27. Augusti 1836.

4636. LUCIONEN.

Sacrorum Rituum Congregatio ad Quirinale hodierna die in Ordinario Coetu coadunata quum ab me infrascripto Secretario acceperit, pro parte Magistri Coeremoniarum Reverendissimi Episcopi Lucionen. requiri; an Reliquia Sanctissimae Crucis Domini Nostri Jesu Christi fidelium venerationi exposita, iisdem Caeremoniis honorari debeat, quibus honoratur Sanctissima Eucharistia pariter solemniter exposita; quumque compererit, alias et praesertim sub die 7. Maji 1746. sancitum fuisse, ut ante ipsum Lignum Crucis genuflectatur unico genu, et ut in thurificatione Sacerdos non genuflecteret, rescribendum censuit: *Dentur Decreta praesertim in Varsaviensi die 7. Maii* 1746.

Atque ita rescripsit, servarique mandavit: Die 27. Augusti 1836.

4637. LUCANA.

Ad supplicem Libellum hodierni Guardiani Ordinis Minorum de Observantia Sancti Francisci Civitatis Lucanae exquirentis, an attenta ibi invecta immemorabili consuetudine, continuari possit usus decantandi Vesperas, Celebrante Alba, Stola, et Pluviali induto? Sacra Congregatio, referente me infrascripto Secretario, respondendum censuit: *Serventur Decreta:* Die 27. Augusti 1836.

4638. MINORICEN.

Ut in Ecclesiasticis Coeremoniis, Sacrisque Ritibus singula ex ordine procedant, Reverendissimus Episcopus Minoricen. sui muneris esse duxit Sacram hanc Rituum Congregationem adire, ac insequentium Dubiorum declarationem efflagitare, nimirum:

I. An in Missa Sancti Vincentii Levitae Martyris, de quo in Regno Hispaniarum Officium quotannis persolvitur ex Apostolico Indulto diei 6. Julii 1819. sub ritu duplicis secundae Classis cum Octava dicendum sit Symbolum Nicaenum?

II. Quum ob elevationem ritus memorati Officii Sancti Vincentii, alia die instituendum sit Festum Sancti Anastasii Martyris: quaeritur an pro Officio Sancti Anastasii ad libitum assignari possint Lectiones tertii Nocturni, et Missa de Communi.

III. An item liceat ad libitum in quolibet Officio assignare Missam de Communi, quae est primo loco, et Homiliam, quae in eodem Communi habetur vel secundo, vel tertio loco? et sic e converso?

IV. An stante Rubrica, quae in aliquibus Breviariis praecedit Evangelium: *Nolite arbitrari:* et Homiliam, scilicet pro Martyre non Pontifice, quando dicitur Missa: *In virtute tua:* aut ea, quae solum ait pro Martyre non Pontifice, intelligi debeat cum particula exclusiva tantum?

V. Quum diversi diversa opinentur circa designationem Lectionum tertii Nocturni in Octava Nativitatis Sancti Joannis Baptistae, et in die pariter Octava Dedicationis Ecclesiae, siquidem alii dicant sumendas esse de secunda die, alii de quarta die infra Octavam, quaeritur quae certa indubiaque regula servari debeat?

VI. Quum pro nullis Sanctis propriis Regni Hispaniarum, de quibus recitatur Officium ritu duplicis minoris habeantur Lectiones primi Nocturni de Communi, pro aliis vero de Scriptura occurrente, quaeritur quae certa regula sequi debeat quoad memoratas primi Nocturni Lectiones in Officiis duplicibus minoribus?

VII. An quoad easdem Lectiones primi Nocturni in duplicibus minoribus standum sit Dispositionibus Directorii, vel Breviarii?

VIII. An licitum sit in duplicibus minoribus, et etiam semiduplicibus Lectiones primi Nocturni pro lubitu desumere vel de Communi, vel de Scriptura, quando diversitas extat inter dispositionem Directorii, et Breviarii?

IX. An illa Festa, quae prius concessa fuere aliquibus Ecclesiis, vel Dioecesibus cum Lectionibus primi Nocturni propriis, vel de Communi, et deinde concessa fuit extensio pro omnibus Hispaniarum Regnis, vel pro toto Clero cum Lectionibus propriis, retinere debeant Lectiones primi Nocturni propriae, vel de Communi.

X. An in omnibus Festis, in quibus habentur Responsoria propria, semper in Nocturno Lectiones sumi debeant de Communi?

Eminentissimi itaque ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Quirinale sub infrascripta die coadunati, re mature, diligenterque examinata, acceptaque a me infrascripto Secretario fideli relatione, singulis propositis Dubiis satisfacientes respondendum censuerunt.

Ad I. *Affirmative ex concessione.*

Ad II. III. et IV. *In casu dicendam esse Missam - In virtute - cum Evangelio - Si quis venit - instar concessionis factae Clero Ulysipponen. die* 17. *Septembris* 1744. *In similibus supplicetur particulariter.*

Ad V. *Servetur Rubrica peculiaris Breviarii Romani adeo ut quando nullae Lectiones intra Octavam sint lectae, in die octava legantur, ut in secunda die: quando vero omnes fuerint lectae, in Octava erunt ut in Festo.*

Ad VI. *Lectiones primi Nocturni in casu esse de Scriptura, nisi diversae in Indulto expresse assignentur.*

Ad VII. *Jam provisum in proximo.*

Ad VIII. et IX. *Ut ad proximum.*

Ad X. *Affirmative.*

Atque ita rescripsere, ac servandum omnino mandarunt. Die 27. Augusti 1836.

4639. SEDUNEN.

Precibus Parrochi Ernen. in Diocesi Sedunen. hisce conceptis terminis: Beatissime Pater. Valentinus Mutter Vicarius Foraneus, et Parrochus loci Ernen. Dioecesis Sedunen. humillime supplicat Sanctitati Vestrae, pro facultate perpetua celebrandi ante fores Sacelli in honorem Beatae Mariae Virginis aedificati, et ab Ecclesia Parrochiali leuca distantis, pro diebus Festis Visitationis Beatae Mariae Virginis, et aliis in quibus occurrit Populi concursus. Hanc sperat, et implorat gratiam ob praedicti Sacelli exiguitatem, qua fit, ut multi Sacerdotem celebrantem videre non valentes, minorem Sacrificii fructum percipere possint, ideoque deforis in muro Altare extructum est, quod, finito Missae Sacrificio, ita clauditur, ut ab omni irreverentia sit vacuum. Et Deus etc. Sacra Rituum Congregatio, audita prius sententia alterius ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris scripto pundita, ac referente me Secretario, rescribendum censuit - *Negative juxta Votum* - Die 27. Augusti 1836. (1).

(1) Reddita per Constantinum Imperatorem Ecclesiae pace, extructisque publicis Templis in quibus Fideles libere Religionis munera poterant exercere ea cessarunt tempora, quibus, cum ob assiduas persecutiones sacra my-

4640. SUANEN.

Ab immemorabili, et numquam interrupta consuetudine illud est in more positum penes Capitulum Cathedralis Suanen. Ecclesiae, ut quoties Canonicus

steria publice celebrari nequirent, quocumque in loco ea peragebantur ad vitandam Tyrannorum crudelitatem. Hoc respiciunt illa Dionysii verba: *Quivis locus, ager, solitudo, navis, stabulum, carcer, ad sacros conventus peragendos fuit:* Romae, saevientibus persequutionibus, in arenariis, cryptis aliisque occultissimis locis Sacra peragebantur: illuc Fideles conveniebant absque persequutionis metu. Hac amplius non existente ratione, Sacra peragi nequeunt nisi in Ecclesiis: hinc Cyrillus Alexandrinus adversus Anthropomorphytas scribit *cap.* 2. *Donum sive oblatio, quum mystice celebramus, in solis Orthodoxorum sanctis Templis offerri debet, neque alibi omnino; qui secus faciunt aperte legem violant.* Sacrosancti Tridentini Concilii Patres ut debitum cultum instaurarent qui Missae Sacrificio debetur, ad Laicorum abusum de privilegiis tollendum, vel etiam ad Episcoporum, qui passim ubique celebrandi facultatem tribuebant, nimiam coarctandam libertatem, ex quo non raro aut Fidelibus scandalum, aut dedecus et irreverentia sacrae actioni oriebatur, solliciti, ut erant, Tridentini Patres in Ecclesiastica disciplina restauranda, ac de cultu et veneratione erga Missae Sacrificium Sess. XXII. *de observandis et evitandis in celebratione Missae* generali *Decreto sanxerunt . . . ne patiantur locorum Ordinarii privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, et ad divinum cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda, et visitanda, sanctum hoc Sacrificium a saecularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi.* Hoc Decretum consonat iis quae leguntur in canone *Missam, de Consecratione* Dist. I. *Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit celebranda censemus:* pariter *cap.* 1. *de Consecratione Dist.* 1. *in aliis quam Domino sacratis locis, idest in Tabernaculis, divinis precibus a Pontifice delibutis Missam cantare, aut Sacrificia offerre licet, nisi summa cogeret necessitas.* Ex Sacrosancti Concilii Decreto, ex canonum dispositione locus pro Missae Sacrificio celebrando est Ecclesia, sunt oratoria ad divinum cultum dicata; alibi celebrare haud omnino licet: Hoc generice, potest enim Missa celebrari in Oratoriis privatis quod aliquibus ex Apostolico privilegio conceditur, iis servatis conditionibus quae solent in Litteris Apostolicis apponi. In allato cap. de Consecratione Dist. 1. reperitur quaedam exceptio, nam postquam praeceperit *non aliis quam Domino sacratis locis licere Missam cantare aut Sacrificium offerre*, haec leguntur: *Nisi summa urgeret necessitas.* Iam videndum est an haec urgeat necessitas, quae non quaecumque sed *summa* esse debet ob quam posset Supplex Parochus vel alius quicumque Sacerdos solvi a generali Lege et ab obligatione celebrandi Missam in Ecclesia aut Oratorio, ut supra, et facultatem obtinere eam celebrandi extra Sacellum ante huius fores. Sane satis est supplicem libellum Oratoris legere ut ipso primo intuitu appareat nullam, non modo summam sed quamcumque necessitatem esse, ut possit a communi et generali lege dispensari. Porro summa et urgens causa, non ea est, quae est apprehensa ut talis, sed vera et realis, quaeque a Theologis admittitur, cum ex. gr. deest Ecclesiarum copia, et urget praeceptum celebrationis vel au-

(qui ob paucitatem Sacerdotum insimul munus exercet Parrochi in Ecclesia sub titulo Beatae Mariae Virginis ejusdem Civitatis) Hebdomadarii officium in Choro diebus festis, quibus tantum in recensita Cathedrali Chorus agitur, exercere debeat, praedicta in Ecclesia Parrochiali, ejusdem Cathedralis Praepositus. Modernus autem Praepositus, quin plausibilis ei excusatio suffragetur, in praesentiarum hoc praestare renuit. Ad Parrochianorum ita assistentiae providendum, vitandasque controversias, et dissidia, ac pacem quoad fieri potest inter Sacerdotes servandam, Paulus Febri Canonicus Parrochus Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia humillime proposuit pro opportuna solutione, nimirum:

diendi Sacrum, itidem tempore pestis, belli, persequutionis cum imminens adest vitae periculum, quibus in circumstantiis quovis in loco celebratio permittitur. Deficiente hac necessitate nulla sufficiens ratio reperitur, quae suadeat recedi posse a generali lege, ab antiquissima consuetudine, Parochi loci Ernen. precibus annuendo. Exclusa necessitate pro dispensatione concedenda, minora sunt, quae exponit Parochus; adducit ipse, ut quod petit obtineat, tamquam rationes praecipuas, suam erga *Beatissimam Virginem devotionem* aeque ac Populi, cujus, diebus in precibus notatis, occurrit concursus. Iam simplex devotio, non est sufficiens ratio pro dispensatione a lege obtinenda: si haec admitteretur ratio, actum esset de quamplurimis Ecclesiasticis Sanctionibus; omnes enim sola devotionis causa exemptionem ab illis postularent, quod certe nequit admitti; neque pariter pro sufficienti ratione haberi potest. Populi concursus, qui a devotione tantum oritur, non a necessitate ad Sacellum accedendi; ipso enim fatente Parocho alia extat Ecclesia, nempe Parochialis, et haec non ita dissita ut sit difficillimus aut impossibilis accessus, leuca enim tantum distat. Duo autem quae addit non majoris momenti reperiuntur: exiguitatem, nempe, Sacelli, per quam fit ut Fideles Celebrantem non videant, et, minorem, ut ipse ex ea infert, fructum a Sacrificio hac de causa percipiendum: Primum per se ipsum corruit, nam non deest Ecclesia, et haec, ut supra notatum est, non valde dissita. Ad eam, si dies fert obligationem audiendi Sacrum, prius accedant pro praecepti adimplemento, et deinde adeant Sacellum ut devotioni satisfaciant. Quod autem ab exiguitate Sacelli infert, nequit prorsus admitti et absurditatem redolet; Fructus enim quem a Sacrificio Fideles percipiunt non a materiali pendet praesentia, sed a majori vel minori qua quisque adest attentione, mentis ad Deum elatione, cordis affectu, et tantae actionis consideratione. Haec aliaque similia requiruntur ad fructum percipiendum, quae si desint nullus ac pene nullus perciperetur fructus; posset enim aliquis videre et audire celebrantem, nullum tamen, licet sit praesens, peculiarem acquirere fructum, eo quod vel mente vagatur, vel cum vicino loquitur, vel dormitat, aliudque aliud agit, quod a sacra actione est alienum, nec quidquid minimum de ea cogitat. Ex his omnibus sive a Lege sive a Concilio Tridentino et canonibus decerpta, sive a Patribus vel a Theologis aut a vetustissima consuetudine deprompta, sive, demum, ab infirmitate adductarum rationum, apparet, quam recte, quam apposite Sac. Rit. Congr. negativam responsionem protulerit.

1. An supradicta vetusta consuetudo, tamquam vim legis habens, debeat et possit sustineri?

2. An Dioecesanus Episcopus reluctantem Praepositum ad eamdem consuetudinem retinendum cogere possit, et quomodo?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinales Aedes infrascripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem mei subscripti Secretarii, attenta potissimum enunciata consuetudine, ac Reverendissimi Episcopi Informatione et Voto, rescribendum censuit ad utrumque Dubium – *Affirmative in omnibus ad formam consuetudinis* – Die 27. Augusti 1836.

4641. NERITONEN.

Reverendissime Domine uti Frater. Quum ab hac Sacra Rituum Congregatione humillimis datis precibus expetierit hodiernus Prior Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti istius Nertionen. Civitatis declarari, an Sodalitati ipsi jus competat praecedendi aliis Sodalitatibus in Processionibus Sanctissimi Sacramenti, quod quidem jus quamvis fundatum super Decretis alias ab hac ipsa Sacra Congregatione prolatis, in praesentiarum ipsi controvertitur; quumque Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi compererint juxta Constitutionem sa. me. Gregorii Papae XIII. et alia Decreta, praesertim in una Verullen. diei 20. Septembris 1687. – *Societatem Sanctissimi Sacramenti praecedere debere in Processionibus, in quibus Sanctissimum Sacramentum defertur tantum; dummodo eadem accedat ad alias Processiones juxta ordinem antianitatis*: hinc ad jurgia eliminanda, in ordinariis Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis, ad supplicem enunciatum libellum rescribendum censuerunt – *Episcopo, qui ad formam Constitutionis Gregorii XIII. et Decretorum provideat.* – Amplitudinis itaque Tuae erit singula componere juxta mentem Sacrae Congregationis. Et diu felix, atque incolumis vivat. Romae 27. Augusti 1836.

4642. VALVEN. SULMONEN.

Quum Festum Visitationis Deiparae ex Apostolico Indulto in Regno utriusque Siciliae instituatur sub duplici praecepto; quumque hujusmodi Festum vulgari titulo nuncupetur Gratiarum, Reverendissimus Episcopus Valven. Sulmonen. anceps haerebat quodnam Officium recitandum esset die secunda Iulii, illud nimirum Visitationis, an aliud Beatae Mariae Virginis Gratiarum? Ad tollendam quocirca dubitationem omnem, humillimas porrexit preces Sacrorum Rituum Congregationi, opportunam exposcens declarationem. Quae in ordinario Coetu ad Quirinale subscripta die coadunata, referente me infrascripto Secretario, respondendum censuit – *Servetur Festum de praecepto cum Officio Visitationis Beatae Mariae Virginis.* – Atque ita in posterum servandum esse mandavit. Die 27. Augusti 1836.

4643. VENUSINA.

Precibus Parrochorum Civitatis, et Dioecesis Venusinae reclamantium jus canendi Missam in Funeribus suorum Parrochianorum, quod quidem jus controvertitur a Capellanis Confraternitatum, in quarum Ecclesiis defunctorum Cadavera efferuntur; Sacra Congregatio Rituum inhaerendo alias statutis rescribendum censuit – *Detur Generale Decretum diei 11. Ianuarii 1704. ad Dubium XX. dummodo defunctus sit Parrochianus* – Die 27. Augusti 1836.

4644. CONGREGATIONIS MISSIONIS.

Quod iugiter in Votis habuerunt Presbyteri Congregationis Missionis Pro-

vinciae Neapolitanae, ut sibi nimirum concederetur altera Domus tum pro Tyronibus instruendis, tum pro spirituali recessu eorum qui ad Sacros promoventur Ordines, illud denique Deo adjuvante concessum est, et adsignatum Coenobium in ipsa Civitate Neapolitana olim Ordinis Discalceatorum Sancti Augustini, ac novissime a Carthusianis dimissum. Quoniam vero penes eamdem Congregationem illud in more positum est, ut quando intra eamdem Civitatem binae sint constitutae domus, ejusdem Alumni ad Superioris nutum alterutram incolant; propetereaque Visitator ejusdem Congregationis et Provinciae ad uniformitatem obtinendam, utque nova haec Domus omnia illa assequatur, quae ex privilegio, gratia, et indulto coeterae habent, Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicavit:

1. Ut Tyrocinii Domus Neapolitana olim Coenobium Sancti Nicolai, in praesentiarum Congregationis Missionis sequenti Indulto gaudeat, nimirum 1. In nocte Nativitatis Domini intra Missarum Solemnia sacram Synaxim ministrandi Clericis, Confratribus, et Familiaribus Congregationis non solum, verum etiam Clericis externis, praesertim Congregationis Conferentiae, qui Ecclesiam ea nocte frequentare consuescunt: 2. Canendi in Choro Vesperas ut intra Octavam Corporis Christi Dominica post idem Festum, etsi per accidens aliud occurrat Officium ritus duplicis: 3. Celebrandi Feria quinta in Coena Domini januis clausis unicam Missam lectam ante Solemnem, in qua ministretur Sacra Eucharistia Confratribus, ministeriis domus temporalibus addictis.

2. Ut Sanctus Vincentius a Paulo Congregationis Missionis Institutor assumi valeat Contitularis novae Ecclesiae.

3. Ut, quoniam in hujus Ecclesiae Ara principe nulla extat Icon, collocari ibidem valeat illa Beatae Mariae Virginis Conceptionis titulo, sed illa forma effigiata, quam refert numisma Parisiis Anno 1830. cusum (1).

(1) Sacrosancta Tridentina Synodus ad varios tollendos abusus qui circa Sanctorum Imagines irrepserant, sive quoad habitum sive quoad formam quae pictae aut sculptae in Ecclesiis, aliisque locis ponebantur, multa censuit decernere: Inter haec non modo sunt quae prohibent imagines aliquid profani eoque magis inhonesti oculis Fidelium exhibentes, sed eas quoque quae novitatem redolent, et quae diverso modo pictae videntur ab eo, quo antiquo tempore, pingi aut Sculpi, et sic exponi in Ecclesia consueverant. - Postremo (verba sunt Sacrosanctae Tridentinae Synodi de Sacris Imaginibus) tanta circa haec diligentia et cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat, cum domum Dei deceat Sanctitudo. Haec ut fidelius observentur, statuit Sancta Synodus nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia etiam quomodolibet *exempta ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem nisi ab Episcopo approbata fuerit* - Sanctorum quidem imagines juxta S. Synodum *oculis Fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum et diligendum Deum et ad pietatem colendam.* -

Item Summus Pontifex Urbanus VIII. peculiari edito Decreto ad eosdem abusus eliminandos, qui ut Ipse ait, ex Decreti ejusdem S. Synodi inobedientia pariter irrepserant, eadem quasi verba referendo eadem renovat, et pariter iterum praecipit ut Imagines aliter pictae vel sculptae ab Ecclesiis aliisque locis quibuslibet amoveantur, et de-

4. Ut in Officio hujus festivitatis Conceptionis Beatae Mariae Virginis recitari valeat Officium, ac Missa propria, uti recitatur, ac celebratur ab universo Ordine Minorum Sancti Francisci.

leantur, vel redncantur, et reformentur quoad habitum et formam *in Catholica Ecclesia et Apostolica ab antiquo tempore consuetam, et quae oculis Fidelium subjiciuntur non inordinata, et insolita appareant*. Iam Imago Beatissimae Virginis Mariae sub titulo Conceptionis quam Orator postulat collocari in Ara principe Ecclesiae non ea sane est, quae inter eas possit adnumerari, quae aliquid profani aut aliud hujusmodi Fidelibus repraesentet, quin immo habet quid quod eos revocet ad quamdam visionem licet non satis probatam, adeoque per hoc S. R. Congregatio respondit *non expedire*, sed quia imago haec eo quo picta est modo, et eo quo repraesentatur in numismate Parisiis cuso, differt quamplurimum ab ea Imagine qua a vetustissimis temporibus Beatissimae Virginis Conceptio pingi consuevit, atque hinc cum hujusmodi Imago nova et insolita sit in Ecclesia, ut talis adnumerari inter eas debet de qnibus et Sanctae Tridentinae Synodi Patres, et Urbanus VIII. decreverunt, non licere ullo in loco vel in Ecclesia ponere, nisi pntandum sit per ea verba *nova* et *insolita*, voluisse praecaveri ne pictores externa quadam libertate in pingendis imaginibus, nterentur contra usitatum Ecclesiae morem. At S. C. omnimodam varietatem hoc Decreto rejecit.

Dicet fortasse aliquis Romae Imaginem hanc et modo supradicto repraesentatam alicubi positam esse in Altari, ex. gr. in Ecclesia S. Andreae de Fractis et alibi. Nemo certe hoc inficiabitur, sed nihil ab hoc desumi poterit pro licitndine. Nova enim et insolita semper erit habenda. Insuper de hac Imagine dici potest eam ibi positam fuisse ad memoriam quamdam servandam assertae apparitionis in hac Ecclesia sub tali repraesentatione non multis ab hinc annis habitae ab Israelita Ratisbon, ex qua factum est ut eo ipso momento ex acerrimo Christianae Religionis hoste huic ipsi nomen dederit: potest etiam dari ut haec imago tali modo picta etiam in alia aliqua Ecclesia sit collocata de Ordinarii licentia per ea verba quae in Tridentini Concilii et Urbani VIII. decretis leguntur *nisi ab Episcopo approbata fuerit*, quae similibus in casibns Ordinariorum consensum et approbationem exposcunt: at nihilominus Imago de qua hic est sermo nova semper est et insolita; et diverso modo repraesentata ab eo, quo Imago Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae ab *antiquo tempore repraesentari consueverat*, sed quae a S. R. Congregatione numquam approbata fuit, et numquam facultas data illam exponendi: hinc ne haec S. Congregatio secum ipsa pugnaret, nulla interveniente ratione pro facultate hac in re concedenda, *non expedire* merito respondere censuit.

Quid vero de hujusmodi Imaginis appositione in Ara Maxima Ecclesiae dicendum? Ex dictis sponte descendit negativa responsio, quae enim Imago non approbatur, ea nec exponi potest. Sed alia etiam ratio est eaque magni momenti. Sane S. Nicolaus Tolentinas erat Ecclesiae Titularis. Iam semel ac Ecclesia Deo in honorem Sancti alicujus in Consecratione dicata est, Sanctus hic est Ecclesiae Titularis. Hic autem, ut observat Gujettus, est relate ad Ecclesiam, quod est in homine baptizato nomen quod imponitur, ita ut a Sancti titulo quo nuncupatur Ecclesia illa ab aliis Ecclesiis velnti proprio nomine dignoscatur. Iuxta enndem Gujettum si Ecclesia

5. Ut in hac Ecclesia institui valeat Festum Sancti Vincentii a Paulo die octava sub ritu duplicis secundae Classis, primisque Vesperis de eodem, etiam si concurrant secundae Vesperae Sancti Iacobi Apostoli, de quo hoc casu fiat tantum commemoratio.

6. Praeter Aram maximam ejusdem Ecclesiae etiam aliud Altare Icone destituitur, ut hoc in Altari collocari valeat Icon Sancti Vincentii a Paulo Fundatoris. (1)

Deo in alicujus Sancti honorem dicata est, mutari nequit Ecclesiae titulus, nisi accedente nova Ecclesiae dedicatione, et hoc in casu aequum est ut non alio sub titulo ea dedicetur nisi eo quo prius erat dedicata, et ab eodem nomine nuncupetur. Iam juxta hoc principium cum, ut exponitur, nulla extet Imago in Ara principe, Ecclesia autem in ipsa consecratione fuerit Deo in honorem Sancti Nicolai Tolentinatis dicata, et hic proinde sit antiquus Ecclesiae ejusdem Titularis, ratio postulat ut non alia Imago in Ara praedicta, quam S. Nicolai apponetur quemadmodum S. R. Congregatio apponi jussit.

(1) Aequum est ut Religiosa Familia quaecumque ea sit cui Ecclesia aliqua uti propria concessa est et cujus curae est concredita, Imaginem illius Sancti in Altari apponat qui Religiosam familiam instituit: hinc est quod S. R. Congregatio Oratoris precibus annuit per affirmativam responsionem. In hac tamen responsione aliquid eodem tempore addidit, per quod Oratori non reliquit libertatem apponendi quamcumque Imaginem, coarctavit enim illius voluntatem per ea verba *juxta modum*. Quis autem esse deberet modus postea praescripsit. Permittit quidem S. Congregatio ut tam Imago Conceptionis Beatissimae Mariae Virginis apponatur, tam Imago S. Vincentii a Paulo in Altaribus lateralibus, ( nec enim censuit S. C. precibus abnuere cum agatur de Beatissima Virgine, et de Fundatore) hac tamen lege, ut Imago Beatissimae Virginis Conceptionis eo repraesentetur modo quo juxta vetustissimum morem solet repraesentari. Conditio haec necessario erat ponenda, semel ac in responsione ad *tertium* eam Imaginem, rationibus super adductis excluserat, ea forma repraesentatam quam refert numisma Parisiis cusum.

Concessit quoque S. C. ut aequam appositionem in Altari altero laterali Imaginis S. Vincentii a Paulo uti fundatoris Congregationis Missionis cum praecepto tamen ponendi etiam Imaginem Sancti, cui Altare dicatum est, et optime quidem et apposite; cum enim altare hoc alteri Sancto fuerit jam dicatum, ratio postulat, ut et hujus Imago ponatur, ne illius memoria poenitus depercat a quo tamquam peculiari titulo nuncupabatur. Iam sublata picta tabula in quo ipse repraesentabatur, non eidem pariter sublatum fuit jus, quod in Altaris consecratione super eo accepit, quo non amisso, debet et illius Imago iterum in altari apponi; dici et hic potest quod de Ecclesiarum nova consecratione dictum est, et cum aequum sit ut in nova Ecclesiae consecratione non sub alio titulo ea consecretur, et non ab alio nomen accipiat, nisi a veteri, a quo appellabatur, ita et Altare a Sancto nuncupetur cui olim fuit dicatum. Hoc sane in responsione non praecepit S. R. Congregatio eo stricto modo ut major picta tabula, quae muro adhaeret imaginem exhibeat Sancti illius cui olim Altare dicatum erat, liquet id ex ipsa expressione, quam addidit, *juxta modum*, et hujus enunciationis explicatione: concessit enim S. Congregatio ut in uno ex altaribus majori collateralibus poneretur Imago Conceptionis Beatae Mariae

7. Ut quoniam Anniversarium dedicationis hujus Ecclesiae incidit in aliam diem, qua peragitur in alia Ecclesia veteris Domus, supplicat demum, ut de eo agi valeat eadem die pro uniformitate cum primaria Ecclesia.

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinales Aedes infrascripta die Ordinario in Coetu coadunata, ad relationem mei subscripti Secretarii, omnibus rite, matureque libratis respondendum censuit.

Ad I. *Pro gratia in omnibus; dummodo quoad Vesperas in Dominica intra Octavam Corporis Christi, privatim recitent Vesperas diei qui ad Horas Canonicas tenentur.*

Ad II. *Non expedire.*

Ad III. *Negative et apponatur Imago Sancti Nicolai Titularis.*

Ad IV. *Non expedire.*

Ad V. *Pro gratia.*

Ad VI. *Affirmative juxta modum; nimirum, ut quoniam in collocatione Iconis Sancti Nicolai in Ara principe duo remanent Altaria collateralia vacua in his poni valeat Imago Sancti Vincentii ex una, et Conceptionis Beatae Mariae Virginis ex altera parte, sed juxta veterem morem expressa, nusquam vero ad instar supradicti Numismatis; dummodo tamen iisdem in Altaribus collocetur in ovali figura super gradus Candelabrorum etiam Imago illius Sancti, sub cujus titulo constat Altare fuisse consecratum juxta Decreta sa. me. Alexandri Papae VII.*

Ad VII. *Negative.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 27. Augusti 1836.

4645. PRAENESTINA.

Ut in Ecclesiasticis Functionibus, Sacrisque Coeremoniis omnia rite procedant Capitulum Cathedralis Basilicae Praenestinae Sacrorum Rituum Congregationi sequentia proposuit Dubia pro opportuna declaratione, ac solutione, nimirum:

1. An Gubernator, et Magistratus Civitatis dum Vestibus Consularibus induti consuetis diebus ad Cathedralem accedunt, excipi debeant ab alterutro ex Canonicis, vel Capitularibus Cappa induto, qui Aspergillo ipsis Aquam benedictam porrigat?

2. An idem Magistratus possit Tappete, vel Strato ornare proprium Scamnum situm in medio Ecclesiae, ac serica pulvinaria genuflexorio superimponere?

3. An Canonici, aliique Capitulares vel conjunctim, vel seorsim ad Chorum euntes, vel redeuntes teneantur exhibere actum reverentialem Magistratui stanti in proprio Scamno? Et in casu affirmativo, quomodo?

4. In eodem casu affirmativo, an idipsum praestandum quoque sit a Celebrante, et Ministris Paramentis indutis?

5. An in solemni Supplicatione Sanctissimi Corporis Christi Gubernator,

Virginis, veteri modo repraesentatae in altero S. Vincentii a Paulo, at optime noscens S. C. Sanctum illum, cui olim altare dicatum erat, jus adhuc habere ut aliqua de eo memoria in eo extet, ad sartum tectumque illius jus servandum imaginem illius in picta tabula ovalis figurae super gradus candelabrorum, ut Sanctorum Imagines apponi solent, apponendam esse praecepit. Responsio itaque S. Congregationis et additio *juxta modum* consona quammaxime est rationi, praxi, Liturgicorum sententiis et auctoritatibus a quibus discedere non licet.

et Magistratus cum Intortitiis accensis incedere possint immediate post Sanctissimum Sacramentum ad instar Majorum Magistratuum?

6. An Feria quinta in Coena Domini ad accipiendam Sacram Synaxim accedere possint ad gradus Altaris? Et in casu negativo, an saltem ipsis dispensari debeat Sanctissimum Sacramentum intra septa Presbyterii, scamno ad hoc parato?

7. An Gubernator Civitatis thurificari debeat triplici ductu, quum Dignitates, Canonici, et reliqui de Magistratu duplici tantum ductu cohonestentur?

Hujusmodi Dubiis ab me infrascripto Secretario propositis in Ordinariis Comitiis ad Quirinale habitis sexto Idus Augusti superioris Anni 1835. antequam Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi quidquam rescriberent, sententiam alterius ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris requirendum esse satius duxerunt, ac proinde rescribendum censuerunt — *Exquiratur super omnibus Votum Magistri Coeremoniarum* — Ad tramites quocirca enunciati Rescripti, habito hujusmodi Voto, ac iterum proposita Causa in novo Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die coadunato, re mature, diligenterque perpensa, in omnibus juxta Votum ipsius Magistri Coeremoniarum propositis Dubiis respondendum esse censuit.

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Magistratui competere Sedile ligneum sine suppedaneo, panno coopertum: lanea item, et non serica pulvinaria genuflexorio superposita, ut in una Baren. diei* 2. *Septembris* 1690.

Ad III. *Affirmative capite detecto ut in una Camerinen. diei* 26. *Januarii* 1664.

Ad IV. *Affirmative sed capite tecto.*

Ad V. *Negative ad tramites Coeremonialis lib.* 2. *cap.* 33. §. 5.

Ad VI. *Affirmative ad primam partem.*

Ad VII. *Negative sed duplici ductu tantum.* (1)

Atque ita rescripsit, ac in omnibus servari mandavit. Die 27. Augusti 1836.

(1) Responsa quae dedit S. Congregatio dubiis a capitulo Ecclesiae Cathedralis Praenestinae propositis tum caeremoniali Episcoporum, tum sensui ipsius S. Congregationis, tum etiam probatae consuetudini innituntur. Etenim in primo dubio, an, scilicet conveniat Magistratum excipi in ingressu Ecclesiae ab altero ex Canonicis vel Capitularibus, quamquam nihil statuat Coeremoniale Episcoporum, nihilque haec S. Congregatio umquam edixerit, affirmativum tamen protulit responsum, quia laudabilis Ecclesiae illius consuetudo, scilicet, excipiendi Magistratum minime Ecclesiasticis legibus opponitur, et est juxta omnes Urbanitatis regulas; aequum enim est ut iis qui civitatem seu populum repraesentant hujusmodi honor deferatur.

Ad secundum dubium respondit non debere ornari tapete vel strato sedilia Magistratus, quia opponeretur antiquissimo Ecclesiae mori, juxta quem sola Episcopi sedes panno seu strato contegitur. Quoad reverentias a clero sive sacris vestibus, sive chorali habitu induto pro diversitate exhibendas nonnulla extant decreta ex quibus afferemus illud in Firmana diei 3. Aprilis 1677. nempe = *S. Congregatio censuit teneri ex urbanitate et juxta solitum suppositum Sacerdotes in ingressu et regressu Altaris post venerationem Sanctissimi salutare Magistratum terrae Montis Causaris Fir-*

4646. FLORENTINA.

Ad preces Reverendissimi Archiepiscopi Florentini expetentis Indultum, cujus vigore Canonicus suae Metropolitanae Joseph Chiecchini incumbens constructioni Processus Ordinarii Servae Dei Reginaldae Tosetti participare valeat de distributionibus Choralibus, quamvis hac de caussa Choro non intersit, Sacra Congregatio rescripsit: *Non indigere, et detur Decretum in Neapolitana diei* 23. *Dicembris* 1817. *quo declaratur Dignitates, et Canonicos ubique locorum existentes, qui construendis Processibus Ordinariis, vel Apostolicis operam dabunt, licet e Choro ea de causa absint, lucrari ne dum quotidianas distributiones, verum etiam alias omnes quocumque jure, titulo, et nomine, et quibusvis sub clausulis personale servitium exquirentes. Hoc autem Indultum locum habere iis tantum diebus, quibus conficiendis, et adornandis Inquisitionibus incumbunt. Die* 27. *Augusti* 1836.

4647. SENOGALLIEN.

Contradicente altero ex Parrochis loci Montis novi in Dioecesi Senogallien. usum Stolae deferendae a Cappellano Confraternitatis Vexillariorum ejusdem loci, Sacrorum Rituum Congregationi enixas dederunt preces Priores ipsius Sodalitatis pro consuetudinis manutentione, atque insuper declaratione utrum praedictus Cappellanus in publicis Processionibus, Cadaverum associatione, aliisque Functionibus, quibus intervenit Confraternitas, Stola e collo pendente uti possit? Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in ordinariis Comitiis ad Quirinale habitis, rescribendum censuerunt — *Juxta alias decreta pro gratia* — Die 27. Augusti 1836.

4648. CIVITATIS CASTELLANAE.

Eminentissimi e Reverendissimi Signori.

Il Capitolo e Canonici della Chiesa Cattedrale di Civita Castellana divotamente espongono, che il Reverendissimo Signor Don Emidio Mattei Canonico, e Vicario Generale di detta Città e Diocesi, tornato non a guari da Roma usa le Vesti di color nero di Protonotario Apostolico, e facendo uso di esse pretende in avvenire le seguenti onorificenze, cioè 1. Di prendere nelle Processioni il posto digniore alla destra del Canonico vestito di stola. 2. Di sciogliere in dette Processioni la coda, e farsi servire dal Caudatario. 3. Di celebrare fuori della Cattedrale la Messa letta, ed anche cantata con la Coda sciolta soffermata da un Chierico, con l'assistenza di due Canonici nelle Messe lette, con più di due Candele accese, e col farsi portare preventivamente il Calice all'Altare. Quindi gli Oratori Umilissimi supplicano ossequiosamente l'Eminenze Vostre Reverendissime, a degnarsi di dare le provvidenze necessarie, perchè siano impediti tali abusi, e tutto si faccia a norma dei venerati decreti di questa Sacra Congregazione. Che ec.

Hujusmodi precibus per me infrascriptum Secretarium relatis in Ordinario Coetu ad Quirinale hodierna die habito; Eminentissimi et Reverendissimi Patres in voto fuere, ut scriberetur Episcopo, ut sequitur;

*manae Dioecesis* = (Num. 2667): Quod si conferatur cum altero in responsione dubii exhibito, apparebit juxta probatam consuetudinam cujusque loci diversa responsa S. Congregationem dedisse. Nihil superest adnotandum circa alia dubia, quorum solutionis ratio a legibus in Coeremoniali Episcoporum contentis omnino pendet.

Reverendissime Domine uti Frater.

Quum ad hanc Sacram Rituum Congregationem pervenerint preces Capituli istius Cathedralis Civitatis Castellanae, quam amplitudo Tua in hunc eumdem Fasciculum conjectas reperiet: quumque Capitulum ipsum necessariam exposcat provisionem ad eliminandos nonnullos abusus, quos irrepsisse asserit ex quo hodiernus Vicarius Generalis Dioecesis ipsius inter Protonotarios Titulares adlectus fuit; hinc in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunatis Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, rescribendum censuerunt — *Serventur Decreta, ac novissima Costitutio quoad Protonotarios Apostolicos sa: me: Pii Papae VII.* — Ad praecavendas vero quascumque dissentiones satius esse duxit ipsa Sacra Congregatio Amplitudini Tuae injungere ut provideat quoad singula, quae indebite ab ipsomet Vicario exquiruntur. Sancitum est enim pluries in similibus, quod si Processionibus intersunt Vicarii Generales, quod valet etiam de Protonotariis, et non occupent locum propriae receptionis, incedant quidem ultimo loco, verum distributiones amittant, ac longiores vestis talaris fimbrias extensas, seu solutas gestare nequeant, quum non sint Functionarii. Quoad vero Sacri celebrationem conformare se debent in omnibus memoratae Constitutioni sa: me: Pii Papae VII. Idibus Decembris 1818. Hanc itaque Sacrae Congregationis mentem Amplitudinis Tuae erit omnimodae exequutioni demandare, ea qua decet prudentia, ut cunctis in pace dispositis, ac ordinatis nec in minimo laedantur hujus Sanctae Sedis quoad Ecclesiasticas Functiones providentissimae Sanctiones. Et Amplitudo Tua diu felix, et incolumis vivat. Romae 27. Augusti 1836. (1)

Reverendissimo Episcopo Civitatis Castellan. Hortan. et Gallesin.

(1) Post quamplurima Decreta edita a S. R. Congregatione, et post evulgationem Constitutionis *fel. rec.* Pii Papae VII., quoad Protonotarios Titulares, haud intelligi potest quomodo nonnulli ex his quaedam sibi sumant quae ipsis sunt vetita, contendantque sibi esse facultatem iis utendi honorificentiis, praerogativis, et distinctionibus, quae Protonotariis sive participantibus sive supranumerariis exclusive competunt, et eos renovent abusus, ad quos tollendos, qui irrepserant et praecavendos futuros, tam Constitutio quam Decreta edita sunt, et evulgata. At ea est, quam nonnulli de muneribus Summorum Pontificum indulgentia sibi collatis idea quam falso efformant, ea pariter eorumdem cupiditas pluris quam collatum munus postulet ab omnibus habendi, illud omnibus coaequalibus praecellendi immodicum desiderium, ut omni quo possunt modo finem sibi propositum attingere curent, et ita fit, ut quod ipsis ad majorem rerum sacrarum splendorem concessum est, per illius abusum in rerum ipsarum detrimentum convertatur, et sic a concedentium mente ac voluntate discedendo rerum ordo perturbetur, aliorumque jura laedantur, et statutae sapientissimo consilio leges perfringantur: hinc non raro etiam quaerelae et contentiones oriuntur, quae maxime dedecent Ecclesiasticos viros, quaeque eam animorum concordiam adimunt quae inter eos debet intercedere. Sed haec de medio facile tolluntur et praecaventur quoties potissimum quisque, eos non excedat limites inter quos privilegia et honores sibi tributi contineri debent.

At hodiernus Vicarius Generalis, de quo in dubio sermo est, limites hujusmodi est praetergressus, fortasse ex ignorantia Decretorum et Constitutionis. Si vero haec agnoverit, ex falsa vel nimis libera utriusque interpretatione et appli-

4649. SANCTI MINIATI.

Ex quo Parrochialis Ecclesia Deo in honorem Sancti Donati dicata loco vulgo Castel-Martini Dioecesis Sancti Miniati ita sejuncta fuit a Plebania nuncupat. Cacina ipsius Dioecesis, ut Aquam pro administratione Baptismatis sibi comparare deberet ab Ecclesia Matrici, Populum inter et Populum innumerae ortae sunt controversiae, et in praesentiarum vigentes, queis evellendis, componendisque Reverendissimo Episcopo hoc unum opportunum satis remedium visum est, erigendi nimirum Fontem Baptismalem in Parrochiali Ecclesia Sancti Donati a Parrocho pro tempore statis diebus benedicendum; quin inde in aliquo laedantur jura Ecclesiae Matricis, quae sarta semper et tecta esse debent. Apostolicum ad id Indultum humillimis datis precibus a Sanctissimo Domino Gregorio XVI. Pontifice Maximo expostulabat Parrochus Sancti Donati, queis sua vota adjecit Reverendissimus Sancti Miniati Episcopus. Sanctitas Sua audita a me infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario fideli relatione, perpensisque rationum momentis ab eodem Reverendissimo Episcopo in suis Testimonialibus Litteris expositis, de speciali gratia in exemplum non afferenda benigne annuit juxta petita, commisitque eidem Reverendissimo Episcopo, ut summa prudentia singula ad pacem componat, ac diligentissime curet, ne vel in minimo praejudicetur juribus Ecclesiae Matricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 9. Septembris 1836.

4650. MASSEN.

Antequam Dioecesis Massensis canonice erigeretur, quod accidit novissimis temporibus, maxima pars Locorum Dioecesim hanc in praesentiarum efformantium, etiam Ducatus Massae, et Carrariae Principatus subjiciebantur spi-

catione, ideoque sibi ea sumpsit privilegia, quae sumere nequibat. At si aliquod dubium circa eadem habuerit male prorsus se gessit; hoc enim in casu si nempe aliquid dubium aut ambiguum in iis esse suspicabatur, media adhibere debuisset ut verum a falso sejungeret, et ideo S. R. Congregationem pro recta interpretatione adire; in dubiis enim Legislatoris mens ab iis est exquirenda qui sunt veri et immediati legis ejusdem interpretes quemadmodum in hujusmodi rebus est S. R. Congregatio. Hoc omisit, idcirco multa sibi arrogavit, quae nullimode poterat. Locum ex. gr. in Processionibus occupavit prae Canonico stola induto actu functionem peragente, caudam sive fimbrias talaris vestis solutas gestavit, Missam seu lectam seu cum cantu celebrare extra Cathedralem fimbriis pariter solutis praesumpsit, quas et a Clerico voluit esse sustinendas, quae nec ipsis Eminentissimis S. E. Cardinalibus sustinentur. Duos Canonicos in Missis lectis sibi sumpsit et plures quam duas candelas voluit accensas super Altari, ad quod calicem anteferri jussit. Quot et quantae statutae legis violationes! Ut iterum contra legem non agat, et iis non utatur privilegiis, quae ipsi uti Protonario Titulari aliisque hac dignitate honestatis non competunt, discat quae sibi sunt vetita ab ipsa Pii VII. fel. rec. Constitutione. En itaque hujus verba: *Nequit praeterea tam in solemni quam in Missa privata sacras vestes sumere ex Altari, uti Canone, Palmatoria Presbytero assistente, salutare Populum cum ℣. Pax vobis etc. In missis privatis quoad indumenta, coeremonias, ministros, Altaris ornatum a simplicibus Sacerdotibus non differant: sumant proinde sacras vestes in Sacrario . . . unico ministro contenti sint, non sibi velint aquam ministrari cum pelvi et*

rituali Episcopi Lunen et Sarzanen. jurisdictioni, cujus Dioecesis quum Praecipuus sit Patronus Sanctus Andreas Apostolus, Festum ejus universa in Dioecesi, et Massae quoque et Carrariae de praecepto servabatur, eo vel magis, quoniam idem Apostolus est Titularis Collegiatae Ecclesiae Carrariensis. Primus Dioecesis Massen. Episcopus Franciscus Maria Zoppi Cleri uniformitati, et gregis spirituali bono prospiciens Kalendarii reformationem, Festorumque reductionem obtinuit Decreto 11. Julii 1827. et quum maxime percuperet suae Dioecesi Patronum assignare, exquisito Principum assensu, de Sanctae Sedis Apostolicae benignitate Sanctus Franciscus Assisiensis datus fuit Decreto diei 10. Septembris 1828. ea tamen lege juxta placitum Decretorum sa: me: Urbani Papae VIII. ut celebratio Festi Sancti Andreae supradicti cessaret. Rebus ita dispositis quisque per se facile animadvertere poterat, praesertim si quid Rubricarum praegustaverit, quo ordine essent haec Officia recitanda, et Festum de praecepto servandum. Non omnibus vero res pariter arrisit, et pro parte Capituli, et Canonicorum Collegiatae Ecclesiae Carrariensis Dioecesis Massen. Sacrorum Rituum Congregationi proposita fuere sequentia Dubia, nimirum;

I. *Quod nam Festum cum integro praecepto servari debeat in Ecclesia Carrariensi, an Sancti Andreae Apostoli antiqui Titularis, et Sancti Cechardi Patroni Principalis, an Sancti Francisci Titularis, et Patroni?*

II. *Qui ritus debeat servari in Officio proprii Titularis?*

Sacra autem Congregatio ad Vaticanas Aedes nono Kalendas Junii Anno 1835. Ordinariis in Comitiis coacta, audita relatione ab me infrascripto Secretario facta respondendum censuit — *Ponatur in Folio, exquisito Voto Magistri Caeremoniarum* — Hujusmodi Voto edito, praelisque cuso sexto Kalendas Septem-

*urceolo, et DUO tantum candelae luceant in Altari.* Quod si dubia ipsi, circa haec, res erat, et quae sibi privilegia competerent nesciebat, debuisset (ut supra adnotatum est) veritatem diligenter investigare, et viros in hac materia doctos interrogare, et S. R. Congregationem consulere. Haec omnia omisit, imputet ipsi sibi si errores perpetravit, si Canonicos habuit adversantes, si S. Congregatio declaravit omnia quae praedictus Vicarius sibi convenire praesumpsit, admitti non posse. Id sane significatur in Responsione *Serventur Decreta, ac novissima Constitutio quoad Protonotarios sa. mem. Pii Papa VII.* Idem dicendum, quoad locum, quem in Processionibus occupavit, scilicet male se gessisse, debebat enim locum occupare propriae receptionis, quod non semel a S. R. Congregatione sancitum fuit et poena ipsa quae sibi non debitum locum occupantibus infligitur, amissio nempe distributionis, hoc clare demonstrat. Nihil addendum est de Fimbriis talaris vestis extensis, quisque enim per se videt extensionem hanc novitatem redolere, cum nonnisi Functionariis ea competat. Sacra itaque Congregatio haec omnia quae sibi sumpsit memoratus Vicarius Generalis improbavit atque tamquam abusus, et Decretis eaque ac Constitutioni contraria rejecit. At S. eadem Congregatio ea qua uti solet sapientia, Illustrissimo et Reverendissimo Episcopo Sanctionis exequutionem demandavit, ut ea quae decet prudentia quaestio omnis tollatur, omnia in pace disponantur et ordinentur, ne scandalum ullum exoriatur, et Ritus recte serventur. Episcoporum est enim munus, juxta Decreta ejusdem Congregationis, advigilare ut omnia recte peragantur, quae ad sacros ritus pertinent, et si quid dubii in his oriatur, S. Congregationem consulere.

bris insequente Anno 1836. iterum propositis supradictis Dubiis ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinale Thoma Weld Relatore in Ordinariis Comitiis ad Quirinale coadunatis, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, accurateque libratis rescribendum censuerunt — *Dilata et scribatur Episcopo ad Mentem: Mens est ut Episcopus Sacram Congregationem doceat an, et quo jure Festum Sancti Andreae celebretur de praecepto, et quibus in locis Massen. Dioecesis celebretur Festum Sancti Cechardi atque insuper exhibeatur Decretum diei* 11. *Julii* 1827. *et Decretum ultimi Episcopi super uniformitate Kalendarii, et reductione Festorum* — Habita demum Reverendissimi Massen. Episcopi super re plena, et fideli Informatione, visisque supradictis Decretis, iterumque exquisita sententia ejusdem Magistri Coeremoniarum Sacrorum Rituum Congregatio ad Vaticanum infrascripta die in Ordinario Conventu coacta ad relationem supradicti Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Thomae Weld Ponentis, omnibus mature discussis, attenteque consideratis rescribendum censuit — *Juxta Votum Magistri Coeremoniarum, nimirum Clerus Civitatis Carrariae teneatur* 1. *celebrare Officium Sancti Andreae Apostoli sub ritu duplicis primae Classis cum Octava sicuti Titularibus Ecclesiarum convenit, sed sine Festo de praecepto*: 2. *Servare Festum Sancti Francisci Assisiensis Patroni Dioecesis universae Principalis, et Sancti Cechardi Patroni Civitatis sub utroque praecepto* — (1)

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 11. Martii 1837.

(1) Ex facti expositione et dubiis ipsis apparet quaedam esse patrata contra leges, contra statuta, contra ipsam praxim, quaedam fuisse impetrata ea reticendo quae manifestari debebant, quaedam vero non eo accepta fuisse sensu quo accipi debuissent, atque idcirco exorta fuit confusio Titularem pro Patrono, Patronum pro Titulari accipiendo, quasi uterque unus idemque esset, quae omnia paullulum rem consideranti facile patebunt. Sane Titularis Ecclesiae comuniter ille est sub cujus nomine seu titulo Ecclesia fundata est, et a quo appellatur. Haec definitio sive descriptio praxi respondet, et Rubricae consona est. Ecclesiae Patronus nomen Ecclesiae cujus est Patronus imponit, ac ab ejus nomine, ut plurimum appellatur, et dicitur Ecclesia Sancti N. unde ab ejus intitulatione Titulus quoque Ecclesiae dici potest, neque tamen confundendus est cum Patrono loci. Loci enim Patronus loco ipsi nomen non dat sicut Patronus sive, melius, Titularis Ecclesiae nomen tribuit nunquam enim a Patrono locus, ex. gr. Civitas Dioecesis solet denominari, adeoque nec Titulus pariter loci dici potest. Et si quandoque inscriptio reperitur de Titulo loci, ad alium refertur non communem, sed singularem sensum: tunc enim ad ea refertur loca, ad eas regiones, quae recenter Fidem amplexae sunt ut in Indiis, in quibus a mysterio aliquo, ab aliquo Sancto, a Conceptione, nimirum B. Mariae Virginis, a Sancta Cruce, Provinciae et Insulae nuncupantur et quia ab his nomen fuit in conversione impositum, sic etiam hujusmodi Provinciae illum Sanctum pro Titulo habent, seu pro festo praecipuo, et ob singularitatem singulariter quodammodo a Patrono differt, sed hoc est prorsus non commune. Patronum a Titulari differre ex ipsa Rubricarum enunciatione eruitur, nam passim legitur *Patronus loci vel Ecclesiae* et sub Ecclesiae Patrono Titularis intelligitur. Differt insuper

4651. ANAGNINA.

Quum ad hanc Sacrorum Rituum Congregationem delata fuerit controversia praecedentiae vigens in Collegiata Ecclesia Filettini, quod est Oppidum Dioe-

unus ab altero, quod loci Patronus magis extenditur quam Patronus, sive Titularis Ecclesiae: hic enim ad unam dumtaxat Ecclesiam pertinet ille ad plures. Locus enim, inquit Gavantus, in Comm. ad Rubr. Brev. Sect. 13. cap. 12. num. 2., *accipitur pro multitudine cleri et populi sive pro multis cleris et populis in uno loco, puta civitate, Dioecesi per diversas Ecclesias constitutis, ita ut si in eo multae adsint Ecclesiae, vel Provinciae unus idemque sit principalis Patronus.* Perspecta hac differentia inter loci Patronum et Ecclesiae Titularem, omissis omnibus iis, quae hac in re adduci possent, quaeque reperiuntur apud Baronium, Anastasium, Holstenium, Blanchinium aliosque non paucos, qui fuse de hac re pertractarunt, ea tantum in medium proferuntur, quae praesentem rem singulariter et taxative afficiunt.

Juxta doctrinam a Guyeto et Gavanto traditam Titulus sub cujus nomine Ecclesia est aedificata, et primitus dedicata, quemadmodum plerumque unicus est ita etiam exclusive proprius Ecclesiae Titulus est, et ab hoc suam Ecclesia illa accipit denominationem. Jam ecclesiae Titulus mutari per se nequit, ita ut primo penitus relicto, nulla interveniente legitima causa vel nova Ecclesiae aedificatione et consecratione alius illi substituatur*:* Esset id contra jus, quod sine sufficienti ratione laedi nequit, sed potius veris accedentibus iisque legitimis causis novus veteri adjici solet, et tunc fit, ut siquae Ecclesia diruta iterum aedificetur iterumque consecretur, aequum maxime sit ut nova non sub alio quam sub priori Titulo quo prius, deinceps etiam appelletur. Iterum accessio novi Tituli, si ut supra veteri adjici vellet non importat Titularem cui consecrata est Ecclesia, et a quo haec nomen accipit, quique vetustissimus fuit hujus titulus, abrogari vel abrogatum esse censendum, nisi in nova Ecclesiae aedificatione et consecratione per litteras Apostolicas constet veterem esse abrogatum, et non esse cum novo retinendum. Evenit quamdoque ut neque per novam aedificationem et consecrationem, neque per aliam quamcumque ex praecipuis accedentem causam alio sub nomine seu Titulo Ecclesia aliqua nuncupetur, sed ex unanimi Populi in Sanctum aliquem devotione, novum quasi illi nomen et appellatio tribuatur. Sed quid hoc efficit? Si paullatim percrescente in alium Sanctum populi devotione novus Ecclesiae Titulus accedit, si de primo nulla aeque paullatim fit mentio, hoc accidentaliter, non substantialiter ac realiter sumendum est: id enim evenit non quia abrogatus putandus sit vetus Titularis, sed quia ferventiori Populus devotione in aliquem Sanctum, ut non raro solet, inflammatus illius opem sive in publicis sive in privatis necessitatibus non inutiliter imploratam expertus sit, factumque ita est ut sensim veteris illius apud ignarum vulgum obliterata sit memoria, et a novo, communiter quidem et accidentaliter sed contra regulam, nomine appelletur. Quis unquam dicet, hoc in casu, et vetustissimum et legittimum Titularem esse abrogatum, aut Populi ferventiorem in Sanctum aliquem devotionem, alterius Sancti jura laedere potuisse? Quod de Titularibus id ipsum de particularibus locorum Patronis, si adsint, dicendum est: aequale enim in his quemadmodum in illis jus est agnoscendum.

Jam omnibus his ex Doctorum do-

cesis Anagninae inter Sacerdotes Beneficiatos Joannem De-Rubeis, et Antonium Ottaviani, qui quamvis fateatur se praecedentem actum possessionis fecisse nullum, adeoque ad novam possessionem capiendam fuisse adactum, attamen an-

ctrina, ex liturgicis principiis, ex praxi desumptis quanam ratione Titulus S. Andreae Apostoli, quem ab immemorabili Ecclesia Collegiata Carrariensis retinuit abrogatus censeri debet, et S. Franciscus Assisiensis illi suffectus est censendus? quia nempe illius temporis, quo substitutio haec facta fuit, Episcopus (qui ut videbitur) Sanctum hunc in Dioecesis Patronum petiit et obtinuit ab hoc Sancto appellabatur, quia insuper, Calendarii uniformitas ab eo requirebatur in tota Dioecesi, et exceptio omnis exclusa. At rationes istae ad veterem excludendum Titularem, suoque jure privandum nullius prorsus habendae sunt momenti. Si hae valerent rationes unaquaeque Ecclesia novo accedente ad Dioecesem Episcopo novus quoque, veteri relicto, Titularis recipi deberet juxta Episcopi singularem devotionem, et hoc in casu tot essent successive Titulares quot Episcopi Episcopis succederent, et tot abrogati Titulares quot prius erant ante novi Titularis substitutionem! quae effraenata libertas? quae confusio! quae juris laesio! quae sanctissimarum legum eversio! Si ratio valeret ex calendarii uniformitate desumpta tunc Dioecesis Patroni universales necessario essent Ecclesiarum Titulares, voluit enim Episcopus S. Franciscum Assisiensem Titularem Ecclesiae Collegiatae Carrariensis, quia eum in totius Dioecesis Patronum obtinuit. Actum igitur esset, hoc in casu de singularibus et propriis Ecclesiarum Titularibus, actum de immemorabili Patronorum jure, actum de legittima eorum electione, actum de singularibus locorum Patronis, de Rubricarum dispositione, et regulis, de Summorum Pontificum statutis, de S. Rit. Congregationis Decretis, de praxi, quae omnia unum ab alio distinguunt. At quis unquam hoc evenire patietur?

Sed reponet fortasse aliquis 1. Episcopum pro hac novi Titularis et Patroni concessione fel. rec. Pontificem Leonem XII. preces porrexisse ab Eoque Sanctum Franciscum fuisse concessum. 2. Episcopum obtinuisse a S. R. Congregatione Decretum, quo concessio haec fuit adprobata. Quid petiit Episcopus? quid a Pontifice concessum fuit? Mox videbitur. Interim (quod de concessione et Decreto dicendum) si Episcopus nimia usus libertate S. Franciscum, sublato veteri Titulari, sublato particulari Civitatis Patrono utriusque loco suffecit: nutaret concessio nutaret et Decretum quia obreptionis vitio penitus laboraret, laboraret autem quia reticuit in supplici libello S. Andream fuisse, et esse Titularem memoratae Ecclesiae Collegiatae, et Sanctum Ceccardum peculiarem Civitatis Patronum. Fuisse Sanctum Andream illius Ecclesiae Titularem constat ex ipsa ejusdem Episcopi prohibitione, qua S. Franciscum substituendo vetuit ne in posterum ob uniformitatem Calendarii Clerus S. Andreae Apostoli officium et octavam celebraret ejusdem Titularis. Fuisse autem S. Ceccardum Civitatis Carrariensis Patronum particularem, eruitur ex edicto de Reductione Festorum ab Episcopo Lomellino praedecessore, Episcopo tunc Dioecesis Sarzanen. cui Dioecesis Carrariensis erat unita, die 27 Octobris anni 1787 evulgato. In hoc enim §. 4 haec leguntur: *Rimarranno Feste d' intero precetto:* coll' astinenza cioè dalle opere servili, e coll' obbligo di ascoltare la S. Messa tutte le Domeniche dell'anno, ed il giorno susseguente alle Domeniche di Pasqua, della Pentecoste . . . e nella Città e Principato di Carrara per grazia

tianitatem repetit supra eumdem De-Rubeis, qui interim legitimum promeruit ascensum; Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunati, universae

speciale di Nostro S. la Festa *eziandio di S. Ceccardo Protettore della stessa Città*: Si itaque Ecclesia Collegiata Titulari non carebat; si non carebat suo particulari Patrono Civitas Carrariensis, quomodo Episcopus utriusque Festum abrogando S. Franciscum illis suffecit? et cur ut S. Franciscum illis subrogaret utriusque jus reticuit? Fortasse quia hanc substitutionem, quam vehementer exoptabat facilius obtineret: at haec reticentia dolosa forsan nimis omnibus videri poterat, et nullam facultatem, quam expetebat ei futuram pertimescescebat. Sed neque ex Decreto ulla facta fuit facultas veterem abrogandi Titularem: non alia enim ipsi facultas facta fuit nisi ea quam postulabat: atqui haec non respiciebat nisi Patronum Dioecesis quidquid igitur hanc praetergreditur facultatem, quidquid ultra hanc egit Episcopus nimiae est adscribendum libertati. Sane Decretum non loquitur nisi de Patrono Dioecesis, nulla alia itaque Episcopo facta fuit facultas nisi eligendi et quidem juxta regulas in hujusmodi electionibus servandas, S. Franciscum Assisiensem in Patronum Civitatis Carrariensis nihil pariter ex memorato Decreto eruitur nisi approbatio electionis. Cum itaque de solo Dioecesis Patrono in eo sermo sit, cum jam ex concessione et vi Decreti praeexistentes et Ecclesiae Titularis et particularis Civitatis Patronus ibi non abrogentur, nec S. Franciscus uni, vel alteri, aut utrique subrogetur, cum neuter ex allata superius doctrina per se abrogatus censeri possit, sequitur nullum ex his fuisse sublatum nullumque illis fuisse suffectum, adeoque S. Andreas Apostolus Titularis sit, ut prius, Collegiatae Carrariensis, et talis sit habendus. Quare ne hac in re Episcopi libertas attenderetur, qui late nimis facultatem sibi concessam et Decretum interpretando Titularem assignavit Sanctum Franciscum eo quod ut Dioecesis Patronum obtinuit ne Cleri et Populi eodemque tempore praejudicata et falsa opinio adprobaretur, qua Titularem cum Patrono et vicissim hunc cum illo confundendo unum eumdemque eos hucusque habuisse visum est, S. Congregatio opportune censuit rescribendum, nimirum, ut clerus Civitatis Carrariensis teneretur I. celebrare officium Sancti Andreae Apostoli sub ritu duplicis primae classis cum octava, sicut Titularibus Ecclesiarum convenit, sed sine festo de praecepto: II. ut servetur festum S. Francisci Assisiensis Patroni Dioecesis universae principalis, et S. Ceccardi Patroni Civitatis sub utroque praecepto. Responsio quidem accuratissima, et juxta statutas leges, et sanctiones quae simul ostendunt libellum a clero Carrariensi porrectum haud caruisse fundamento ut in sua ad S. Congregationem epistola Episcopus asserebat.

Aliquid est etiam notandum quoad ritum, de quo sermo ut in secundo dubio, cui unica responsione in duas partes divisa S. Congregatio satisfecit. Festum tum Sancti, qui est Ecclesiae Titularis tum aliorum qui sunt vel Dioecesis vel Civitatis Patroni inter solemniora festa adnumerantur.

Id ex omnibus Liturgicis constat, id a Rubricis statuitur. In Rubrica enim Breviarii *Tit. VII. de Octavis num. I.* legitur – *Item ... in Festo principalis Patroni et Titularis loci vel Ecclesiae.*

Iam supra observatum est *generice* qui sint Titulares, qui sint Patroni. Notatum specialiter est qui sit Titularis Ecclesiae Collegiatae Carrariensis, qui particularis ejusdem Civitatis Patronus,

rei natura perpensa, diligenterque examinatis etiam Informatione, et Voto Reverendissimi Episcopi Administratoris Anagnini, referente me infrascripto Se-

qui denique Patronus universalis Dioecesis Carrariensis: Cum hi principaliores sint in suo cujusque genere, tales omnino sunt, ut eorum festa celebrari debeant cum octava, et cum hoc per se et primario non conveniat nisi festis habentibus ritum duplicis primae classis, ut hic ritus per se non aptetur nisi iis festis quae inter solemniora recensentur, sponte sequitur et S. Andreae Apostolo veteri Collegiatae Carrariensis Titulari, et S. Francisco Assisiensi universali nunc Dioecesis Carrariensis Patrono, et S. Ceccardo adhuc particulari ejusdem Civitatis Patrono ritum duplicis primae classis cum octava deberi. Nullam putandum est ex ipsa Rubrica moveri quaestionem posse, non quod ait Rubrica *in festo*, singularem numerum adhibendo *loci* vel *Ecclesiae* sub disjunctione, nihil officit, nam per hoc non innuit unius tantum vel alterius faciendam esse octavam, ut si de una fiat de altero fieri nequeat, sed illorum qui principales sunt sive Patroni, sive Titulares, scilicet, uti quisque eorum in suo respective est genere, octava fiat, adeo ut et Patrono sive Titulari Ecclesiae sua tribuatur octava, item Patrono principali loci, sive Dioecesis sive Civitatis sua quoque octava debeatur, utpote qui eorum unusquisque est in suo genere principalis. Quod si ut numquam fere evenit idem sit et Ecclesiae Titularis et loci Patronus unica tunc erit celebranda octava: idcirco fortasse in Rubrica apposita est disjunctio illa *loci* vel *Ecclesiae*.

Si agatur de S. Francisco Assisiensi patet etim ex Decreto hoc enim Ei uti totius Dioecesis Patrono omnes attribuit praerogativas, quae locorum Patronis debentur: *Et S. Francisco Assisiensi*, in eo legitur, sic in praecipuum Patronum Dioecesis Massen. electo praerogativas omnes attribuit locorum Patronis convenientes: excludit autem jejunii obligationem in praecedente vigilia quod tamen pietati et arbitrio fidelium relinquit, *quod* sequitur Decretum *arbitrio et fidelium pietati relinquendum edixit*. Quod spectat ad S. Andream Apostolum: non Ei ex Decreto (quod certe nec regulas evertit, nec Rubricae generalis dispositiones invertit aut tollit) per illa verba quae alia nuper relata immediate subsequuntur, nempe dummodo vero haec ipsa *solemnitas non servetur in festo S. Andreae Apostoli sicut in Reformatione Calendarii*. Ei non adimitur qualitas Titularis saepius memoratae Ecclesiae Collegiatae, nec ritus Eidem conveniens cum jam a multis saeculis talis sit, nec ratio extiterit illum abrogandi, alium subrogando Sanctum, sed quodammodo huc qualitas admittitur in suo genere et solum ab ea excludit solemnitatem quae talis sit ex omni parte, et ea solemnitatem seu praerogativas S. Francisco uti Patrono universalis Dioecesis attributos et locorum Patronis praecipuis convenientes, ita ut eas cum S. Francisco communes non habeat, et fortasse huc fuit apposita clausula, quia Titularem Ecclesiae cum Patrono loci confundendo, ut apparet, S. Andreae praerogativas huc usque tribuerant quae solis locorum Patronis praecipuis conveniunt. Caeterum exclusis quae praecipue universalis totius Dioecesis Patroni sunt propria, nec ritus duplicis primae classis neque octava S. Andreae adhuc, ut ostensum est, Ecclesiae Titulari potest denegari: nisi dicere quis vellet S. Franciscum quia Patronus est Dioecesis, necessario esse Ecclesiae Titularem aut abrogatum esse S. Andream, aut abrogatum censeri debere veterem Ecclesiae Titula-

cretario, respondendum censuerunt — *Sacerdoti de Rubeis competere antianitatem* — Die 11. Martii 1837.

4652. FIRMANA.

Novissima in rerum omnium perturbatione, quae pene omnes exagitavit, ac diutius Piceni Provincias, extinctis Religiosorum Ordinibus, et ipsis Saecularium Sodalitatibus, Reliquia Sacrae Spineae Coronae Domini Nostri Jesu Christi, quae sex abhinc ferme saeculis summo honore colebatur in Ecclesia Eremitarum Ordinis Sancti Augustini Civitatis Firmanae sub custodia Sodalitatis tituli a Sacra Spina, in Metropolitanam Ecclesiam translata, et collocata fuit venerationis, et custodiae caussa. Aliquot post annos rebus iterum compositis, restitutisque Patribus Eremitanis, et supradicta Sodalitate, horum votum fuit Sacram Reliquiam pristinam in sedem denuo transferendi. Renuentibus vero tum Metropolitanae Capitulo, cujus in Ecclesia ipsa Reliquia jam decenter, et commodius colebatur, tum Firmano Magistratu, penes quem semper Clavis Urnae Sacrae Reliquiae extiterat ad ejus identitati consulendum, recursui locus factus est, supplexque Libellus Sacrorum Rituum Congregationi a Sodalitate porrectus, cui rescriptum fuit — *Instet citata Parte* — Praestituta die convenientibus Procuratoribus coram R. P. ejusdem Sacrae Congregationis a Secretis, quum unusquisque suum Dubium pro aris, et focis assereret, ac sententia non convenirent, communi voto statutum fuit, ut Sacra ipsa Congregatio decerneret quale foret disputandum. Quae in Ordinario Coetu ad Quirinale die 27. Augusti praecedentis Anni 1836. coacta, audita relatione Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Joannis Francisci Falzacappa Episcopi Albanen. Ponentis, mandavit disputari dubium sequens — *An Reliquia Sacrae Spinae reportanda sit ad Ecclesiam Patrum Eremitarum Augustinianorum in casu?* — Evocatis iterum omnibus in judicium coram eodem R. P. Secretario, quo constitueretur Congregatio ad Dubium idem disputandum, constabilitaque proxima, omnia fuerunt rite moedarata. Denuo itaque in Ordinariis

rem, per concessionem Patroni universalis totius Dioecesis, quae quidem admitti nequeunt ex Doctorum allatis sententiis Liturgicorum auctoritatibus Rubricae dispositionibus, quaeque et praxi et facto ipsi adversantur. Nihil itaque est, per quod S. Andreas uti Titularis Ecclesiae possit excludi sed nihil aliud ipsi debetur nisi quod stricte Titularibus convenit, in quo huc usque clerus limites est praetergressus.

Quod spectat ad S. Ceccardum eadem ferme dici possunt: cum enim ipse vere Civitatis Carrariensis Patronus sit particularis, cum per concessionem principalis Patroni Dioecesis non sit abrogatus, nulla est ratio per quam debeat expungi; et hinc pariter Ei sunt tribuenda quae Civitatis Patronis principalibus conveniunt.

Amota tali modo per auctorum doctrinam, per Liturgicas regulas, per Concessionis et Decreti investigationem rectamque utriusque interpretationem omni aequivocatione, omni, quae huc usque facta est, Patronum inter et Titularem confusione sublata unicuique quod convenit tribuendo liquet, quam prudenter sapienterque S. Congregatio propositis dubiis responderit atque decreverit. Mirabitur fortasse aliquis haec disserendo statutos brevitatis limites qui adnotationibus praescribi solent, haud esse servatos, sed cum de materia agetur, quae non raro usui esse potest, ideo rem latius exponere non supervacaneum visum fuit.

Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanas Aedes sub infrascripta die coadunatis proposito per Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Cardinalem Carolum Mariam Pedicini Episcopum Praenestinum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarium, et Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum loco, et vice Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Falzacappa Relatoris absentis, suprascripto Dubio, eadem Sacra Congregatio, omnibus mature perpensis, consideratis, riteque libratis, rescribendum censuit. — *Affirmative, servatis omnibus prout erant ante translationem Reliquiae Anno* 1808. *sequutam et amplius* — Atque ita rescripsit. Die 11. Martii 1837.

4653. BAJOCEN.

Quum Reverendissimus Bajocen. Episcopus experientia compererit permulta incommoda oriri in celebratione Festorum Sanctorum Patronorum, si ad tramites Decreti hujus Sanctae Sedis diei 29. Novembris 1831. festivitates hujusmodi transferendae sint omnino ut subsequentem immediate Dominicam, non autem ad Dominicam proximiorem, quae potest etiam esse ante Natale Festum uti ante promulgationem ipsius Decreti fieri consueverat, ad haec eadem incommoda eliminanda Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicavit, ut in sua Dioecesi Solemnitas Sanctorum Patronorum cujuslibet Paroeciae celebrari valeant Dominica proximiori non impedita, sive ipsa Festum praecedat, sive subsequatur. Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die coadunata, re mature perpensa, auditaque relatione a me infrascripto Secretario facta, rescripsit — *Pro facultate transferendi Festa, de quibus in precibus ad Dominicos dies non impeditos festo altioris ritus, vel privilegiatos, in quibus tamen permittitur Missa votiva solemnis de Festo translato; dummodo in Cathedrali Missa de Sancto occurrente non omittatur; quatenus vero Dominica proximior sequens sit impedita, tunc Festum ut supra fieri permittitur in Dominica proximiori praecedenti* — Atque ita rescripsit, ac servari omnino mandavit. Die 11. Martii 1837.

4654. CALATAYERONEN.

Quum Capitulum Cathedralis Calatayeronen. a Sacrorum Rituum Congregatione quaesierit liceat nec ne

1. Canonicis Feria sexta in Parasceve deponere Sacras Vestes, queis induti reperiuntur, et permittente Episcopo, assumere iterum Cappam, et soluta longiori Vestis fimbria ad adorationem Crucis accedere, ac deinde Sacras iterum Vestes resumere?

2. An saltem cum Cappa, et soluta talaris Vestis fimbria, id liceat, semper assentiente Episcopo, Canonicis secundariis, qui Sacris Vestibus induti non sunt?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum hodierna die in Ordinario Coetu coadunata, referente me infrascripto Secretario, respondendum censuit.

Ad I. *Negative, et Sacrae Vestes assumantur solummodo juxta Coeremoniale dum Episcopus Functionem peragit.*

Ad II. *Affirmative in casu.*

Et ita servandam esse mandavit. Die 11. Martii 1837.

4655. CONGREGATIONIS MISSIONIS.

Sexto Kalendas Septembris superioris Anni 1836. Sacrorum Rituum Congregationis Decreto injunctum fuit Alumnis Congregationis Missionis Civitatis Neapolitanae in Ara majori Ecclesiae adnexae Domus Novitiatus ipsius Congre-

gationis apponere Imaginem Sancti Nicolai Tolentinatis Titularis, quod difficile factu iteratis precibus hodiernus Visitator exposuit, siquidem Sanctus idem Nicolaus veneratur, et colitur in apposita Aedicula, ac propterea supplicavit enixe, ut in ipso majori Altare apponi possit Imago Conceptionis Deiparae. Eminentissimi itaque, ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature perpensa in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunati, audita a me infrascripto Secretario relatione, rescripserunt — *Relinquatur Imago Sancti Nicolai propria in Aedicula, sed in Ara majori ponatur Icon illius Sancti, in cujus honorem est consecrata. In reliquis servetur Decretum die 27. Augusti* 1836. Die 11. Martii 1837.

4656. CENOMANEN.

Ex parte Reverendissimi Episcopi Cenomanen Sacrorum Rituum Congregationi proposita sunt sequentia Dubia pro opportuna declaratione, et solutione, nimirum

1. An interdicenda sint Altaria portatilia si nullum appareat Reliquiarum Sepulchrum, licet adsint quinque Cruces?

2. An idem dicendum si existat Sepulchrum absque Sigillo?

3. Tandem an id saltem exequendum quando apparet Sepulchrum, sed nullum extat appositi Sigilli vestigium?

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunati, me infrascripto Secretario referente, rescripsere.

Ad I. *Clarius se explicet.*

Ad II. et III. *Dummodo lapis consecratus. seu Altare portatile integrum sit in eo celebrari potest.* Die 11. Martii 1837.

4657. LEODIEN.

Sacerdos Henrotte Leodiensis Sacrorum Rituum Congregationi insequentia Dubia pro opportuna declaratione proposuit, nimirum

1. An Missa votiva solemnis pro re gravi celebrari possit in Dominicis secundae Classis?

2. An Officium Sancti Gregorii Thaumaturgi recitandum sit ab omnibus ritu duplicis minoris?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente me infrascripto Secretario, rescripsit.

Ad I. *Affirmative in Dominicis privilegiatis secundae Classis, et Festis itidem secundae Classis.*

Ad II. *Romae ex privilegio.* Die 11. Martii 1837.

4658. MATHELICEN.

Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione sequentia Dubia proposuit Aloisius Carbonari Sacerdos Congregationis Oratorii Mathelicen. nimirum

1. An celebrante solemniter prima vice novo Sacerdote Patrinus seu Presbyter assistens possit in Dominicis antea aspergere Populum Aqua benedicta, ac deinde ad Sacristiam accedere et Sacerdotem ipsum ad Altare adducere cum Ministris?

2. An subtus Pluviale ipse Patrinus possit Stolam gestare, ac Fidelibus cum Patena ministrare quoties Eucharistica Communio instituenda est?

3. An Patrinus debeat, vel saltem possit Celebrantem incensare loco Diaconi?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum hodierna die in Ordinario Coetu coadunata, referente me Secretario, rescripsit.

Ad I. *Negative in omnibus.*

Ad II. *Spectare ad Diaconum utrumque.*

Ad III. *Negative.* Die 11. Martii 1837.

4659. TIBURTIN.

Hodiernus Archipresbyter Collegiatae Ecclesiae Sancti Petri, et Parochus Sancti Joannis Baptistae Oppidi Poli Dioecesis Tiburtin. aegre ferentes, Cappellanos Sodalitatum ibidem erectarum in Processionibus Stolam deferre, Sacrorum Rituum Congregationi humillimas porrexere preces, ut declaretur, an invecta consuetudo isthuc sit licita, ac proinde toleranda? Sacra eadem Congregatio post acceptam Informationem Reverendissimi Episcopi Tiburtini, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunata, re mature perpensa, ad relationem mei infrascripti Secretarii, rescribendum censuit — *Juxta alias Decreta licere Cappellanis Confraternitatum Stolam in Processionibus deferre.*

Atque ita rescripsit, ac in proposito casu omnino servandum esse edixit, atque mandavit. Die 11. Martii 1837.

4660. VERONEN.

In Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis a me infrascripto Secretario iterum relato Dubio a Reverendissimo Episcopo Veronen. hisce verbis proposito — Utrum verbum *deinde* in forma absolutionis in nonnullis editionibus rubro charactere impressum omittendum sit? Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, audita prius Sacrae Universalis Inquisitionis Congregatione, rescribendum censuerunt — *Nihil esse innovandum.* Die 11. Martii 1837.

4661. ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CONVENTUALIUM.

Quum R. P. Fr. Xaverius Tufano Sacerdos Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium Sacrorum Rituum Congregationem humillimis precibus rogavit declarationem, an in Feriis secundis, et tertiis Paschae, et Pentecostes, in die Ascensionis Domini, Sanctissimi Corporis Christi, ac in die octava liceat commemorationem instituere in utrisque Vesperis, ac Laudibus cum Lectione historica illorum Sanctorum, quorum Officia quum ad Anni terminum locum habere nequeant in diebus propriis redigenda sunt ad ritum simplicem? Sacra Congregatio audita relatione a me infrascripto Secretario facta rescribendum edixit — *Detur Decretum in Hispalen. diei* 26. *Novembris* 1735. *ad Dubium V., et in una Ordinis Capuccinorum diei* 8. *Martii* 1738. *quibus cautum est. Officia, quae intra Anni terminum transferri nequeunt, redigenda esse ad ritum simplicem in die propria cum IX. Lectione historica, et commemoratione in utrisque Vesperis et Laudibus. Quae dispositio locum habere debet in omnibus Festis, et duplicibus tum primae tum secundae Classis, excepto ultimo Triduo Majoris Hebdomadae, Festis Paschae, et Pentecostes cum duobus sequentibus Feriis tantum, sicuti decretum fuit in una Panormitana diei* 12. *Aprilis* 1823. — Die 11. Martii 1837.

4662. FERETRAN.

Quum hodiernus Aedituus Cathedralis Feretranae Sacrorum Rituum Congregationem humillime rogavit utrum servari possit consuetudo in eadem Cathedrali invecta in Feriis nimirum secunda, tertia, et quarta majoris hebdo-

madae celebrandi Sacrosanctum Missae Sacrificium in eodem Altari, in quo publicae Fidelium venerationi est expositum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum? Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, et ad Vaticanum hodierna die in Ordinariis Comitiis coadunati, rescribendum censuerunt — *Consuetudinem tamquam abusum eliminandam* — Die 11. Martii 1837.

4663. ROMANA.

Ex pervetusta consuetudine, ac traditione mos invaluit in Ecclesia Sanctimonialium Ordinis Cistercensium Deo in honorem Sanctae Susannae dicata hic in Urbe Missam votivam de Spiritu Sancto celebrandi quoties aliqua Virgo ipsius Ordinis vel solemniter habitum assumit, vel professionem emittit. Ast quum Apostolici Indulti nullum Sanctimoniales ipsae invenerint monumentum; hinc Sacrorum Rituum Congregationi humillimas porrexere preces, ut invectam consuetudinem confirmare dignaretur. Eminentissimi vero, ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati, re mature perpensa, diligentique examine cribatis rationum momentis in supplici Libello expositis ad relationem mei infrascripti Secretarii rescribendum censuerunt — *In casu solummodo, de quo in precibus, de speciali gratia nullo umquam tempore in exemplum afferenda fiat commemoratio tantum Spiritus Sancti in Missa de Officio occurrenti; dummodo non occurrat duplex primae, vel secundae Classis; item Dominica privilegiata tum primae tum secundae Classis.* — Atque ita servandum mandarunt. Die 11. Martii 1837.

4664. TAUSINEN.

Reverendissimus Taurinen. Archiepiscopus Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinali Sacrorum Rituum Congregrationi Praefecto humillimas quum dederit Litteras hisce conceptas terminis, nimirum

Eminenza Reverendissima.

Mi trovo costretto ricorrere all'Eminenza Vostra Reverendissima per il seguente caso. Nel Sabbato dell'ora scorse Tempora di Pentecoste due Religiosi Francescani intervenuti all'Ordinazione pel Diaconato, dopo terminata la Funzione, e quando il Vescovo Ordinante si era di già ritirato nel suo appartamento, manifestarono, che non si erano presentati a ricevere il Libro degli Evangelj, credendo che non fosse giunto ancora il loro tempo; e che lo stesso era accaduto a qualche altro Chierico Secolare, senza saperlo indicare. Sentito ciò furono tosto condotti innanzi allo stesso Vescovo ordinante, il quale supplì l'omessa tradizione del Messale. Osservatasi però in seguito, che varie sono le opinioni degli Autori, e che segnatamente Benedetto XIV. *De Synodo Dioecesana lib. VIII. cap. X. num.* 13. riporta un Decreto in senso contrario, sebbene si riferisca all'Ordine del Presbiterato, si è creduto non doversi prendere determinazione veruna senza consultare l'Oracolo della Sacra Congregazione. A tale oggetto pertanto mi rivolgo all'esimia bontà dell'Eminenza Vostra Reverendissima, pregandola degnarsi dirmi, che cosa debba farsi tanto riguardo a quelli ne' quali nulla fù fatto, e si verificasse che effettivamente anche per essi abbia avuto luogo l'istesso difetto. Attendo con impazienza un suo venerato riscontro, m'inchino al bacio della Sacra Porpora protestandomi col più profondo rispetto.

*P. S.* Dopo scritta la presente vengo a riconoscere, che sebbene nella

sera dello scorso Sabbato, mi fossi fatto premura di scrivere al Superiore di detti Religiosi per impedire ch' esercitassero l' Ordine, pure non essendo giunta in tempo la Lettera uno di essi lo esercitò, e può essere accaduto lo stesso per gli altri.

Dell' Eminenza Vostra Reverendissima. Torino 22. Maggio 1837.

Umilissimo Ossequiosissimo Devotissimo Servitore. Luigi Arcivescovo.

Sacra Rituum Congregatio in hunc modum rescripsit.

Illustrissime et Reverendissime Domine uti Frater.

Simulac Amplitudinis Tuae Epistolam datam undecimo Kalendas Junii vertentis Anni accepimus super omissione traditionis Libri Evangeliorum, quae inconsulto accidit novissima in Ordinatione Generali habita Sabbato quatuor Temporum Pentecostes in promovendo nonnullos Subdiaconos ad Diaconatus Ordinem, hujusmodi negotium illico demandatum fuit aliquibus hujus Sacrorum Rituum Congregationis Consultoribus Theologis, ut super re suam exponerent sententiam, quam etiam extempore Amplitudini Tuae nomine ejusdem Sacrae Congregationis communicamus, ut sciat quid in re sit agendum et dubiis forsan obortis prudenter occurrendum. Sacra itaque Congregatio in suo, et Consultorum sensu respondet, quod si Amplitudo Tua prudenter judicet moram temporis, quae inter Ordinationem horum Subdiaconorum in Diaconos, et supplementum defectus intercessit haud tantam fuisse, ut moralis conjunctio formae cum traditione materiae merito censeatur abrupta, ordinatos hujusmodi relinquere possit in sua bona fide quoad praeteritum, et a qualibet suspensione in posterum absolutos declarare, quatenus sui Ordinis officium publice tuta conscientia (si aliud non obstet impedimentum) pro ratione sui status libere valeant exercere. Si vero dubitet tantum fuisse temporis, et diversarum operationum intercapedinem, et varietatem, ut hiatus iste inter Ordinationem, et supplementum defectus nulla probatorum Auctorum interpretatione conjungi possit; tunc iterum, si cum traditione prius omissa Libri Evangeliorum simul protulit formam, sciat se posse acquiescere, et ita Ordinatos in suorum Ordinum exercitio pariter acquiescentes dimittere. Si vero solam tradidit partialem materiam Libri Evangeliorum sine forma, tutius erit, si Ordinatis hujusmodi caute, et secreto suppleat opportuno tempore defectum, traditionem materiae simul cum prolatione suae formae repetendo. Quo in casu si tempus proximae futurae Ordinationis ad hujusmodi supplementum a Canone constitutum expectari nequeant, vel ob periculum scandali, vel ob alias non levis momenti caussas, et circumstantias, quas Amplitudo Tua probe noverit, nec aliud obstet impedimentum, poterit ab interstitiis dispensare, et proximo quoque Festo defectum praedictum prudenter, et secreto supplere. Quod ad Clericos spectat Saeculares, de quibus, prout in casu exponitur, dubitatur an omissio eadem acciderit, curare pro sua prudentia Amplitudo Tua poterit, ut Ordinati hujusmodi innotescant (quod non videtur tam difficile, si Catalogum, quum apud se certe habebit Subdiaconorum in ea Ordinatione ad Diaconatum evectorum percurrat, et eos in quos suspicio hujusmodi cadere potest caute, et secreto circa hujusmodi dubium interrogari faciat). Si quos igitur invenerit, quibus eadem contigit omissio, idem praestabit, quod superius dictum est de duobus Religiosis, et si eos Ordinem Diaconatus bona fide hactenus exercuisse repererit, a Censuris, quatenus opus fuerit (si nihil aliud obstet) absolvat, et ad ejusdem Ordinis ministerium, et Officium in posterum, quatenus opus fuerit

exercendum, hoc est ad pie, et fideliter in suscepto Diaconatus munere ministrandum tutos in conscientia declarabit. Quum per has responsiones omnibus a Te expositis fuerit opportune consultum, Amplitudini Tuae diuturnam ex animo exopto felicitatem. Romae 16. Junii 1837.

Perillustrissimo et Reverendissimo Domino uti Fratri Archiepiscopo Taurinensi. (1)

(1) Sententia autem RR. PP. Consultorum his exponitur verbis.

È da osservarsi dapprima, che sebbene il Concilio Fiorentino (*in decr. Eugenii IV. ad Armenos*) parlando dell' Ordine del Diaconato, dica che, *Ordo Diaconatus confertur per Libri Evangeliorum dationem*, senza far menzione alcuna dell' imposizion delle mani, nondimeno è sentenza commune degli Autori (come si rileva dal Beato de' Liguori, ed altri Teologi Moralisti) che oltre la tradizione del Libro degli Evangelj, si esigge l' imposizione delle mani, e che per il valore dell' Ordine del Diaconato, non basti, ne la sola imposizione delle mani, ne la sola tradizione del libro degli Evangelj (appresso i Latini) ma si richieda l' una e l' altra, come materia parziale, da porsi tutta assieme con la forma, che deve proferirsi dal Vescovo. E lo stesso si rileva dal Sommo Pontefice Benedetto XIV. nel luogo citato di sopra nel caso.

2. Che non basti toccare il Libro degli Evangelj dopo che la forma fù pronunciata, ma che sia necessario toccarlo nel tempo stesso, altrimenti secondo il Gaetano, il Navarro, ed altri appresso il La-Croix l' ordinazione sarebbe invalida.

3. Che nel predetto caso giova tener presente il Canone di Gregorio IX. cap. *Presbyter de Sacramentis non iterandis*, che dice così: *Presbyter, et Diaconus quum ordinantur, manus impositionem tactu corporali, ritu ab Apostolis introducto recipiunt, quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos caute supplendum qood per errorem extitit praetermissum.*

4. Che in ordine al modo di supplire i difetti, e le omissioni fatte nell' Ordinazione del Diaconò, non si può in tutto seguir ciò, che si prescrive da Benedetto XIV. per supplire alle omissioni nell' Ordinazione del Sacerdote, doversi però attentamente distinguere, se l' omissione risguarda qualche cosa essenziale, o puramente accidentale.

Venendo dunque al caso proposto, siccome il Pontefice Gregorio IX. nel citato Canone dice, che se nell' Ordinazione del Diacono fu omessa l'imposizione delle mani, deve certamente ripetersi, così deve dirsi della tradizione del Libro degl' Evangelj. Ora secondo l' esposto del caso, il Vescovo supplì subito all' omissione, cioè nel giorno stesso, anzi siccome pare, in quella stessa mattina, benchè non in Chiesa, ma privatamente nella sua stanza. Quì però nasce il dubbio, se il Vescovo abbia supplito alla sola tradizione del Libro omessa, ovvero l' abbia accompagnata con l' imposizion delle mani, e colla prolazione della forma. Se non supplì che alla tradizione della materia parziale, cioè del Libro, sembra che non sia stata sufficientemente riparata l' omissione, secondo l' osservato di sopra, che la tradizione della materia esigge la simultanea prolazione della forma, e che non può intendersi la forma moralmente compiuta ad una materia, che fù data, e ricevuta alcune ore dopo, e fuori della Chiesa.

Se poi il Vescovo assieme colla tradizione del Libro, pronunciò la forma ec. potrebbe concludersi, che in

4665. FIRMANA.

Novissimis in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis quinto Idus Martii vertente Anno coadunatis in Caussa Firmana Controversiarum inter Fratres Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, et Sodalitatem a Sacra Spina nuncupatam ex una, et Capitulum Metropolitanae Ecclesiae una cum Magistratu partibus ex altera discusso Dubio — *An reliquia Sacrae Spinae reportanda sit ad Ecclesiam Patrum Augustinianorum in casu etc.?* eoque sequentem in formam resoluto: *Affirmative, servatis omnibus ut erant ante Translationem Reliquiae Anno* 1808. *peractam, et amplius* — illico controversia ipsa pro parte Magistratus Firmani finem recepit; sed Metropolitanae Ecclesiae Capitulum ex adverso, non obstante clausula Rescripto addita, qua praecludebatur locus repropositioni Caussae, iterum penes Eminentissimum, et Reverendissimum Dominum Cardinalem Carolum Mariam Pedicini Episcopum Praenestinum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarium, et eidem Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum institit, ut nova illi tribueretur facultas praesentandi saltem supplicem alterum Libellum, quo aliquod honoris privilegium assequi valeret, antequam Reliquia Sacrae Spinae pristinum in locum reportetur. Atque Eminentissimus Cardinalis Praefectus ex concessa sibi a jure facultate precibus morem gerens, quarto Idus Aprilis eodem hoc vertente Anno rescripsit: *Pro gratia novae Audientiae, sed quoad honorificentias tantum, ut in Precibus: proponatur autem in prima Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria, ac Partibus intimetur.* Rebus ad tramites hujus Rescripti dispositis Sacrae Spinae Reliquia adhuc servabatur Metropolitana recensita in Ecclesia quousque decerneretur quid honoris in casu Canonicis Oratoribus vellet Sacra Congregatio tribuere, quae Ordinariis in Comitiis iterum subscripta die apud Sanctam Mariam supra Minervam loco Palatii Apostolici Quirinalis de mandato Sanctissimi coadunata, auditaque nova relatione ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinale Ioanne Francisco Falzacappa Episcopo Albanen. Ponente, nec non rite expensis, matureque consideratis iis, quae ex utraque parte sunt allata, praesertim prae oculis habens expetitam Clavis custodiae Sacrae Reliquiae consignationem non tam honoris, quam juris praerogativam praeseferre, rescribendum censuit: *Negative quoad Clavis concessionem: in reliquis statuatur lapis inscriptus in Ecclesia Metropolitana in memoriam custodiae Sacratissimae Reliquiae, non retardata interim reportatione, et amplius.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 23. Septembris 1837.

4666. MUTINEN.

Quum quamplura pro parte Caeremoniarum Magistri Reverendissimi Episcopi Mutinen. Sacrorum Rituum Congregationi proposita essent Dubia, quorum solutionem enixis precibus efflagitabat, ut debita auctoritate accedente, quaevis privata interpetratio de medio tolleretur, atque unus, idemque ordo ab omnibus in posterum in Sacris Functionibus servaretur, licet pluraque ex eis

tal caso l' omissione fosse stata sufficientemente riempita, e non fosse necessario osservar gl' Interstizj per rinnovare, e supplire questo difetto, come si prescrive nel citato Canone.

È quindi al proposto dubbio potrebbe rispondersi.

Responsio a RR. PP. Consultoribus indigitata apparet in superiori Littera.

ejusmodi sint, quae ab ipsis declarentur Rubricis, vel a Decretis alias editis pendeant, de more tamen ab eadem Sacra Congregatione indictum fuit, ut exquireretur sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis pandita praeloque cusa. Proposita autem Dubia sunt sequentia nimirum

I. Quum ex Rubrica Feriae quintae in Coena Domini pateat omnes de Clero dicto die Communionem sumere debere de manu Celebrantis, nihilominus nonnulli Sacerdotes non dubitant asserere haec dicta esse ob merum consilium, non vero de praecepto; hinc quaeritur. An revera omnes de Clero inservientes Missae Pontificali, et praesertim Sacerdotes, Diaconi, et Subdiaconi Sacrorum Oleorum consecrationi adsistentes teneantur Sacram Communionem sumere de manu Celebrantis?

II. Quum Orationes tam praecedentes, quam subsequentes Communionem Missae Sabbati Sancti loquantur in numero plurali; hinc quaeritur: Utrum liceat in eadem Missa post Communionem Celebrantis Eucharistiam ministrare fidelibus, et praesertim cum particulis in eadem Missa consecratis?

III. Perdurat adhuc in quibusdam Ecclesiis mos communicandi in Missa defunctorum cum particulis praeconsecratis, propterea quod Decreta Sacrae Congregationis hac super re edita non censentur a multis authentica, aut saltem revocata. Hinc quaeritur

1. An idem mos possit permitti, vel saltem ab Episcopo prohibendus, adeo ut solum liceat communicare in dictis Missis cum particulis in ipsis consecratis?

2. An saltem toleranda consuetudo celebrandi praedictas Missas in paramentis violaceis ad hoc ut possit praeberi Sacra Communio cum particulis praeconsecratis?

IV. Colligitur ex Decretis Sacrorum Rituum Congregationis non posse fieri concionem capite tecto ante Sanctissimum Sacramentum palam expositum, non obstante quacumque contraria consuetudine; hinc quaeritur. An id saltem liceat quando Sanctissimum Sacramentum est quidem expositum, sed velo serico obductum?

V. Dum Episcopus accedit ad Ecclesiam pro benedictione danda cum Sanctissimo Sacramento, Canonici assistentes apud nos genuflectunt in plano. Quaeritur

1. An revera ita genuflectere debeant, vel potius super infimum gradum Altaris aeque ac Episcopus?

2. Quo loco, et quomodo debeant genuflectere Ministri sive parati, sive non in benedictione praedicta danda a Sacerdote quocumque?

3. An in benedictione populo impertienda cum Sacra Pyxide haec extrahenda sit a Tabernaculo, et deponenda super Altare?

4. An Sacerdos debeat illam venerari genuflextione duplici, vel simplici?

VI. In Oratione quadraginta Horarum, eoque magis in Festo Corporis Christi, duplicibusque primae, et secundae Classis quum Populo benedicitur, post *Tantum ergo etc.* quaeritur

1. An unica tantum Oratio de Sanctissimo Sacramento dicenda sit, vel addi possit aliqua collecta, nempe Principis etc.

2. Et si negative an dici possit ratione praesentiae ejusdem Principis?

3. Et si affirmative, quae conclusio adhibenda *Qui vivis etc.* an potius *Per Christum etc.*

VII. Quum licitum sit Episcopo incedere cum Mitra quando defert Reliquiam Ligni Sanctissimae Crucis in Processionibus, proinde quaeritur.

1. An possit Episcopus benedictionem solemnem populo importire cum dicta Reliquia, retenta Mitra?

2. An saltem cum Pileolo?

3. An possit retinere Mitram, vel Pileolum benedicens populo cum aliqua insigni Reliquia alicujus Sancti?

VIII. Quum in Sacris peragendis statuatur ab Ecclesia colorem paramentorum esse vel album, vel rubrum etc. pro diversitate festivitatnm, quaeritur

1. An paramenta coloris flavi adhiberi possint pro quocumque colore, nigro excepto?

2. Num paramenta confecta ex serico, et aliis coloribus, floribusque intertexta, ita ut vix dignoscetur color primarius, et praedominans usurpari valeant mixtim saltem pro albo, rubro, et viridi?

3. Num Planetae, Stolae, et Manipula possint confici ex tela linea, vel gossypio vulgo *Percallo*, coloribus praescriptis tincta, aut depicta?

IX. Colligitur ex Rubrica, quod Parochi, Sacerdotes, aliique Ecclesiastici, qui Cotta induti interveniunt Processionibus debeant deferre biretum Sacerdotale; hinc quaeritur

1. An assistens Celebranti, et Clerici, qui dirigunt Processionem Rogationum etc. possint hoc facere?

2. An Parochi, qui intersunt Processioni Sanctissimi Sacramenti in Festo Corporis Christi, et in aliis Functionibus propriae Paroeciae possint deferre Stolam supra Mozzettam, vel saltem retinere Pileolum?

X. In Rubrica nihil habemus circa nomen Sancti nominandi in Oratione *A cunctis* littera N. Auctores autem communiter docent intelligi Patronum, vel Titularem Ecclesiae, Capellae, sive Altaris, in quo Sacerdos celebrat Sacerdotes autem fere omnes nominant Patronum Principalem Loci, vel Dioecesis. Quaeritur ergo

1. Quisnam Sanctus nominandus sit in Oratione *A cunctis* Littera N. a Sacerdote celebrante: Patronusne principalis loci, vel Dioecesis, aut potius Titularis Ecclesiae, Oratorii etc. in quibus celebrat?

2. An in commemorationibus pro Suffragiis facienda sit commemoratio Titularis Dioecesis, vel Paroeciae?

XI. Rubrica silet circa Orationes dicendas in Missa quotidiana pro defunctis. Auctores vero cum Cavalerio sustinent primam dicendam esse pro quibus applicatur, secundam ad libitum, tertiam *Fidelium* asserentes tres Orationes in Missa positas valere tantum pro Missa Conventuali singulis Mensibus canenda in Cathedralibus, et Collegiatis. Attamen Sacerdotes generaliter semper easdem recitant Orationes, nulla habita ratione pro quo applicant. Hinc quaeritur

1. Quae Orationes in Missa quotidiana pro Defunctis dicendae sint a Sacerdote?

2. An in officiis, seu suffragiis, quae passim celebrantur apud Confraternitates Laicorum intra Annum pro uno vel pluribus Defunctis cum Missa cantata, et exequiis, atque peculiari Missarum privatarum numero, unica tantum Oratio cum Sequentia dicenda sit a Sacerdotibus confluentibus, et quae in casu dicendae?

3. Si Officium fit pro Defuncto Sacerdote qualis Missa, et quae Orationes?

4. An in exequiis, quae fiunt sine tumulo, vel tantum cum tapete in terram strato, Sacerdos debeat eas ab Altari facere cum aspersione, et incensatione, vel potius procedere ad tapete, illudque circumire?

5. An dictae exequiae debeant fieri immediate post Orationem *Postcommunio*, vel potius post Evangelium Sancti Ioannis?

XII. Fere omnes Confraternitates, et piae Sodalitates in Civitate Mutinae carent, ob transactas praesertim vicissitudines, Ecclesia propria, ac proinde extant in Ecclesiis alienis sive Parochialibus, sive non. Quaeritur ergo

1. An Sancti Titulares, ac Patroni Confraternitatum, vel Sodalitatum earumdem aequiparari debeant saltem in eorum diebus festis, Titularibus ac Patronis Ecclesiarum praedictarum, iisdemque propterea frui privilegiis ac isti?

2. An Sacerdotes confluentes ad dictas Ecclesias in Festis Patronorum, et Titularium, ut supra, debeant in Missa addere *Credo* et unicam dicere Orationem?

3. An occurrente Festo Patroni, vel Titularis praedicti in Dominica privilegiata secundae Classis, Missae privatae dici possint, et debeant de Sancto cum commemoratione Dominicae, et ejus Evangelio in fine; an vero Missa tantum solemnis?

4. Quid intelligatur verbis *concursus populi ad celebrandum festum*, qua ratione cani possit Missa Solemnis de Festo, quod iransferri debet, et an in hac Missa dici debeat, et possit semper *Credo*?

XIII. Caeremoniale Episcoporum cap. XI. lib. 2. num. 1. in quo agit de Missa Pontificali pro Defunctis, et Exequiis ad castrum doloris, dicit *Canonici parantur paramentis sacris, prout in aliis Missis celebrante Episcopo:* hinc idem Caeremoniarius supplicat declarari.

1. An ultra Diaconum, et Subdiaconum Missae debeant assistere alii duo Diaconi assistentes prout in aliis pro vivis?

2. An in exequiis absolvendis pro Papa, vel pro Principe corpore non praesente, Faldistorium Episcopi ponendum sit ad caput tumuli, vel ad pedes ejus?

XIV. Fere in omnibus Ecclesiis apponi solet Feria sexta in Parasceve Reliquia Sanctissimae Crucis, et benedici populo cum ipsa. Quaeritur ergo

1. An saltem dicta Feria incensari debeat eadem Reliquia a Sacerdote genuflexo?

2. Cujus coloris debeat esse Pluviale, et Velum humerale pro tali benedictione?

3. Num Oratio — *Respice quaesumus* — eadem Feria sexta recitanda sit ante benedictionem a Sacerdote erecto, vel genuflexo?

4. An admittendi sint fideles ad osculum dictae Reliquiae?

5. An in adoratione Crucis in dicta Feria sexta etiam Diaconus, et Subdiaconus debeant deponere calceamenta?

6. Utrum Reliquia Pretiosissimi Sanguinis publice exposita adoranda sit genuflexione simplici, vel duplici, et incensanda a Sacerdote genuflexo, vel erecto?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu subscripta die apud Sanctam Mariam supra Minervam loco Sacri Palatii Apostolici Quirinalis, de Mandato Sanctissimi coadunata, ad relationem Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Joseph Della Porta-Rodiani Ponentis, mature consideratis, riteque discussis omnibus, rescribendum censuit.

Ad I. *Affirmative, seu jam provisum per Generale Decretum diei* 12. *Septembris* 1716. *et dentur Decreta in Seguntina diei* 19. *Septembris* 1654. *et* 19. *Martii* 1675.

Ad II. *Negative, nisi adsit consuetudo.*

Ad III. Quoad 1. *Dilata, et servetur Rescriptum in Panormitana diei* 12. *Aprilis* 1823. *ad Dubium IX.*

Quoad 2. *Serventur Rubricae.*

Ad IV. *Negative.*

Ad V. Quoad 1. et 2. *Genuflectant in infimo gradu simul cum Celebrante.*

Quoad 3. *Dilata.*

Quoad 4. *Detur Decretum in Vilnen diei* 22. *Decembris* 1753. *nimirum genuflexione duplici adorandam esse Sacram Pixidem palam expositam.*

Ad VI. Quoad 1. *Affirmative in Oratione quadraginta Horarum, et duplicibus primae et secundae Classis, negative vero in Festo, et per Octavam Sanctissimi Corporis Christi.*

Quoad 2. *Satis provisum in primo.*

Quoad 3. *Serventur Rubricae.*

Ad VII. Quoad 1. *Benedictionem capite detecto impertiendam esse in casu.*

Quoad 2. *Negative.*

Quoad 3. *Iam provisum in praecedentibus.*

Ad VIII. Quoad 1. *Negative.*

Quoad 2. *Pariter negative.*

Quoad 3. *Serventur Rubricae, et usus omnium Ecclesiarum quae hujusmodi Casulas non admittunt.*

Ad IX. Quoad 1. *Negative.*

Quoad 2. *Negative circa Stolae delationem, et detur Decretum in Alexanen. diei* 7. *Septembris* 1658. *Circa Pileoli usum juxta alias decreta negative in Processionibus Sanctissimi Sacramenti, in reliquis Functionibus posse ex universali consuetudine.*

Ad X. Quoad 1. *Titularem tantum nominandum esse, et detur Decretum in Santandrien. diei* 19. *Januarii* 1797.

Quoad 2. *Negative.*

Ad XI. Quoad 1. *Servetur Rubricae dispositio, et detur Decretum in Aquen. diei* 2. *Septembris* 1741. *ad Dubium IV.*

Quoad 2. *Posse recitari unicam Orationem juxta Rubricas cum Sequentia.*

Quoad 3. *Detur Decretum in una Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Provinciae Poloniae diei* 29. *Januarii* 1752. *ad Dubium XIV.*

Quoad 4. *Servetur Caeremoniale Episcoporum lib.* 2. *cap.* 37.

Quoad 5. *Absolutionem faciendam esse finita Missa juxta Rubricas Missalis cap. XIII. n.* 4.

Ad XII. Quoad 1. 2. et 3. *Negative.*

Quoad 4. *Intelligitur concursus, qui sit extraordinarius, et relate ad Festa serventur Rubricae de Translatione Festorum, et a pari quoad Symbolum serventur Rubricae Missalis.*

Ad XIII. Quoad 1. *Affirmative.*

Quod 2. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad XIV. Quoad 1. *Negative juxta Decreta alias edita.*

Quoad 2. 3. 4. 5. *Servetur consuetudo.*

Quoad 6. *Ad Sacram Congregationem Inquisitionis.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 23. Septembris 1837.

4667. BRUNDUSINA.

Quum Sacrorum Rituum Congregatio requisita fuerit a Canonico Cosma Marina loci vulgo Mesagne Diocesis Brundusinae, quo loco procedere debeat Concentus musicus, vulgo *la Banda* dum Sacris Processionibus intervenit? Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis apud Sanctam Mariam supra Minervam loco Palatii Apostolici Quirinalis de mandato Sanctissimi hodierna die coadunatis rescripsere *Assignetur locus ab Episcopo, verum ante utrumque Clerum.*

Die 23. Septembris 1837.

4668. BOVEN.

Ob nimiam aeris inclementiam hyemali praesertim tempore, et glacierum ac nivium incommoda quum difficilis admodum reddatur accessus ad Cathedralem Boven. Ecclesiam, atque ob maximam loci humiditatem non parum valetudini obnoxia sit diutina in illa permansio, Reverendissimus hodiernus Episcopus haec serio perpendens, ac insimul habito respectu ad tenuitatem Praebendarum, id sumpsit consilii, ut iterum Chori servitium ad Sextiarias reduceret, uti antea fieri consuevit, nam a Praedecessore immediato in Sede sua Episcopali ad Tertiarias servitium ipsum adactum fuisse comperuit. Nulla interim interposita mora Sacram Congregationem Eminentissimorum Patrum Sacri Concilii Tridentini Interpetrum supplex adivit idem Boven. Episcopus, factique seriem exponens religiosissime, renovatae consuetudinis quoad Sextiarias veniam insimul, et confirmationem exposcens. Ast quum ex requisitis, et exhibitis allegationibus compertum fuerit Sanctam Apostolicam Sedem alias Decretis Sacrorum Rituum Congregationis Cathedralis ejusdem Capitulo benigne indulsisse, ut post Vesperas anticipare posset Matutinum cum Laudibus insequentis diei, ac deinde ut semel tantum in die ad Ecclesiam accederent Capitulares Horis Canonicis Matutinis non minus quam Vespertinis, ac Missae Conventuali satisfacturi sine interruptione, ad Eamdem Rituum Congregationem jam praeventam res omnis definienda, ordinandaque transmissa fuit. Eminentissimi itaque ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi serio perpendentes in casu, de quo agitur validissimas urgere rationes ad confirmandum Indultum ab Reverendissimo Episcopo suae Cathedralis Capitulo concessum, ac insimul constabiliendam certam methodum a Capitularibus omnino servandam, quin essentialiter recederent ab iis, quae ab Antistite Oratore indigitantur, in Ordinario Coetu subsignata die coadunati apud Sanctam Mariam supra Minervam loco Palatii Apostolici Quirinalis de mandato Sanctissimi, me infrascripto Secretario referente, statuerunt servitium Chorale a Capitulo Cathedralis Boven. ut hic adnotatur, in posterum servandum esse, nimirum

I. A Mense Novembri ad integrum Mensem Aprilis servitium Chorale a Capitulo Cathedralis praestabitur per Sextiarias, adeo ut Capitulares teneantur, persoluta in Choro Hora Tertiae, assistere Missae Conventuali. In Quadragesima vero, et Vigiliis, in quibus duae Missae celebrandae veniunt, teneantur etiam persolvere in Choro tam Sextae, quam Nonae Horas.

II. In Dominicis vero intra hos sex Menses occurrentibus teneantur inte-

grum Officium in Choro persolvere, ac sine interruptione Missam Conventualem celebrare, iterato ad Cathedralem accedentes hora consueta Vesperis cum Completorio satisfacturi.

III. In Festis autem solemnioribus, nimirum omnium Sanctorum, Conceptionis Beatae Mariae Virginis, Nativitatis, Circumcisionis, et Epiphaniae Domini, nec non Purificationis, Annunciationis Deiparae, et in Festo Sancti Ioseph Sponsi integrum Capitulum teneatur ad Chorale servitium statis a Rubricis Horis a primis Vesperis inclusive ad Completorium insequentis diei

IV. Idem observandum, et omnino exequendum per integram majorem Hebdomadam, ac in die Paschatis, et duobus insequentibus Feriis.

V. In reliquis vero mensibus servitium Chorale praestabitur pariter per Sextiarias more consueto; verum in Dominicis et Festis tum primae, tum secundae Classis, et per integram Octavam Sanctissimi Corporis Christi, singuli de Choro integrum servitium praestare cogantur statutis a Rubricis temporibus, et horis.

VI. Tandem ut omnis via praecludatur dissentionibus, quae forte oriri possent ex imminutione servitii tempore hyemali, nimirum per sex enunciatos menses, nec minima omnino fiat variatio quoad Praebendas, et Punctaturas: satis enim obeunda tunc temporis incommoda supplent Choralis servitii imminutioni.

Atque ita rescripserunt, sanxerunt, ac quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus, in posterum strictim servandum esse mandarunt. Die 23. Septembris 1837.

4669. CASALEN.

Beatissime Pater.

Ad Pedes Sanctitatis Tuae humiliter provoluti Praepositus, et Canonici Collegiatae insignis Sanctae Mariae Novae Oppidi Lii Casalensis Dioecesis devotissime exponunt a suprema benignitate Benedicti Papae XIV. fel. rec. Praedecessoris Tui indultum obtinuisse vestiendi in quibuslibet Functionibus Capparum insigniis *ormesini violacei coloris*, ut ex Bulla V. Kalendas Maji MDCCXLVIII.

Ast (qua de causa ignoratur) Canonici tunc temporis loco *ormesini violacei coloris*, serico *coloris cremisini* ad instar Cathedralis usi sunt, idque servarunt usque in hodiernum diem, atque sic induti pluries adstiterunt tam coram Episcopo exercente, quam Canonicis Cathedralis, et in tempore Synodi, nomine contradicente, aut impugnante.

Occasione vero Pastoralis Visitationis tribus abhinc annis peractae Canonici Cathedralis recursum porrexerunt Episcopo actu visitanti, ubi instanter petiverunt, ut Canonicos Collegiatae hujus perstringat ad utendum colorem violaceum in Bulla concessionis signatum, et cremisinum deponendum.

Quapropter Canonici Collegiatae praedictae elapso Anno apud Sanctitatem Tuam suppliciter expostularunt, ut loco *ormesini violacei coloris*, colorem purpureum permittere dignareris, sed a Sacra Rituum Congregatione istiusmodi postulatio rejecta fuit.

Verum quum Ormesinus violacei coloris apud sericarum telarum mercatores amplius non reperiatur, quia a pluribus annis obsoletus, ideo Canonici praedictae Collegiatae humanissime iterum supplices apud Sanctitatem Tuam sistunt, ut loco *ormesini violacei coloris*, sericum ignei coloris, seu purpureum praedictum benigniter concedere digneris, ut in usu est in nunnullis Pe-

demontanae Ditionis Collegiatis, consentientibus unanimiter Canonicis Cathedralis una cum Episcopo. Quare etc.

Propositis hujusmodi precibus in Ordinariis Comitiis Sacrorum Rituum Congregationis, Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in sensu fuerunt, ut scriberetur Reverendissimo Episcopo Casalen. ut sequitur

Reverendissime Domine uti Frater.

In Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria subscripta die coadunata iterum per R. P. D. Secretarium ejusdem relatae sunt preces Canonicorum Collegiatae Ecclesiae Oppidi Lii vulgo nuncupati istius Casalen. Dioecesis, quas Amplitudo Tua in hunc eumdem fasciculum conjectas reperiet. Sed Eminentissimi Patres noluerunt aliquid decernere super expositis, satiusque duxerunt ad quaestiones vitandas sequenti modo rescribere — *Episcopo pro Informatione super veritate expositorum, et Oratores exquirant consensum Capituli Cathedralis* — Dignetur itaque Amplitudo Tua Sacram Congregationem de omnibus certiorem reddere, praesertim super totali defectu serici coloris a sa: me: Benedicto Papa XIV. praescripto in Cappa eorumdem, atque Canonicos ipsos monere ut supplici prece istius Capituli Cathedralis in scriptis consensum petant, et reportent, qui in forma authentica Sacrae Congregationi est exhibendus. Et Amplitudo Tua diu felix, et incolumis vivat.

Romae 23. Septembris 1837.

Reverendissimo Domino uti Fratri Episcopo Casalensi.

4670. MELITEN.

Quum sit in votis Sacerdotibus Congregationis erectae in Ecclesia Collegiata, et Parochiali Civitatis Conspicuae Meliten. Dioecesis ea, qua par est sedulitate Fideles coadjuvare, dum vel infirmitate laborant, vel morti proximi reperiuntur, Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicarunt, ut hisce in casibus in Missa addi possit Collecta *pro infirmo*, vel *morti proximo* prout necessitas efflagitaverit. Et Eminentissimi, ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, apud Sanctam Mariam supra Minervam loco Palatii Apostolici Quirinalis de Mandato Sanctissimi coadunati in Ordinariis Comitiis, referente me infrascripto Secretario, rescribendum censuerunt — *Pro gratia, verum gravibus in infirmitatibus, a Consodalibus tantum et in Ecclesia Congregationis*. Die 23. Septembris 1837.

4671. NEMAUSEN.

Episcopus Nemausensis in Gallia, quamvis annum octuagesimum septimum agat, bona tamen valetudine, atque intellectualibus facultatibus integre gaudet; quapropter ad Sanctitatis Tuae pedes provolutus, enixe exquirit: Utrum alio Sacerdote Missae Sacrificium celebrante, sibi in scamno sedenti suae Dioecesis Clericis Ordines Sacros conferre liceat, ne Clerici ipsi cum gravi incommodo adigantur ad conterminos Antistites accedere pro Ordinatione? Et Sacra Rituum Congregatio ad Sanctam Mariam supra Minervam loco Palatii Apostolici Quirinalis de Mandato Sanctissimi in Ordinario Coetu coadunata, referente me infrascripto Secretario, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit. *Non licere*. Die 23. Septembris 1837.

4672. ORIOLEN.

Perdurantibus belli civilis calamitatibus in Regno Hispaniarum accidit ut Reverendissimus Oriolen. Episcopus superiori Anno 1836 Olea Sacra Feria

quinta in Coena Domini consecrare nequiverit pro solemni benedictione Fontium Baptismalium Parochialibus in Ecclesiis peragenda insequente Sabbato Sancto, neque eadem Olea a vicinioribus Episcopis Parochi habere potuerint, siquidem ob communia incommoda pene omnes Episcopales Sedes proprio sunt viduatae Pastore, ita ut communicationibus interceptis grex a Pastore, Filii a Parente, Ecclesia ab Episcopis non sine magno animarum salutis detrimento separentur. Hujusmodi in angustiis constituti Parochi Praebendati Oriolen. Dioecesis diversas inter se protulere sententias, et nonnullis negantibus, bene multi opinabantur benedictionem solemnem Fontium Baptismalium perfici posse adhibitis Oleis superiori Anno consecratis. In qua opinionum, et sententiarum varietate, id sumpsere consilii, ut Sacram hanc Rituum Congregationem requirerent, ut certam sequerentur regulam in re tanti momenti, ac propterea insequentia Dubia enodanda humillime proposuerunt, nimirum

I. An talis benedictio (Fontis Baptismalis in Sabbato Sancto) fieri debeat cum Chrismate, et Oleo praecedentis anni, an potius omittenda sit infusio Chrismatis, et Olei praecedentis anni, an potius omittenda sit infusio Chrismatis, et Olei usque dum accipiantur recenter consecrata? (1)

(1) Benedictio fontis Baptismalis praecipuus est ex antiquioribus ritibus, quos ex veteri disciplina sumpsit, et adhuc retinet Ecclesia, et haec Benedictio duobus praesertim anni temporibus peragebatur solemniter nempe in Paschate et Pentecoste, quemadmodum duobus hisce temporibus solemniter Baptisma conferebatur. Insignis est hac in re Tertulliani locus lib. de Baptism. cap. 19. ubi haec leguntur: *Diem baptismo solemniorem Pascha praestat cum et Passio Domini in quo tingimur adimpleta est, nec incongruenter ad figuram interpretrabitur, quod cum ultimum Pascha Dominus esset acturus misit discipulos ad praeparandum: Invenietis hominem aquam bajulantem Paschae celebrandae locum de signo aquae ostendit ... Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est et gratia Spiritus Sancti dicata ut spes adventus Domini subostensa, quod tunc in coelos recuperato Eo, ad Apostolos dixerunt sic venturum quemadmodum et in coelos ascendit utique in Pentecoste.* Asserit hic, primo, Tertullianus Christum Pascha baptismo consecrasse, docet, secundo decens esse ut expletis per quadragesimale tempus dominicae Passionis mysteriis celebretur baptismus qui suam ab illa recepit virtutem, insuper inquit diem Pentecostes eidem baptismi Sacramento sapienter destinatam esse, quod Resurrectione Domini Spiritus Sancti delapsu, et alterius Christi adventu spe commendetur. Et sanctus Leo veterem Ecclesiae praxim praescribens epistola ad Episcopos Siciliae asserit, sacerdotes qui die Epiphaniae catechumenos baptismate solemni consecrant, *ab Apostolicae Sedis consuetudine discrepare, solosque Paschatis et Pentecostes dies baptizandis in Ecclesia electis secundum apostolicam regulam esse praescriptos:* his similia scripsit Siricius, eadem Gelasius. Id constanter. asserunt Rerum Liturgicarum Scriptores, probantque auctoritate Sanctorum Patrum. Ex libris, qui Dionysio Areopagitae Pauli Apostoli Discipulo tribuuntur eruitur Fontis baptismalis benedictionem ab illis usque temporibus extitisse. Describens ille sacras caeremonias, quibus Baptismus in publico Fidelium conventu conferebatur haec habet. *Ipse autem* (nempe baptizandus) *ad adop-*

II. An in Baptismo solemni infantium utendum sit hujusmodi Aqua benedicta quidem cum reliquis Caeremoniis Missalis, sed absque consecratione,

*tionis matrem* (nempe fontem) *vadat, cujus aquas, posteaquam sacris invocationibus sanctificavit Pontifex, necnon tribus sacratissimi unguenti, crucis forma, effusionibus, totidem sacri unguenti appositionibus, sacrosanctum Deo afflatorum Prophetarum, divinae aspirationis hymnum concinendo consecravit . . . . adduci virum jubet . . . ter eum immergit, sub trina immersione, atque emersione has divinas beatitudines, ac personas invocando.* Quem ritum non recentibus saeculis, non Dionysii aetate, sed jam antea in Ecclesia fontem ad baptisma conferendum olei infusione, crucis significationibus, orationibus, Sanctissimae Trinitatis invocatione benedici consuevisse, ex ejus loquendi modo facile agnoscitur. Ex qua Olei, et Chrismatis commixtione indicatur conjunctio Christi per baptismum cum populis Ecclesiae *aquae multae populi multi*, et Christi nomen, id est uncti ab Oleo, et Chrismate deducitur.

Et quamquam olim multis, sacrisque ritibus nulla certa dies praefixa fuerit, immo tribus Ecclesiae saeculis, persecutorum metu clam, et quibus poterant diebus celebrarentur, data tamen Ecclesiae pace, sua sunt tempora assignata, praesertim ubi aliqua mystica ratio postulabat. Et de confectione Chrismatis praefixa Feria quinta in Coena Domini sic scribit Sanctus Isidorus Episcopus Hispalensis lib. 1. de Officiis Ecclesiasticis cap. 28, quod de Coena Domini inscribitur. *Qua die etiam* (Feria quinta in Coena Domini) *Sanctum Chrisma conficitur, quia ante biduum Paschae, Maria caput, et pedes Domini unguento perfudisse perhibetur.* Neque enim Episcopo fas est alia die Chrismatis, ac Oleorum benedictionem peragere, neque Parocho fas est alio uti Chrismate, aut Oleo Catechumenorum, quam illis, quae eodem anno sint ab Episcopo de more benedicta Feria quinta in Coena Domini. Quod palam eruitur ex Rituali Romano cap. *de Sacris Oleis, et aliis requisitis*, ubi edicitur: *curet Parochus ut ea suo tempore quamprimum habeat, et tunc vetera in Ecclesia comburat*: quae combustio post novam oleorum benedictionem ab Episcopo peractam Feria quinta in Coena Domini, nititur Canoni: *Litteris de Consecratione Distinctione* III. desumpto ex Epistola II. Fabiani Papae ad Orientales Episcopos data, quae licet suppositilia sit, sicut et aliae ejusdem Pontificis Epistolae, antiquus est nihilominus ritus in citata Epistola praescriptus, ut scilicet *Chrisma per singulos annos in jam dicta die sit innovandum, et vetus in sanctis Ecclesiis cremandum.*

Quum itaque Oleorum benedictio quotannis facienda ex antiquissima proveniat traditione, quumque ea Olea quotannis Parochus renovare teneatur, veteribus in Ecclesia combustis, patet benedictionem Fontis Baptismalis duobus Sabbatis Paschae, et Pentecosten peragendam esse infusione Oleorum eo anno benedictorum, neque ignoratur graviter Sacerdotem peccare, graviterque puniendum, qui veteri Oleo benedicto, recentiori posthabito uteretur. Sed tamen intelligendum est, ubi necessitas non cogeret ad id faciendum, urgente quippe necessitate, novoque oleo benedicto deficiente, recte adhiberi posse vetus Oleum benedictum respondit Sacra Congregatio Episcoporum, et Regularium die 20. Maji 1590. apud Gavantum in Manuali Episcoporum verba: *Extrema Unctio*, et San-

seu mixtione Sacrorum Chrismatis, et Olei: an vero Aqua consecrata praecedenti anno, quae ad hunc finem conservetur? (1)

III. An supposito quod Aqua baptismalis benedicta sit cum veteribus Oleis eo quod recenter consecrata non habeantur infundi debeat in Piscinam simulac nova recipiantur Olea, et iterum cum his alia benedicta sit Aqua juxta Caere-

ctus Carolus in Institutionibus de Baptismi administratione pag. 502. sic ait: *Veteri autem vel Oleo Sancto, vel Chrismate non utetur Parochus scilicet nisi antequam novum habeatur, necessitas illius utendi inciderit.* Et re quidem vera Rituale Romanum cap. *de Sacramento Baptismi rite administrando,* et Titulo citato *de Sacris Oleis requisitis* ait: *Veteribus Oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur;* qua urgente necessitate, non modo indulget ut Parochus utatur Oleis benedictis Anno praecedenti, sed etiam, si haec vetera Olea pauca sint quantitate, et *deficere videantur, et Chrisma, aut Oleum benedictum haberi non possit, aliud Oleum de Olivis adjiciatur non benedictum, sed in minori quantitate.* Ergo a fortiori si cogat necessitas, uti poterit Parochus veteribus Oleis, quibus necesse non est, ut Oleum non benedictum infundatur. Necessitatem autem urgere in proposito casu Oriolen. patebat, quia nova Olea neque benedicta erant ab Episcopo, qui a Sede sua divulsus fuerat, neque ob belli civilis pericula alio sumi poterant. Aliunde autem baptismalis Fontis benedictio quae ab ipso Ecclesiae initio est repetenda omitti nequaquam debebat. His innixa auctoritatibus, inhaerendo Resolutioni Congregationis Episcoporum, et Regularium, Instructioni S. Caroli, nec non ipsi dispositioni Ritualis, S. Congregatio rite primae dubii parti affirmativa responsione, occurrendum esse censuit.

Quoad alteram vero partem licet Olei Sancti, et Chrismatis infusio non sit absolute necessaria pro collatione Baptismi ut materia, forma, Minister, et quamvis Aqua naturalis sive ea maris sit, sive fluminis, sive fontis apta sit Baptismo; tamen quoniam hujusmodi institutio ex Apostolica, et antiquissima Traditione accepta et adprobata est, et quoniam ex antiquis temporibus observatum est ab Ecclesia ut Aqua pro conferendo Baptismo solemniter benedicatur, et consecretur, ut supra indicatum est, eam omittere non licet, nisi caussa necessitatis; quae necessitas in proposito casu non existebat, quum haberi possent Olea praecedentis anni: hinc negative responsum est, eo vel magis, quod infusio Chrismatis, et Olei in Fonte baptismali ita conjuncta videtur cum ipsius fontis benedictione, ut ab ea separari minime queat.

(1) Hujus dubii responsio, et haec quidem negativa ad utrumque, pendebat ex hactenus dictis in adnotationibus. Quum enim consecratio, seu mixtio Sacrorum Chrismatis, et Olei in Aqua, quae Baptismo deservire debet, utpote antiquissimae traditionis omitti non debeat praeter absolutam eorum deficientiam; haec autem deficientia absoluta non aderat, quia, juxta ipsum Rituale Romanum, in aliquo casu, cujusmodi certe est ille propositus, admittit posse Parochum uti oleis anni praecedentis, jam omitti non debebat consecratio, seu mixtio oleorum, neque adhibenda erat Aqua, quae consecrata fuerat praecedenti anno, et quae ad hunc finem conservatur, quod patet etiam fieri debuisse novam Fontis benedictionem cum oleis anni praecedentis.

monias Ritualis Romani: an vero illa conservari, et uti debeat usque ad benedictionem in Vigilia Pentecostes, prout in Missali? (1)

(1) In hoc dubio quaeritur an postquam Fontis baptismalis benedictio cum oleis anni praecedentis peracta est eo quod nova suo tempore haberi a Parocho nequiverint, si eveniet quod inter Sabbatum Paschatis ac Sabbatum Pentecostes habeantur nova olea rite eo anno benedicta, cum his Fontis baptismalis benedictio, sit iterum perficienda projecta in piscinam aqua, quae cum veteribus oleis benedicta fuit? In solutione hujus dubii advertendum erat nova olea benedicta vel a proprio Episcopo esse recipienda, vel ab Episcopo alieno, sed cum Ordinarii licentia, uti expresse sub gravissimis poenis jubent passim Sacrae Synodi, inter quas Carthaginiensis IV. anni 398. can. 36. ita mandat — *Presbyteri, qui per Dioeceses Ecclesias regunt, non a quibuslibet Episcopis, sed a suis, neque per juniorem Clericum sed aut per se ipsos, aut per illum, qui Sacrarium tenet, ante Paschae solemnitatem Chrisma petat* — Synodus Vasensis anno 442. can. 3. et aliis omissis, Concilium Provinciale Beneventanum V. an. 1331. cap. 49. His adnotatis, ad dubium quod spectat, adest quidem in Rituali Romano Ritus, quo fit benedictio Fontis baptismalis extra Sabbatum Paschae, et Pentecostes, at in eo tantum casu, quum aqua consecrata non habetur, quia evenire potest, ut aqua ipsa consecrata usui amplius esse non possit. Non enim benedictio aquae baptismalis ita est alligata Sabbatis Paschae, et Pentecostes, ut extra haec tempora fieri minime valeat, sed Rituale Romanum titulo de *Materia Baptismi* tres casus enumerat, in quibus haec benedictio extra praedicta Sabbata fieri possit; ait enim — *Si vero corrupta* (aqua) *fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundatum, ac nitidum, recentem aquam infundat*, eamque *benedicat ex formula, quae infra praescribitur*. Quorum casuum quum nullus in proposito Dubio verificetur, sed econtra aqua consecrata habeatur, et quum imo praescribat eodem loco Rituale Romanum, ut *si Aqua benedicta tam imminuta sit, ut minime sufficere videatur* (ne verbo quidem facto novae benedictionis) alia non benedicta admisceri possit, in minori tamen quantitate, non videtur quid caussae sit, ut repetatur benedictio extra duo dicta Sabbata, ex eo tantum quod facta fuerit cum veteribus oleis. Neque inconsulto, sed prudenti sane consilio Ecclesia retinet usus benedictionis solemnis Fontis baptismalis duobus Sabbatis Paschae, et Pentecostes; nam olim duo in toto integro anno ad recipiendum baptisma erant tempora designata, nisi aliqua administrandi extra haec tempora istiusmodi Sacramentum necessitas occurreret; (quia in eo casu quacumque die, et hora conferri poterat baptisma) vigilia nempe Paschatis, et Pentecostes, et quoniam solemnis haec fontis benedictio non peragebatur, nisi simul et baptisma solemniter conferretur tunc factum est, ut sicut in duobus Paschatis, et Pentecostes solemnitatibus Baptisma solemniter conferebatur, ita hae festivitates solemni fontis baptismi benedictioni fuerint assignatae, et nostra etiam aetate retineantur. Ecclesia enim quamvis plurima de veteri disciplina remiserit, nonnulla tamen ejusdem disciplinae vestigia conservavit, ne omnia penitus reliquisse videretur. Quarum duarum Vigiliarum quum pro conferendo baptismo meminit Terlullianus *cap.* 16. de Baptis-

IV. An in Baptismo solemni ungendi sint infantes Oleo, et Chrismate praecedentis Anni dum recenter consecrata non habeantur; an vero omittenda sit haec Caeremonia, et postea supplenda quum novum Oleum, et novum Chrisma recipiantur? (1)

mo, et Sanctus Syricius in Epistola ad Hymerium prohibet, ne in aliis diebus, quam Sabbato Sancto, et Pentecoste conferatur Baptisma, *quam regulam omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ex Apostolica Petra, supra quam Christus universalem construxit Ecclesiam, divelli.*

Neque mysterio aliquo vacat solemnis benedictio Fontis et collatio Baptismi duobus Sabbatis Paschae, et Pentecostes; id enim fit dicta Nona, quia in eadem hora Cornelius a Sancto Petro baptizatus fuit *Raban. lib.* 4. *cap.* 28., et quia eadem hora Christus expiravit; baptismus enim significat mortem Christi et Sepulturam ejusdem *ibid. cap.* 6. unde fit ut in Sabbato Sancto et Sabbato Pentecostes baptismus solemniter cum Aqua solemniter benedicta conferatur. Postremo duo Sabbata tantum Paschatis, et Pentecostes Baptismate coluntur solemni ex Leonis *epist.* 4. *cap.* 5. et habetur *distinct.* 4. *de consecratione Duo tempora*. Imo ex Syricio *eadem distinct. Non ratione*, nimirum ut primum sit Filii, alterum Spiritus Sancti, ne videatur differentia inter Filium, et Spiritum Sanctum, quorum est aeque mundare animas a peccato ait Raban. *lib.* 2. *cap.* 42.

Quum itaque in proposito Dubio nulla ex caussis concurrat, ob quas Rituale Romanum benedictionem Aquae baptismalis permittit extra Sabbata Paschae, et Pentecostes, quumque non vacet mysterio quod ea benedictio fiat dictis duobus Sabbatis, ea sententia amplectenda est, ut firma remanente benedictione jam facta cum Oleis anni praecedentis, pro nova benedictione cum novis benedictis Oleis expectetur Vigilia Pentecostes, ac proinde, *negative ad primam partem*, responsum consulto a S. C. fuit, *ad secundam* vero *affirmative*.

(1) Oleo Sacro inungi baptizandum ritus est Ecclesiae antiquissimus, cujus et antiqui Patres, et Rituales Codices passim meminere. Duo autem sunt hujusmodi Unctiones: prima ante Baptismum Oleo, quod Catechumenorum vocatur, et fit quemadmodum antiquitus, nunc etiam in pectore, et inter scapulas in modum Crucis. Quem ritum Sanctus Carolus in suis Institutionibus de Baptismi administratione capite de Caeremoniis quae priusquam Baptismus ministretur, adhibentur pag. 500. col. 2. sic explicat; *Obsignantur praeterea Oleo Sacro figura Crucis pectus, et scapulae, ut intelligamus eos, qui Baptismo initiantur, quasi Christi Athletas, ait Sanctus Ambrosius luctamen hujus saeculi luctaturos, solent enim luctantes inungi. Deinde ut sciamus Baptismi gratiam non nostris meritis, sed Christi beneficio, et gratuita misericordia donari, quae Oleo significatur*. Addit deinde alias interpetrationes, a quibus recensendis abstinemus, quum eas possit quisque per se consulere. Altera Unctio praescribitur post Baptismum Sacro Chrismate in summitate capitis in modum Crucis, de qua verticali unctione frequens occurrit mentio apud veteres Scriptores, et in antiquis Sacramentorum Codicibus. Cur autem Baptizatus Chrismate in capitis vertice perungetur explicat Concilii Tridentini Cathechismus Part. 2. de Baptis. Sacram. num. 60. his verbis: *Iam postquam Baptismus absolutus est, Sacerdos*

Hujusmodi Dubiis per me infrascriptum Secretarium relatis in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum habitis quinto Idus Martii vertentis Anni, Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi nil decernere rati sunt, sed rescribendum censuerunt — *Ponatur in Folio, et scribat Magister Caeremoniarum* — Harum quocirca proposita Causa in novo Ordinario Conventu Sacrorum Rituum subsignata die coadunato, ac proposito Voto alterius ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris scriptis pandito, re mature perspecta, diligentique examine cribrata tandem Sacra eadem Congregatio mentem suam aperuit, ac propositis Dubiis a Parochis Praebendatis Oriolen. Ecclesiae juxta enunciatum Votum rescripsit, nimirum

*summum Baptizati verticem perungit, ut intelligat se ab eo die Christo Capiti tamquam membrum conjunctum esse, atque ejus corpori insitum, et ea re Christianum a Christo, Christum vero a Chrismate appellari.*

Quaerebant autem Parochi Praebendati Cathedralis Oriolen. an juxta propositum casum in Baptismo solemni infantium duo hujusmodi unctiones fieri debeant Oleo, et Chrismate praecedentis Anni quum recenter consecrata non habentur, an vero omittenda sit haec Caeremonia, et supplenda quum novum Oleum, et novum Chrisma accipiantur? Certum equidem quod Parochus, sive Sacerdos alius, qui de illius licentia baptizat, cavere debet, ut inquit Sanctus Carolus in Concilio Provinciali Mediolanensi IV. Cap. *quae pertinet ad Sacramentum Baptismi*, cavere, inquam, debet, ne ad infantem baptizandum alio Chrismate utatur, quam eo, quod illo ipso anno consecratum est; ut veteri Canone cautum est. Id tamen ut in primi Dubii adnotatione advertabatur, intelligendum est, ubi commode fieri potest: Ubi enim Oleum recens benedictum haberi non possit, vetus adhiberi posse supra probatum fuit ex Decreto Sacrae Congregationis Episcoporum, et Regularium apud Gavantum, ex eodem Sancto Carolo, et ex ipso contextu Ritualis Romani cap. de *Sacris Oleis*.

Et certe quamquam sacrae omnes Caeremoniae sive illae Baptismum praecedant, sive comitentur sive subsequantur non sint ad ejusdem Sacramenti validitatem necessariae, nihilominus non debent ullatenus omitti, nisi quibusdam in casibus, quos recenset Rituale Romanum in fine capitis *Ordo baptismi adultorum* his verbis: *Si ob baptizandorum multitudinem, ut in India et novo Orbe quandoque contingit in singulorum baptismo praescripti ritus adhiberi non possunt, tunc vel pluribus simul adhibeantur, vel si urgeat necessitas omittantur.* Certum equidem adesse in Rituali Romano *Ordinem supplendi omissa super baptizatum*, quae vetus est Ecclesiae praxis, et cujus multae sunt rationes, quas adnotavit Sanctus Thomas *Part. III. quaestion.* 70. *art.* 3. et Guillelmus Estius *in lib.* 4. *Sententiarum distint.* 6. §. 5. ut certum est pariter sacras preces, et caeremonias praetermitti non posse, nisi urgente mortis periculo, vel alia cogente necessitate, nimirum ut explicat Catalanus *Commen. Ritual. Roman.* ad hunc locum *cap.* 5. vel apud haereticos, vel quocumque errore. Quae conditio periculi mortis, alteriusve urgentis necessitatis deest in casu proposito, in quo eo ipso quod agitur de solemni Baptismo, omitti non debent unctiones Olei, et Chrismatis, ne Sacramentum sua careat solemnitate. Quae Olea licet benedicta sint anno

Ad I. *Affirmative ad primam partem negative ad secundam.*

Ad II. *Negative ad utrumque, sed fieri debet nova Fontis benedictio cum Oleis anni praecedentis, seu provisum in prima parte superioris Dubii.*

Ad III. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad IV. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Atque ita rescripsit. Die 23. Septembris 1837.

4673. ORDINIS BEATAE MARIAE VIRGINIS DE MERCEDE.

Quum Alumni Ordinis Beatae Mariae Virginis de Mercede Apostolico gaudeant Indulto sexto Idus Ortobris quotannis cum Officio sub ritu duplicis primae Classis cum Octava recolere Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis ipsius, nonnulla Dubia in praesentiarum excitata, Sacrorum Rituum Congregationi hisce concepta terminis pro opportuna solutione proposuere, nimirum

I. An praedictum Officium die decima Octobris persolvendum sit iis in Coenobiis tantum, in quibus certo constat adjectas Ecclesias fuisse consecratas, an vero in omnibus Ordinis Coenobiis etiam si Ecclesiae adnexae non sint consecratae? (1)

praecedenti, quum nova ob miseram Hispanici Regni conditionem haberi non possint recte verificari videtur necessitas iis utendi, eo vel magis quia benedictio praecedentis anni nihil impedit, quominus mystici effectus, ad quos hujusmodi unctiones dirigi, supra innuimus, obtineantur. Quae ratiocinatio, ut magis, magisque elucescat, sic juvat argumentari. Si caeremonia ungendi Oleo, et Chrismate infantes in Baptismo ideo est omittenda, quia non expedit in ea adhiberi Olea praecedentis Anni, aut infantes baptizandi sunt sine hac unctione postea supplenda cum novis Oleis, aut reliquendi sunt sine Baptismo donec novum Oleum, et Chrisma recipiantur; Atqui neutrum fieri potest; nam primum non patitur Rituale Romanum, quod disponit conferri posse Baptismum sacris precibus, ac caeremoniis omissis tantum urgente mortis periculo, aut alia cogente necessitate: quod periculum vel necessitas in proposito casu, quum agatur de solemni Baptismo, non verificatur. Alterum non patitur spiritualis salus infantium, quia quum incertum sit quando recipi possint novum Oleum et novum Chrisma, deliberate, et scienter differri deberet Baptismum maximo infantium periculo, cui prospiciens Rituale Romanum. *Cap. de baptizandis parvulis* §. 1. ait: *Opportune Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes . . . quamprimum fieri poterit . . . deferant ad Ecclesiam, ne illis Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis.* Restat ergo ut concludatur in deficentia novorum Oleorum, nihil obesse quomodo in solemni Baptismo ungantur infantes Oleo, et Chrismate praecedentis anni: quibus omnibus perpensis, et his innixa S. C. *affirmative ad primum* respondit et *negative ad secundum.*

(1) Dupliciter Ecclesiae Dedicationis Officium, aut Festum considerari potest; quum nempe Ecclesia solemni ritu consecratur, et quum dies hujus consecrationis recurrit. Prima vere dicitur estque Consecratio, seu Dedicatio; altera, quae singulis annis recoli solet est anniversaria Dedicationis olim peractae memoria. Utraque licet una minus, alia majus proprie, Ecclesiae Dedicatio appelletur, et sic duplex est Dedicationis Officium. Alterum, quod

II. An in omnibus Coenobiis sive certe sciatur, sive non sciatur dies consecrationis, vel dedicationis Ecclesiae persolvi debeat Officium consecrationis die decima Octobris fixe assignata pro Festo Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis? (1)

semel tantum peragitur, alterum quod quovis Anno, ea ipsa recurrente die, celebratur, et est anniversarius dies dedicationis. Iam si officium dedicationis, quod celebratur singulis annis est quaedam, et vera anniversaria memoria Ecclesiae jam peractae semel consecrationis, requitur fieri non posse Officium dedicationis Ecclesiae, quae non est consecrata; quod enim numquam peractum est, numquam pariter recoli potest tamquam peractum. At in Ecclesia non consecrata alterius Ecclesiae consecratae fieri potest anniversaria memoria sive Sacrum de illius consecratione peragendo, sive Officium persolvendo, quemadmodum evenit in unaquaque Dioecesi, in cujus omnibus Ecclesiis etiam non consecratis fit Officium dedicationis Ecclesiae Cathedralis, ut patet ex Decretis Sacrorum Rituum Congregationis, et ex Rubrica, quae in Missali in Missa Anniversarii dedicationis Ecclesiae orationi secretae praefixa videtur — *Extra Ecclesiam ipsam dedicatam omittitur Parenthesis* — Quod in his ex lege, et Decretis, ac Rubricae dispositione fit, fieri potest in Ecclesiis, quibus a Sancta Sede privilegium est concessum, Officium nempe peragendi de Dedicatione alterius Ecclesiae vel aliarum simul sumptarum Ecclesiarum. Iam quum inclitus Ordo Beatae Mariae Virginis de Mercede privilegio gaudeat peragendi Officium de Dedicatione Ecclesiarum totius Ordinis, jure hujusmodi Officium fieri potest, et nihil impedit, quominus fiat in iis Ordinis Ecclesiis, quae consecratae non sunt, sive Ecclesia non consecrata, non est impedimentum ad illud peragendum, nam non de illius consecratione memoria agitur; semper autem Officium facit de Ecclesia, quod ex vi privilegii facere potest, semel ac de Dedicatione Ecclesiarum sui Ordinis peragit Officium; et quum in privilegii concessione nulla ponatur distinctio, nulla pariter ponenda est pro illis Coenobiorum Ecclesiis, quae consecratae non sunt. Privilegium autem non Ecclesiis singularibus, non singularibus Coenobiis, sed universo Ordini datum est, atque hinc omnibus ejusdem Ordinis Ecclesiis est commune. Quibus perpensis, S. C. *negative primae parti affirmative alteri parti* hujus dubii respondit.

(1) In hujusce dubii solutione, haec advertere necesse erat. Si certo sciatur aliquam Ecclesiam non esse consecratam, vel jure de consecratione dubitetur, hujus quidem Ecclesiae dedicationis Officium fieri nequit. Sic statuit Sacra Congregatio. Non ita tamen si constet de Consecratione, consecrationis vero dies ignoretur: tunc enim Ecclesiae consecrationis Officium peragi debet, et eo die ad hoc assignato, nisi postea per documenta detegatur verus consecrationis dies, tunc enim in hoc est peragendum. In casu proposito nec certo constat Ecclesias omnes non esse consecratas, nec jure dubitari potest de consecratione omnium Ecclesiarum Ordinis simul sumptarum (ad quod peculiariter privilegium concessum est); hinc jure fieri Officium potest ab omnibus ejusdem Ordinis Ecclesiis. His addendum est quod quum privilegium complectatur dedicationem omnium Ecclesiarum Ordinis, fieri nequit ut rationabile oriatur dubium de Dedicatione omnium, et admitti debet aliquas esse consecratas, quod sufficit, et hinc fieri

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum coadunata quinto Idus Martii vertentis Anni nil rescribendum censuit quin antea exquireretur Votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris. Quo habito Voto in scriptis pandito, relataque iterum Instantia in novo Ordinario Coetu subsignata die coadunato; Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, audita fideli relatione ab me infrascripto Secretario facta, rescripsere juxta Votum ipsius Caeremoniarum Magistri, videlicet.

Ad I. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad II. *Affirmative, seu jam provisum in primo.*

Atque ita servandum mandarunt.

Die 23. Septembris 1837.

4674. SUTRINA.

Decimoquinto Kalendas Aprilis vertentis Anni, Feria nimirum secunda majoris Hebdomadae Bassani, quod est Oppidum intra fines Dioecesis Sutrinae in Parochiali Ecclesia Deo in honorem Beatae Mariae Virginis in Coelum Assumptae decantata fuit Missa Solemnis de Requiem pro Defuncto, Sabbato immediate praecedenti, quamvis Cadaver tumulatum fuisset, siquidem Dominica in Palmis praecedenti, funus institui nequivit tum ob solemnes Functiones dicta Dominica peragendas, tum ob Populi concursum Communionis Paschalis praecepto satisfacturi inibi convenientis. Quamvis autem Sacerdos Joseph Iozzi memoratae Ecclesiae Archipresbyter probe sciret id fieri posse ex Rubricis et Decretis Sacrorum Rituum Congregationis, et praesertim in una Tuden. dici 7. Septembris 1816. ad Dubium XLIII., in quo praescribitur — *Missa de Requiem cantata ut in die obitus celebranda est pro nuper Defuncto, cujus Cadaver ob rationabilem causam pridie fuerit tumulatum; dummodo non sit duplex primae, aut secundae Classis, aut festivum de praecepto* —, attamen non defuere aliter opinantes, ac proinde pro suae conscientiae tranquillitate hanc ipsam Sacram Rituum Congregationem supplex adivit idem Parochus, ac insequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum

1. An in facto bene se gesserit?

2. An Dominica Palmarum quum sit primae Classis possit celebrari Missa Defunctorum praesente Cadavere?

Eminentissimi itaque ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu subsignata die coadunati apud Sanctam Mariam supra Minervam de mandato Sanctissimi loco Palatii Apostolici Quirinalis, audita

debet Officium, et eo die (per doctrinam superius allatam) cui illud est assignatum, nempe die X. Octobris, quum hic dies sit assignatus, nec diversimode constet.

Quum vero fiat Officium de dedicatione omnium Ecclesiarum simul Ordinis, alterum propriae Ecclesiae consecratae Officium alio die fieri nequit; nam eo die, quo fit de dedicatione omnium Ecclesiarum Ordinis, intelligendum est fieri etiam de dedicatione propriae, et singularis Ecclesiae; omnes enim pariter in Privilegio comprehensae censentur. Alias de una eademque Dedicatione bis fieret Officium, quod non debet omnino. Una enim et sola est Anniversaria Dedicationis memoria. Patet itaque sapienter respondisse S. C. *affirmative*, seu jam provisum esse in praecedentis dubii responsione.

fideli relatione a me infrascripto Secretario facta, rescribendum censuerunt. *Affirmative ad utrumque.*

Die 23. Septembris 1837.

4675. ORDINIS CARMELITARUM DISCALCEATORUM.

Quum duo Dubia Sacrorum Rituum Congregationi enodanda proposuerit Reverendissimus hodiernus Procurator Generalis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, nimirum

I. An in Ecclesiis, ubi morantur, absque tamen Religionis habitu, Alumni Ordinis Eremitarum Discalceatorom, teneantur omnes uti Missali Ordinis juxta concessionem factam de Anno 1777?

II. An Sacerdotes exteri adigi possint uti praedicto Missali etiam si color Ecclesiae respondeat Officio ab ipsis persolvendo?

Sacra eadem Congregatio apud Sanctam Mariam supra Minervam loco Palatii Apostolici Quirinalis de Mandato Sanctissimi coadunata in Ordinariis Comitiis, referente me infrascripto Secretario, respondendum censuit. *Negative quoad utrumque.* Die 23. Septembris 1837.

4676. SPOLETAN.

Perill. et Reverendissime Domine uti Frater.

Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicarunt Prior, et Archidiaconus Dignitates istius Metropolitanae Ecclesiae Spoletanae declarari utrum ipsis, qui ex Apostolicis Litteris in forma Brevis expeditis die 13. Aprilis anno 1802. accensentur albo, et numero Praelatorum Domesticorum, vi jurium, et privilegiorum Praelatis Domesticis inhaerentium liceat uti non solum Violaceis vestibus cum Rochetto, sed etiam in Ecclesiasticis Functionibus Canone, et Palmatoria tam intra propriam Ecclesiam, et Dioecesim, quam extra illas, proposito Dubio si directe foret occurrendum, cuilibet facile pateret responsionem illuc tendere, ut permissum sit Oratoribus uti ubique Vestibus violaceis, non vero Palmatoria, et Canone, quae attribuuntur Collegiis nonnullis Praelatorum, minime vero singulis Praelatis. Sed quoniam Sacrae Congregationi innotuit ad hoc excitatum fuisse Dubium, ut aliquo modo a supradictis Priore, et Archidiacono cohonestetur usus Canonis, et Palmatoriae saltem intra propriam Ecclesiam, in qua jamdiu proprio marte haec adhibent, propterea ad abusum penitus eliminandum Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi in Ordinariis Comitiis subscripta die coadunatis satius duxerunt rescribere: *Scribatur Archiepiscopo juxta mentem. Mens autem est, ut Amplitudo Tua, consideratis omnibus juxta exposita juris, et privilegii principia, nomine ejusdem Sacrae Congregationis inhibeat praedictis Dignitatibus usum Palmatoriae, et Canonis tam intra, quam extra propriam Ecclesiam, quoniam eorum usus nullimode neque a jure, neque ex privilegio, neque ex indulto illis competit.* Adeo Sacra ipsa Congregatio de Amplitudinis Tuae pietate, ac religione confidit, ut certo credat omnia a Te ordinanda fore juxta praefatas praescriptiones. Et Amplitudini Tuae diuturnam ex animo exopto felicitatem.

Romae 23. Septembris 1837.

Perillustri, et Reverendissimo Domino — Archiepiscopo Spoletano.

4677. TARVISIN.

In Ordinariis Comitiis S. R. C. apud Sanctam Mariam supra Minervam loco Palatii Apostolici Quirinalis de mandato Sanctissimi coadunatis, inter ce-

tera, actum etiam quum fuerit de Supplici Libello a Reverendissimo Episcopo Tarvisin. eidem Sanctissimo Domino porrecto, ac hisce terminis concepto, nimirum

Beatissimo Padre.

Sebastiano Soldati Vescovo di Treviso umilmente prostrato dinnanzi al Trono Apostolico di Vostra Beatitudine espone a propria tranquillità il caso seguente, mosso da desiderio di regolarsi dietro i lumi, che dalla sapienza, ed autorità Apostolica gli verranno comunicati.

Con devotissima istanza innalzata alla Santa Sede il Vescovo Oratore dimandò la grazia, che rimanendo fermi gli Anniversarj delle dedicazioni delle Chiese pel solo recinto della Città di Treviso nei giorni fissati dai Vescovi Predecessori, potessero tutti gli altri delle Chiese foranee, che ascendevano forse a dugento venir celebrati per uniformità, e per toglimento di varj abusi nella Domenica quarta di Ottobre di ciascun Anno. A quest' umile petizione condiscese benignamente l'Apostolica Clemenza, e con Rescritto della Sacra Congregazione de' Riti sotto il dì 18. Decembre 1835. accordò che tutti gli Anniversarj delle Chiese foranee si celebrassero quind' innanzi nella Domenica quarta di Ottobre, il che fu notificato per l'esatta osservanza a tutta la Diocesi con Decreto Vescovile affisso per comune notizia nel Calendario dell' anno corrente.

A tale intimazione tutte acchetaronsi le Chiese foranee, ad eccezione dell' unica Chiesa di Santa Maria di Asolo, la quale riposando all' ombra de' suoi privilegii piuttosto immaginarj, e fittizj, che solidi, e reali pretenderebbe di andar distinta sopra tutte le altre Chiese foranee, come in altri punti, così anche in questo, e di proseguire a celebrare il suo Anniversario della dedicazione nella Domenica prima di Agosto, per cui anche ottenne l' Indulgenza Plenaria *ad septennium*. I motivi poi su' i quali la Chiesa di Asolo si fonda per sostenere le sue pretensioni sono i seguenti:

1. Che essa Chiesa di Asolo avendo avuto forti litigi colla Cattedrale di Treviso per vincer la massima di esser riguardata Concattedrale del Vescovo, perdette il punto presso i Tribunali civili, dinanzi a quali soli venne agitata la Causa, ma riportò a suo favore questa sentenza, che mantenendo lo stato di Collegiata insigne, qual era allora, venisse per onorificenza intitolata Cattedrale, titolo che la Curia, e i Vescovi pro tempore non le ricusarono più da cinquant' anni indietro, ne' quali è seguita quella sentenza civile.

2. Che avvi l' antico costume, che il Vescovo di Treviso dopo aver visitato la Cattedrale di San Pietro, non recasi alla visita diocesana di verun' altra Chiesa prima di aver visitato quella di Santa Maria di Asolo, dove non si sà bene se per dovere, per consuetudine, o per mera condiscendenza rinnova gli stessi riti, e le medesime ceremonie usate nel solenne ingresso alla propria Cattedrale, e non dissente di venir pubblicamente annunziato qual Vescovo della Chiesa di Asolo, e di Treviso.

3. Che il luogo di Asolo, forse per memoria delle antiche prerogative ritiene il nome di Città.

Ma a questi titoli vantati di Asolo per ottenere una distinzione privilegiata in confronto di tutte le altre Chiese Diocesane, l' Umilissimo Vescovo Oratore crede che possa rispondersi come siegue. Al 1. Una decisione meramente civile, per quanto vogliasi autorevole, non ha forza di mutare lo stato di una

Chiesa senza il concorso della suprema Autorità Ecclesiastica, la quale non si sa che abbia mai pronunciato giudizio su questo punto. Anzi argomentando dai fatti, vuolsi conchiudere il contrario, perocchè la Santa Apostolica Sede nell' atto di rilasciare le Bolle Canoniche all'eletto Ordinario, lo qualifica Vescovo dell' unica Cattedrale di San Pietro di Treviso, e non anche di Santa Maria di Asolo. Or questo costante silenzio Apostolico sembra sciogliere la questione. Al 2. Le distinzioni che i Vescovi pro tempore hanno usato, ed usano alla Chiesa di Asolo sembrano piuttosto procedenti da amor di pace, e da spirito di moderazione, che da intimo convincimento della qualità Cattedratica che risiedea nella Chiesa Asolana; perocchè del resto non si è mai veduto, nè si vede almeno da molti secoli in qua, che i Vescovi si credano in debito di far veruno di quegli atti, che certo non ometterebbono se la riputassero Cattedrale di proprio nome. Di più qualunque sia il peso, che vogliasi dare alla decisione civile, questa attribuì alla Chiesa di Asolo la verbale onorificenza di Cattedrale, mentre durava in essa la qualità di antica Collegiata insigne, che ora è perita affatto per le notissime generali vicende politiche, senza speranza veruna, che venga mai più ripristinata. Ed in fatti se il titolo di Collegiata era il principale, e quello di Cattedrale il puro accessorio, pare ragionevole che distrutto il primo, non debba più sussistere il secondo. Al 3. Se la qualificazione di Città convenne ad Asolo per diritto Canonico quando fu residenza temporaria dell' unico Vescovo Agnello, che per testimonianza del P. Bernardo de Rubeis (*vide monumenta Ecclesiae Aquelejensis*) v' ebbe ferma stanza per alcun tempo, e diritto Civile quando fu soggiorno della Cornaro Regina di Cipro, or certamente non sembra convenirle più, ed anzi dall' Autorità politica non viene certamente risguardata più come tale.

Premesse tutte queste cose, l' Umilissimo Vescovo Oratore non crederebbesi autorizzato a risguardare la Chiesa di Santa Maria di Asolo sotto altro aspetto, che di Chiesa foranea, e come tale compresa al pari dell' altre tutte nella disciplina generale di dover fare l'Anniversario della Dedicazione nella Domenica quarta di Ottobre. Fors' anche potrebbesi aggiungere che una graziosa, e speciale esenzione non servirebbe che a fomentare gli spiriti di quei popolani troppo vaghi di privilegi, e di novità. In ogni modo il Vescovo Oratore invoca l'espresso oracolo Apostolico, perchè o la concessione, o il rifiuto che sarà per dare agli Asolani sia regolato dalla prima Autorità Ecclesiastica, cui debbono tutti religiosamente obbedire. Nel caso che venga deciso dalla Santa Sede, che la Chiesa di Santa Maria di Asolo deve conformarsi all'esempio, ed alla pratica di tutte le altre Pievi foranee della Diocesi, sarebbe somma grazia se venisse dichiarato che l' Indulgenza Plenaria ottenuta *ad Septennium* per la prima Domenica di Agosto giorno dell'anniversario della dedicazione praticato finora, resta con Apostolica Autorità *firmo remanente tempore*, trasferita alla Domenica quarta di Ottobre per maggior decoro dell' Ecclesiastica celebrità, e vantaggio delle anime.

Il Vescovo poi Oratore si trova in dovere soggiungere, che *ex noviter deductis, ac repertis* viene a sua cognizione che il Municipio di Asolo fu risguardato come Città dal Governo Veneto, e fu confermato in tale prerogativa anche dall' attuale Governo Austriaco, che riconobbe anche la nobiltà de' più qualificati Cittadini del luogo.

Frattanto in attenzione del Supremo oracolo Pontificio, il Vescovo Oratore

prosteso al bacio de' Santissimi Piedi di Vostra Beatitudine, implora per se medesimo, e per la propria greggia l'Apostolica Benedizione.

Data da Treviso il dì 23. Giugno 1847.

Umilissimo Devotissimo Obbedientissimo Servo, e Figlio
Sebastiano Vescovo di Treviso.

Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, referente me infrascripto Secretario, omnibus rationum momentis fideliter ab Episcopo Tarvisin. expressis, maturo examine cribratis, rescribendum censuerunt. *Episcopus Clerum compellat ad parendum Decreto Sacrorum Rituum Congregationis diei* 18. *Decembris* 1835.

Atque ita rescribere rati sunt. Die 23. Septembris 1837.

4678. HOLLANDIAE.

Quum in Hollandiae ditione diversae circumferantur opiniones quoad secundas Vesperas dierum IX. et XVIII. Novembris, in quarum prima sub ritu duplicis minoris Dedicatio occurrit Basilicae Sanctissimi Salvatoris, et in altera Anniversarium dedicationis Basilicarum Sanctorum Petri, et Pauli instituitur eodem sub ritu, et denegantibus aliis, alii e contra opinentur hujusmodi Festis, utpote Festa Domini, competere praeferentiam, ac propterea memoratas Vesperas non dimidiandas cum insequentibus Officiis ritus pariter duplicis minoris, R. P. Prior Asceterii Sanctae Agathae Congregationis Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium Sacram Rituum Congregationem de opportuna declaratione humillimis precibus requisivit. Quae, apud Sanctam Mariam supra Minervam de Mandato Sanctissimi loco Palatii Apostolici Quirinalis, coadunata in Ordinariis Comitiis, re mature perpensa, referente me infrascripto Secretario respondendum censuit. *Secundas Vesperas in casu esse dimidiandas, juxta Decretum in una Panormitana die* 12. *Aprilis* 1823.

Atque ita rescripsit. Die 23. Septembris 1837.

4679. BURGI SANCTI DOMNINI.

Excitatis nonnullis controversiis in Collegiata Ecclesia Deo in honorem Sancti Bartholomaei Buseti in Dioecesi Burgi Sancti Domnini dicata inter Caeremoniarum Magistrum Reverendissimi illius Episcopi solemniter Pontificalia ibidem exercentis, et alterum ex Canonicis ipsius Collegiatae super honorificentiis Episcopo deferendis in ecclesiasticis functionibus, ac de aliquibus Caeremoniis adimplendis celebrante Episcopo Missam solemnem, idem Caeremoniarum Magister sui muneris esse duxit Sacrae hujus Rituum Congregationis oraculum exposcere ad eliminandas ulteriores dissentiones, ac certam regulam in posterum sequendam constabiliendam. Pro opportuna itaque declaratione insequentia proposuit dubia, nimirum

1. An duo primi Canonici post primam Dignitatem sedentes debeant assistere Episcopo celebranti in habitu Diaconali, vel potius unus servire debeat in Officio Diaconi Evangelii, et alter in officio Subdiaconi?

2. An Episcopus sumptis Paramentis in Presbyterio apud Sedem debeat imponere thus in thuribulo antequam procedat ad Altare?

3. An Canonici Collegiatae, non obstante adserta consuetudine teneantur genuflectere Episcopo ad differentiam Canonicorum Cathedralium Altari, et Episcopo sive pontificaliter, sive Cappa tantum, et Mozzetta induto?

Eminentissimi itaque, ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu apud Sanctam Mariam supra Minervam loco Palatii

Apostolici Quirinalis de Mandato Sanctissimi coadunati ad relationem mei infrascripti Secretarii, re mature perpensa rescribendum censuerunt

Ad 1. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad 2. *Negative juxta Caeremoniale.*

Ad 3. *Affirmative in omnibus juxta alias decreta.*

Atque ita rescripserunt ac servandum omnino mandarunt.

Die 23. Septembris 1837.

4680. RHEDONEN.

Reverendissime Domine uti Frater.

Gravissima quidem res est, quam Amplitudinis Tuae Litterae datae quartodecimo Kalendas Augusti vertentis Anni enarrant, nimirum quamplurima Altaria Parochialium Ecclesiarum hujus Rhedonen. Dioecesis ita a Praedecessoribus tuis fuisse consecrata, ut in ipsis Sanctorum Martyrum Reliquiae vel penitus desiderentur, vel si appositae fuerunt, non tamen servatae sunt rituales hae caeremoniae, quae ab Ecclesiasticis Legibus sancitae reperiuntur. De hac ipsa re inter cetera negotia actum quum fuerit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis infrascripta die coadunatis, Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, serio perpendentes indulgeri omnino non posse, uti in votis erat Amplitudini Tuae, ut Altaria reputet reconciliata cum sola, ac simplici Reliquiarum repositione, nil statuendum censuerunt quin antea exposceretur oraculum Sanctissimi Domini Papae, ac propterea rescripserunt. *Ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo.* Die 23. Septembris 1837.

Suo itaque munere fungens subscriptus Secretarius Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo singula fideliter exposuit, mentemque Sacrae Congregationis aperuit. Ast quum Sanctissimus Dominus praeceperit ut ulterius per alterutrum ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris conficeretur apposita Instructio pro Reverendissimo Rhedonen. Episcopo, hac tandem habita, et a Sanctitate Sua probata edixit, ut per particulares Litteras hujus Sacrae Congregationis Amplitudini Tuae injungeretur, ut ad tramites omnino ipsius Instructionis huic fasciculo insertae defectibus suppleat a Praedecessoribus tuis admissis in consecratione Altarium, de quibus in precibus, atque ita absque admiratione, et scandalo ea qua par est sollicitudine, et prudentia singula ordinet, et componat.

Dum ita Sanctitatis Suae, et Sacrorum Rituum Congregationis jussis obtempero, mentemque aperio, ut singula exequutioni demandet, Amplitudo Tua diu felix, et incolumis vivat.

Romae die 6. Octobris 1837.

Reverendissimo Domino uti Fratri. Episcopo Rhedonensi.

*Tenor autem Instructionis adjectae est sequens.*

Altare super quo celebratur Missa vel fixum, vel portatile, scilicet cum petra sacra tantum, consecratum omnino esse debet; ac pro ipso Altare portatili, sive petra sacra praecipuus est ritus observandus, unctiones adhibendae, reponendae in Sepulchro Reliquiae Sanctorum Martyrum juxta verba Apocalypsis: *Vidi sub Altare Dei animas interfectorum.* Reliquiae ibi reponuntur ob relationem, ac mysticam analogiam inter Dominum Iesum Christum Caput Martyrum, ejusque membra juxta Sancti Augustini verba: *Convenienter autem, et quasi quodam consortio ibi Martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur; scilicet ut qui propter mortem ejus mortui fue-*

*runt, sub Sacramenti ejus mysterio requiescant.* Ideo Sacerdos post confessionem osculans Altare profert ea verba: *Quorum Reliquiae hic sunt.* Ex quibus etiam patet necessitas, ut in Altare sit Sepulchrum Reliquiarum. Reliquiis enim non appositis et deficientibus superflua ac vana essent ea verba. Praeterea sicut Altare quodcumque vel immobile, vel portatile evadit execratum ob fracturam vel per se enormem ob quantitatem, vel enormem propter locum unctionum licet levis in se fractura esset: ita execratum evadit ob Reliquiarum amotionem. Si ergo execratum remanet Altare ob Reliquiarum amotionem, ex hoc etiam liquido ostenditur Reliquiarum necessitas in Altarium consecratione. Hinc si a ceteris ritibus observandis in nova Altarium consecratione dispensavit aliquando Sedes Apostolica, numquam a ritu dispensavit repositionis Reliquiarum, et a caeremoniis necessario in hoc observandis. Sic Congregatio Sacrorum Rituum in Augustana 21 Aprilis 1668 Episcopo supplicanti pro facultate reconciliandi plurima milliaria Altarium execratorum ob solam remotionem Reliquiarum, quae propterea iterum consecranda omnino erant, cum sola repositione Reliquiarum iis tantummodo servatis caeremoniis, quae in Pontificali Romano praescribuntur, respondit: *In hoc casu gratiam petitam posse concedi*, quae a sa: me: Clemente IX. concessa fuit.

Si itaque hoc sequi exemplum Sanctissimo Domino placuerit, Reverendissimus Episcopus Rhedonensis posset dispensari ab integra consecratione facienda omnium Altarium, de quibus in precibus: attamen in eo quod respicit Reliquias, indulgeri nequit ut Altaria reputet reconciliata cum sola, ac simplici Reliquiarum repositione, quin caeremoniae serventur ad hunc ritum ordinatae. Ut igitur res procedat absque omissione, vel violatione ritus constanter servati, et absque strepitu vel scandalo, quod oriri posset, Episcopus secreto in suo privato Oratorio procedat ad consecrationem cum omnibus caeremoniis a Pontificali Romano praescriptis petrarum cunctarum, in quibus Reliquiae desunt, vel quamvis appositae sint, non fuit tamen adhibitus ritus ordinatus, easque petras cum Reliquiarum sepulchris consecratas mittat ad Parochos, qui easdem unicuique mensae aptare poterunt. Qua functione caute, ac prudenter peracta nihil omnino admirationis, vel scandali excitabitur, quum perpaucis patere queat. Ad hunc autem timorem vitandum Episcopi conscientiae, et prudentiae relinquitur statuendum illud temporis spatium,,quod necessarium putabit ad praedicta omnia sedulo perficienda.

4681. ATRIEN.

In Sacrorum Rituum Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis quum ab me subscripto Secretario relectae fuerint humillimae preces Capitularium Cathedralis Atrien. ob aeris, praesertim in hyeme inclementiam, ac valetudinis quamplurium incommoda requirentium Apostolicam dispensationem in Nocte Nativitatis Domini iterum in Aurora ad Ecclesiam ipsam accedendi pro persolvenda cum cantu Hora Primae, et celebranda secunda Missa quae sine Capituli interventu privatim a Parocho celebrari queat; Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature perpensa, cribratisque rationum momentis ab Reverendissimo Episcopo in suis Informatione, et Voto expositis, quin petitam dispensationem concederent, extendere potius censuerunt Indultum Cathedrali Pinnen. concessum die 12. Martii 1836. nimirum in Nocte Nativitatis Domini persolvendi absque cantu Laudes post primam Missam, ac celebrandi secundam Missam prima, vel secunda hora

post ortum Solis. Atque ita a Clero Cathedralis Atrien. in posterum servandum esse mandarunt. Die 19. Maji 1838.

4682. GRATIANOPOLITAN.

Quum Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuerit Sacerdos Perier Canonicus Cathedralis Gratianopolitan. ac intimus illius Episcopi Secretarius, nimirum

1. An Canonico Cathedralis Titulari praesente Episcopo, in alienae Dioecesis Ecclesia competat praecedentia super Parochum Ecclesiae ipsius?

2. An idem dicendum sit quoad Canonicum Cathedralis honorarium tantum, praesente similiter Episcopo?

Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente me infrascripto Secretario rescribendum censuit. *Iuxta alias decreta affirmative in omnibus.*

Die 19. Maji 1838.

4683. SENEN.

Hodiernus Rector Piae Sodalitatis adorationis perpetuae Sanctissimi Sacramenti in Ecclesia Sancti Vigilii Episcopi erectae in Civitate Senarum ad tollendas quaestiones, quae saepe saepius excitantur, sequens Dubium Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione subjecit, nimirum. An in Ecclesiis, ubi aliquod Festum celebratur, cujus ratione Sancti Reliquiae sunt expositae possit post Vesperas, festo durante, exponi Sacra Pixis cum Sanctissimo Sacramento per breve temporis spatium ad recitandas nonnullas preces, quae cum benedictione Sanctissimi Sacramenti absolvuntur, non remota eadem Reliquia, juxta interpetrationem Cavalieri ad Decretum Sacrorum Rituum Congregationis sub die 2. Septembris 1741. in Aquen? Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum hodierna die in Ordinariis Comitiis coadunata, referente me subscripto Secretario, respondendum censuit. *Negative.*

Die 19. Maji. 1838.

4684. LUCANA.

Sacrorum Rituum Congregationem supplex adivit hodiernus Parochus Oppidi Aquibejensis in Dioecesi Lucana ut ad uniformitatem in posterum servandam declarare dignaretur quomodo sint ordinandae Vesperae die undecima Iulii, qua Parochialis ipsius Anniversarium dedicationis celebratur, in sequenti enim die occurrit Festum Sancti Paulini Protectoris Principalis, et Patroni Civitatis Lucanae, ejusdemque Dioecesis, quod quidem Festum obtinet ritum duplicis primae Classis? Sacra eadem Congregatio re mature perpensa in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum coadunata ad relationem mei infrascripti Secretarii respondit. *Iuxta Rubricas de Concurrentia N.* 2. *et alias decreta. praesertim in Aquilejen diei* 21. *Augusti* 1688. *ad Dubium* 1. *Vesperae in casu sunt dimidiandae.* Die 19. Maji 1838.

4685. DERTHONEN.

Ut primum Derthonen. Ecclesiae innotuit Sacrorum Rituum Congregationis Decretum extensionis Officii in honorem Sanctae Catharinae Fliscae Adurnae Viduae Ianuensis, quoad ipsius Officii assignationem exortae sunt sententiarum diversitates. Ipsa siquidem Ecclesia speciali Apostolico gaudet Indulto celebrandi etiam in Quadragesima cum Octava Festum Sancti Benedicti, et quamvis Indultum istud sit tantum temporis, nimirum pro Quadragesima, in qua Octavae locum habere nequeunt ex Rubricis, attamen nonnulli opinantur

intra eamdem Octavam locum dandum non esse memorato Officio Sanctae Catharinae, undecimo Kalendas Aprilis, ac proinde Reverendissimus Episcopus Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicavit, ut post Octavam Sancti Benedicti Officium Sanctae Catharinae transferre dignaretur. Eminentissimi vero ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature perpensa, ac diligenter considerato Apostolico Indulto diei 3. Decembris 1816. quoad concessionem Octavae Sancti Benedicti, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunati, referente me subscripto Secretario respondendum censuerunt. *Non indigere, quum Octava Sancti Benedicti non sit privilegiata.*

Die 19. Maji 1838.

4686. REATIN.

Beatissimo Padre.

Costumavano per uso inveterato i Canonici della Chiesa Cattedrale di Rieti vestirsi, purchè però non si trovasse presente il Vescovo Diocesano, de' Sacri Arredi allorchè si disponevano a celebrare in Divin Sagrificio in un'angolo dell' Altare. Quest' antica usanza venne da uno de' Vescovi Reatini, non ha molti anni abolita per averla riguardata come diritto spettante soltanto ai Prelati o Protonotarj Apostolici. L' attuale Vescovo di Rieti per far cosa grata al suo Capitolo, supplica umilmente la Santità Vostra a voler benignamente sanzionare coll'Apostolica sua Autorità, tale consuetudine, accordandogliene per Rescritto perpetuo il Privilegio. Che della grazia ec.

Hujusmodi precibus per me subscriptum Secretarium relatis in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis, Sacra Congregatio rescribendum censuit. *Obstant Decreta.*

Die 19. Maji 1838.

4687. SANCTI MARCI, ET BISINANIEN.

Reverendissime Domine uti Frater.

Acceptis a Sacra Rituum Congregatione Amplitudinis Tuae Informatione, et Voto, quae juxta illius voluntatem dederas septimo Kalendas Maii vertentis Anni super supplici Libello, Dubiisque in eo propositis a Sacerdote Vincentio Campagna Canonico Theologo istius Cathedralis Ecclesiae Sancti Marci, super iisdem de more actum est in Ordinariis ejusdem Sacrae Congregationis Comitiis ad Vaticanas Aedes subsignata die coadunatis. Ex omnium allegatorum examine, vel ex iis etiam, quae peracta sunt apud Sacram Congregationem Patrum Concilii Tridentini Interpetrum contra lividos recursus supradicti Canonici, Eminentissimi Patres ad rem omnem conciliandam satius duxerunt duplici forma rescribere, Canonico nimirum ut ad Amplitudinem Tuam recursum haberet super expositis, et ipsi Amplitudini Tuae scriberetur juxta Mentem. Prudenti hujusmodi consilio via intercluditur Canonici Campagna livori, ac odio contra primam ejusdem Capituli Dignitatem, et Episcopalis Dignitas, et auctoritas, sarta tectaque relinquitur, dum nullum recipit super Dubiis directum responsum, et lex illi injungitur ad Ordinarium conveniendi, ut res componi queat, atque ad debitum ordinem, quatenus opus fuerit, revocari. Mens itaque hujus Sacrae Congregationis est, ut Amplitudo Tua pro sui muneris parte omnem sollicitudinem, curamque omnem impendat, ut in Sancti Marci Capitulo debitus quoad Chorum servetur ordo, et si qui abusus forsan irrepserint, de medio tollantur. Hujus generis procul dubio esset, et a pluribus Decretis jam interdicta consuetudo recitandi Sextam, et Nonam dum per Cantores ex Organo expletur decantatio Missae, quae ali-

quando ne tardior protraheretur hora Chori post meridiem effecta est a Canonicis, et Mansionariis in Choro posito post Altare majus, siquidem omnis obligatio Chori successive semper, et non simultanee est adimplenda, et juxta praecitata Decreta neque Amplitudo Tua amplius hoc permittat, omnemque facultatem super re Praefecto Choro adimat, adeo ut in posterum nullimode, nulloque in casu initium habeat recitatio Horarum Sextae, et Nonae in Choro, nisi perfecte expleta Solemni Missa. Nec dissimili modo ad observantiam revocanda est debita praesentia in Choro omnium inservientium, praesertim in Anniversariis celebrandis, quae idcirco dicuntur inter praesentes, super quo certe opus non est insinuare oneratam Amplitudinis Tuae conscientiam remansuram, si secus fieret, omnemque adhibendam esse diligentiam, ut res in aperto ponatur, nec ulli quaerelae locus relinquatur. Eminentissimorum denique Patrum in voto fuit Amplitudini Tuae opportunum praebere consilium, ut quoniam novum omnino est ponere in Choro vas prunarum hyemali tempore, quod certe assertis incommodis locum praebere aliquando poterit, satius esse ut removeatur a Choro, et juxta omnium morem Ecclesiarum ponatur in Sacrario, ad quod pro opportunitate accedere poterunt omni secluso scandalo ii, qui vel per aetatem, vel non firmam valetudinem his opus habent. Summa religio, pietas, ac Amplitudinis Tuae sollicitudo peculiaris ad decorem Domus Dei procurandum, promovendumque, Sacram Congregationem in spem erigunt ut si quis forte abusus super adsertis irrepserit Cathedrali in Ecclesia Sancti Marci, ille quantocius de medio tollatur. Et Amplitudo Tua diu felix, et incolumis vivat. Die 19. Maji 1838.

Reverendissimo Domino uti Fratri Episcopo Sancti Marci, et Bisinanen.

4688. COSTANTIEN. PROVINCIAE ROTHOMAGEN.

In Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanas Aedes coadunatis, quum iterum a me infrascripto Secretario propositae fuerint preces Reverendissimi Episcopi Costantien. Provinciae Rothomagen. quoad translationem ad insequentes Dominicas quamplurium Festorum de praecepto, quumque Eminentissimi et Reverendissimi Patres compererint jam pro omnibus provisum Decretis 11. Martii, et 23. Septembris superioris Anni 1837. precibus ipsius rescribendum censuerunt, ut eadem serventur Decreta; quorum tenor hic adnotatur pro majori dilucidatione, nimirum

4689. COSTANTIEN. PROVINCIAE ROTHOMAGEN.

Quum Reverendissimus Costantien. Episcopus compererit quamplurima incommoda oriri ex eo quod Festa Nativitatis, et Ascensionis Domini, ac insuper Festa Assumptionis Beatae Mariae Virginis ac omnium Sanctorum servari debeant diebus propriis, nec sint transferenda ad insequentes Dominicas, uti quoad alias Solemnitates cautum est in Galliis, hinc humillimis precibus Sacrorum Rituum Congregationem rogarit, ut in sua Dioecesi Indultum de Translatione Festorum extendi valeat etiam ad memoratas quatuor Festivitates, ut sic incommodis ipsis via praecludatur, quae non sine animi sui moreore succrescere in dies animadvertit. Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum coadunati, me infrascripto Secretario referente rei natura diligenter perpensa, rescribendum censuerunt. *Pro facultate transferendi Festa, de quibus agitur ad Dominicos dies non impeditos Festo altioris ritus, vel privilegiatos, in quibus tamen permittitur Missa votiva solemnis de Festo translato non omissa*

*in Cathedrali Missa de Sancto occurrenti. Quatenus vero proximior Dominica sequens sit impedita, tunc Festum translatum fieri permittitur in Dominica proximiori antecedenti.* Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 11. Martii 1837. Novis ejusdem Reverendissimi Episcopi Costantien. precibus pro extensione superioris Indulti ad Festa Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae, Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, et Annunciationis Beatae Mariae Virginis; Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Quirinale die 23. Septembris 1837. habito rescripsit. *Servetur Decretum Sacrorum Rituum Congregationis diei 11. Martii 1831. etiam quoad Festa ab Episcopo ultimo loco expressa.*

Atque ita respondendum censuit. Die 19. Maji 1838.

4690. ARETINA.

In Ordinariis Comitiis Sacrorum Rituum Congregationis ad Quirinale subsignata die habitis quum ab me infrascripto Secretario relata fuerint insequentia Dubia a Reverendissimo Aretin. Episcopo proposita, nimirum

1. Quum Pius Papa VII. ad preces Episcopi Aretini sub diebus 7. et 12. Maii Anno 1805. concessisset pro Clero Saeculari Aretinae Dioecesis Octavas privilegiatas quoad semiduplicia tantum in Festis Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis mense Septembri, Patrocinii Sancti Ioseph, Sanctissimi Cordi Iesu, et Sanctorum Angelorum Custodum, oritur dubium an intra supradictas Octavas fieri possit et debeat de Officio duplici translato, necnon an celebrari possint Anniversaria Defunctorum cum Missa de Requiem?

2. In Cathedrali, et aliis Ecclesiis Aretinae Dioecesis plurimis ab hinc Annis obtinuit consuetudo, ut per totam Octavam Corporis Christi, dum agitur Missa de Sanctissimo Sacramento Hymnus triumphalis *Sanctus* post Praefationem interpoletur versibus Cantici Rythmici: *Divinum Mysterium*; immo Rythmus canitur elata voce, et Hymnus triumphalis dicitur voce submissa dum pulsantur Organa, ac proinde quaeritur 1. An hujusmodi consuetudo laudanda sit, et retinenda; et quatenus negative, quaeritur 2. An Rythmus. *Divinum Mysterium* cani saltem possit extra Missam?

Et Sacra eadem Congregatio re mature perpensa rescripsit

Ad 1. *Doceat de authentica concessione.*

Ad 2. *Permitti posse, dummodo non omittatur solemne Trisagium.*

Die 1. Septembris 1838.

4691. BALTIMOREN.

Multis ab hinc annis usus invaluit apud Sanctimoniales tum Ordinis Carmelitarum, tum Visitationis Beatissimae Mariae Virginis Dioecesis Baltimorensis, ut in illarum Oratoriis Triduo majoris Hebdomadae Missa lecta celebretur. Quod advertens Magister Caeremoniarum Metropolitanae Ecclesiae Baltimorensis, factum contra Rubricarum dispositionem quidem, sed ex vera necessitate ob defectum Cleri, et Clericorum, qui desiderantur, de consensu immo annuente ipso Reverendissimo Archiepiscopo, Sacrorum Rituum Congregationi exposuit, ac humillime supplicavit, ut quousque praedictis in Oratoriis eodem Triduo pro Functionibus peragendis servari nequeat peculiaris dispositio *Memorialis Rituum* sa: me: Benedicti Papae XIII. typis editi, benigne concedatur alicui Sacerdoti, quem Reverendissimus Archiepiscopus designaverit, Sacrum privatim facere praedicto in Triduo iisdem in Oratoriis, quod Indultum extendi etiam valeat ad Oratoria Puellarum Charitatis in eadem Archidioecesi commorantium. Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinales Aedes infrascripta

die Ordinariis in Comitiis coadunata, audita relatione per me infrascriptum Secretarium facta, rescribendum censuit. *Ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo.* Die 1. Septembris 1838.

Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papae XVI. fideli relatione, Sanctitas Sua attentis peculiaribus circumstantiis, summaque pietate ac religione ipsarum Sanctimonialium, de speciali gratia benigne annuit juxta petita, quod Indultum duraturum edixit solum quousque illae functiones peragi nequeant juxta dispositum supradicti Memorialis Rituum, et pro iis tantum Asceteriis, quorum Sanctimoniales extra Claustra non pergunt. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 7. recensitis Mense, et Anno.

4692. PINEROLIEN.

Dubiis a Reverendissimo Episcopo Pinerolien. hisce conceptis terminis Sacrorum Rituum Congregationi propositis, nimirum

1. An Episcopus possit prohibere morem nonnullorum Parochorum in Sabbato Sancto, et in Vigilia Pentecostes Baptismalem Fontem benedicendi, quin Missam per se ipsos celebrent? et an tenatur?

2. Utrum immemorabilis, et universalis consuetudo a Parochis servata quin Missam celebrant, benedicendi Candelas, Cineres, et Ramos olivarum in diebus Purificationis Beatae Mariae Virginis, Feria quarta Cinerum, et Dominica Palmarum, censenda sit legitima? Et saltem an tolerari possit?

Sacra ipsa Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Quirinales Aedas coadunata, audita mei subscripti Secretarii relatione respondendum censuit. *Iuxta alias decreta non licere et Benedictiones, de quibus in precibus, peragendas esse per Celebrantem.* Die 1. Septembris 1838.

4693. MECHLINIEN.

Quum in Metropolitana Ecclesia Mechliniensi nonnulla quoad celebrationem Festorum fieri consueverint, de quibus merito dubitatur an debita auctoritate fuerint aliquando inchoata, ne quid contra Rubricarum praescriptum, aut Decreta Sacrorum Rituum Congregationis in posterum contingat, Reverendissimus Mechlinien. Archiepiscopus praxim Metropolitana sua in Ecclesia, et Civitate Mechliniensi vigentem Sacrae eidem Congregationi exponendam censuit, supplicans, ut si fieri possit rite adprobetur, vel statuatur quid in posterum sit agendum. Praxis autem est sequens.

Praxis I. Dominica prima Mensis Iulii ab immemorabili in Ecclesia Metropolitana cantata fuit Missa votiva solemnis de Sancto Rumoldo, subsequente solemni Processione per Civitatem cum Reliquiis Sancti Rumoldi fieri solita. Attamen quum vi Indulti pro reductione Festorum de die 9. Aprilis 1802. solemnitas Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, et solemnitas Sancti Rumoldi Patroni Ecclesiae Metropolitanae, et Civitatis Mechliniensis in unam, eamdemque Dominicam saepe incidant, ac Sancti Rumoldi festivitas ulterius transferri non possit 1. quod ejus Reliquiae juxta antiquissimam consuetudinem expositae tantum sint Triduo Dominicam primam Iulii subsequente: 2. quod Dominica secunda ejusdem mensis Mechlinienses speciali pietate, ac festivitate colant Sanctum Libertum Concivem suum, idcirco duo majores illae festivitates Sanctorum Apostolorum, ac Sancti Rumoldi celebrantur per modum unius dispositis Rubricis, ut sequitur

1. In Missa Solemni, quam celebrare solet Illustrissimus Dominus Archie-

piscopus additur commemoratio solemnitatis Sanctorum Apostolorum sub unica conclusione, quin altera Missa solemnis de Apostolis cantetur (quod illa die aegerrime fieri posset), sed in eodem casu ipsum Festum Sanctorum Apostolorum die sua propria XXIX. Iunii cum majori solemnitate celebratur.

2. Quum in aliis Ecclesiis Civitatis Mechlinien. non invaluerit consuetudo cantandi Missa votivam solemnem de Sancto Rumoldo, ac Sanctorum Apostolorum festivitati praeferentia debeatur, ita occurrente solemnitate Sanctorum Apostolorum cum solemnitate Sancti Rumoldi, in dictis Ecclesiis cantatur Missa solemnis de solemnitate Sanctorum Apostolorum addita commemoratione Sancti Rumoldi sub unica conclusione.

3. Si contingat idem Festum Sancti Rumoldi, quod celebratur die 1. Iulii, coincidere cum solemnitate Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, uti fit hoc Anno 1838. tunc Missa solemnis tum in Ecclesia Metropolitana, tum in aliis Ecclesiis Civitatis Mechlinien. cantatur de Festo Sancti Rumoldi addita commemoratione Sanctorum Apostolorum sub unica conclusione, et sub distincta conclusione fit commemoratio Octavae Sancti Ioannis Baptistae, et Dominicae occurrentis, de qua in fine dicitur Evangelium.

Praxis II. In Indulto pro reductione Festorum de die 9. Aprilis 1802. haec habentur. Sanctitas Sua mandat ut Anniversarium dedicationis Templorum, quae in ejusdem Gallicanae Reipublicae Territorio erecta sunt, a Dominica, quae Octavam Festivitatis omnium Sanctorum proxime sequetur in cunctis Gallicanis Ecclesiis celebretur. Aliunde haec habetur declaratio Eminentissimi Cardinalis Legati de die 21. Iunii 1804. Dominica, quae subsequitur diem octavam omnium Sanctorum, celebrabitur Anniversarium dedicationis omnium Ecclesiarum consecratarum. Hinc ortum est dubium apud nonnullos, et introducta praxis diversa circa modum celebrandi praecedictum Anniversarium. In Archidioecesi Mechiliensi, et in omnibus fere Dioecesibus Belgii, omnes obligati ad horas Canonicas, etiam illi, qui nulli Ecclesiae sunt adscripti, vel qui adscripti sunt Ecclesiae non consecratae, uno, eodemque die, nempe Dominica prima post Octavam omnium Sanctorum celebrant Anniversarium dedicationis Ecclesiae Metropolitanae, seu Cathedralis, et omnium Ecclesiarum in cumulo sub ritu duplicis primae Classis cum Octava, ita ut per praefatum Indultum censeantur suppressa omnia Decreta Sacrorum Rituum Congregationis huic dispositioni contraria. Alibi Sacerdotes, qui non sunt adscripti alicui Ecclesiae consecratae celebrant tantum Dedicationem Ecclesiae Cathedralis in Civitate cum Octava, et extra Civitatem sine Octava eadem illa Dominica, quae a Sanctissimo Domino Pio VII. Anniversario dedicationis est assignata. Quaeritur ergo

1. Uter modus celebrandi Anniversarium Dedicationis Ecclesiarum sit servandus?

2. An in alterutro casu illi, qui adscripti sunt alicui Ecclesiae consecratae teneantur facere specialem commemorationem dedicationis Ecclesiae Metropolitanae vel Cathedralis, et quomodo?

Praxis III. Per Decretum datum pro Dioecesi Mechiliensi die 23. Augusti 1809. concessa est facultas celebrandi Festum Sacratissimi Cordis Iesu Dominica immediata sequenti Octavam Solemnitatis Sanctissimi Corporis Christi cum Officio proprio ac Missa die 11. Maji 1765. pro Regno Poloniae, et pro Archiconfraternitate in Urbe erecta adprobatis. Quum autem in illa Missa, cujus

introitus est. *Miserabitur secundum multitudinem miserationem suarum. Thren.* 3. non assignetur Tractus pro missis votivis post Septuagesimam, nec *Alleluja* cum ℣. pro tempore Paschali; hinc dubitatum est quid in casu occurrente sit faciendum, quum alii ad Missam Votivam de Sanctissimo Sacramento, alii ad Votivam de Passione Domini recurrant?

Sacra autem Rituum Congregatio ad Quirinales Aedes subscripta die coadunata Ordinariis in Comitiis, audita relatione per me infrascriptum Secretarium facta, omnibus mature perpensis, riteque libratis rescribendam censuit

Quoad 1. *Praxim servari posse in omnibus introductam.*

Quoad 2. *Praxim ad uniformitatem obtinendam Anniversarium hujusmodi celebrandum esse ab omnibus ut in Cathedrali, et Civitate Mechliniensi.*

Quoad 3. *Praxim Tractum et Graduale post Septuagesimam et* Alleluja *cum ℣. tempore Paschali desumi posse ex altera Missa jam adprobata.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit a Clero Archidioecesis Mechliniensis. Die 1. Septembris 1838.

4694. EYSTETEN.

Quum in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunatis ab infrascripto Secretario relata fuerint pro opportuna solutione nonnulla Dubia ab Reverendissimo Eysteten. Episcopo proposita his concepta terminis nimirum

1. Bavariae leges prohibent quominus ad Ecclesiam deferantur Defunctorum Cadavera, ac proinde numquam funera institui possunt praesente Cadavere, ideoque ibi mos obtinet sub Vesperas Cadavera deferendi ad sepulchrum, ac insequenti die de mane Exequiae in Ecclesia celebrantur. Quaeritur utrum Cadavere non praesente Missa de Requiem locum habere valeat?

2. Quum in nuptiis benedicendis perraro in Bavaria Missa pro Sponso, et Sponsa celebrari valeat, ac proinde benedictio nuptiarum, in Missali praescripta intra Missam, extra ipsam Missam ut plurimum impertitur. Quaeritur utrum liceat hunc ritum a Missa abstrahere, et quatenus negative, utrum Episcopis, et Parochis jus sit adigendi Sponsos ad benedictionem in Missae celebratione recipiendam?

3. In Matrimoniis mixtis, quae per dispensationem legitime celebrantur, benedictio Parochi inhibetur. Quaeritur utrum haec inhibitio respiciat tantum benedictionem nuptiarum solemniter in Missa pro Sponso, et Sponsa impertiendam, an complectatur etiam ritum pro celebratione Matrimonii a Rituali Romano praescriptum; an scilicet et ipsa Parochi assistentia interdicatur?

Et Sacra eadem Congregatio re mature perpensa, diligenterque examinata rescribendum censuit.

Ad 1. *Iuxta alias decreta posse.*

Ad 2. *Nihil obstat quoad primam partem, negative quoad secundam.*

Ad 3. *Recurrat ad Sacram Universalem Inquisitionem.*

Atque ita rescripsit. Die 1. Septembris 1838.

4695. PARMEN.

Reverendissime Domine uti Frater.

Ordinariis in Comitiis Sacrorum Rituum Congregationis ad Quirinales Aedes infrascripta die coadunatis actum est etiam illud, quod respicit Supplicem Libellum pii cujusdam Parochialis Instituti erecti in Parochiali Ecclesia Villae di Costamezzana nuncupatae istius Parmen Dioecesis. Sane si vera sunt exposita

quoad publicam Supplicationem in die Solemnitatis Corporis Christi, quae ab eodem Instituto ducebatur prope meridiem, hora siquidem diversa, nec alteram a Parocho Plebis de Cusignano nuncupatae ducendam impediente, nihil obstare potest quin hoc illi permittatur. Exponitur eodem in Supplici Libello interdictam fuisse publicam hanc Supplicationem anno 1836. dum a saeculis, uti fertur, sine interruptione ducebatur pacifice ob recursum istius Parochi Plebis de Cusignano. Attamen locum habere posset hic recursus quoties ageretur de alia Processione diversa. Lege enim per Decreta hujus Sacrorum Rituum Congregationis jam lata, Parochus quidem exquirendus est, ut praebeat consensum quoad ceteras quascumque Supplicationes dummodo ad hoc perquisitus non fuerit Episcopus; hoc namque in casu duci potest etiam Parocho dissentiente. Sed aperte statutum est in una Cassanen. diei 20. Iunii 1634. et in altera Cassanen. diei 8. Aprilis 1656. — *Processiones, quae fiunt in Festo, et per Octavam Corporis Christi fieri posse non petita Parochi venia, intra cujus Paroeciae limites ducendae sunt, quamvis quoad alias Processiones haec venia petenda sit.* — Utriusque Decreti clara Amplitudini Tuae sunt verba recitata. Ea propter his omnibus ab Eminentissimis et Reverendissimis Patribus Sacrae eidem Congregationi praepositis, rite consideratis, accurateque examinatis, satius, ac prudentius duxerunt Amplitudini Tuae, quam Supplici Libello directe rescribere, exoptantes quam maxime in Domino, ut Amplitudo Tua, ea qua praestas pietate, ac religione Gregis tibi commissi paci, et concordiae studens ordinaria facultate supradictum Institutum antiqua in possessione relinquas agendi publicam Supplicationem in Festo Corporis Christi. Sacrae hujus Congregationis aequum consilium dum tibi communico, Amplitudini Tuae diuturnam exopto felicitatem. Romae die 1. Septembris 1838.

Reverendissimo Domino uti Fratri. Episcopo Parmen.

4696. CONGREGATIONIS SANCTISSIMI REDEMPTORIS.

Extensor Directorii, seu Ordinis Divini Officii Congregationis Sanctissimi Redemptoris, quae extra Italiam, et in Dominiis Domus Austriacae constituta est probe noscens propria auctoritate nihil esse immutandum in ejusdem Congregationis Kalendario, quod die 30. Iulii 1830. ab sa: me: Pio Papa VIII. fuit adprobatum, ex communi ipsius Congregationis Patrum voto, et assentiente Reverendissimo Patre Vicario Generali, Sacrorum Rituum Congregationem expostulavit quoad sequentia ut concedantur, vel declarentur, nimirum

1. Ex usu septem jam Annorum compertum est magnas oriri quotannis difficultates ex celebratione nonnullorum Festorum, quae quamvis non sint de praecepto quoad forum, tamen in praxi quae talia fere celebrantur a Populo, sed in nostro Kalendario aliam diem, quam in Germania, occupant. Inter quae praecipue notandum Festum Sancti Ioannis Nepomuceni Martyris die XVII. Maji assignatum, quod tamen in Germania die XVI. ejusdem, et quidem etiam in iis regionibus v. g. Austria, Styria etc. ubi non est de praecepto cum solemnitate maxima, cum Novendialibus, et Octava celebratur: in nostris tamen Ecclesiis, in quibus populus concurrit ad idem Festum celebrandum, et in quibus Altaria, et Imagines ejusdem Sancti quae nullibi desunt, cum tapetibus, floribus, et luminaribus exornata sunt, leguntur Missae aut in colore albo de Sancto Ubaldo, quum noster Populus nec noscit, aut de Requiem non sine offensione populi, immo etiam nostrorum Patrum, qui erga primum hunc Sacramentalis Sigilli Assertorem devotionem fovent quammaximam. Ergo sup-

plicatur humillime ut liceat nobis celebrare hoc Festum die XVI. Maji reponendo Sanctum Paschalem ad diem XVII. ejusdem, et assignando pro Sancto Ubaldo diem XXII. Maji. Idem rogamus pro Festo Sancti Bartholomaei Apostoli, quod in Germania die XXIV. Augusti celebratur, unde similes inconvenientiae occurrunt, quia in nostro Kalendario plerumque fit de duplici translato coloris albi, non sine admiratione Populi, qui Festa Apostolorum solemniter celebrat.

2. In Terris haereditariis Austriae celebratur Dedicatio Metropolitanae, vel Cathedralis Ecclesiae una cum Dedicatione omnium Ecclesiarum tum Saecularium, tum Regularium Dominica tertia Octobris, et sic in Directoriis Dioecesanis notatur: *Officium de Communi cum comm. Eccles. respective Metropolitan. vel Cathedralis mut. Ant. ℣. cum Orat. Deus qui invisibiliter. et Dom. in utrisque Vesp. et Laud. et Missa.* Et agitur ubique cum solemnitate externa, ornantur Ecclesiae, in turribus vexilla in signum dedicationis exponuntur, et omnes conciones fiunt de eadem solemnitate. Submisse itaque rogamus, si nobis ex benigna concessione Sacrorum Rituum Congregationis liceat in praedicta Dominica celebrare Dedicationem Ecclesiarum nostrae Congregationis etiam in Choro cum commemoratione respectivae Cathedralis. Nam semper timenda est Ordinariatus, cujus censurae nostrum Directorium subjacet, exprobratio, quia exceptionem facimus a communi lege sine dubio ab Apostolica Sede adprobata, totius Austriae, Styriae, Tyrolis.

Idem quamvis non adeo necessarium, tamen exoptatissimum esset de Festo Sanctorum Angelorum Custodum, quod ex Decreto sa: me: Clementis Papae XIV. in Germania Dominica quinta Septembris qua dupl. 2. Clas. cum Octava pariter cum magna populi devotione solemniter, et cum concionibus de eodem Festo celebratur. Si benignissime concessum fuerit, optandum esset sine Octava, ne nimia Kalendarii perturbatio oriatur.

3. Oeniponti Dioecesis Brixinensis Patronus Regni est Sanctus Ioseph Sponsus Beatae Mariae Virginis, et Patronus, seu Titularis Ecclesiae Cathedralis translatio S. Cassiani Episcopi Martyris Dominica secunda post Pascha. Ast Anno currenti a censura Ordinariatus nostris Patribus injunctum, immo statim in Directorio impressum fuit Festum Sanctorum Ingenuini, et Albuini Patronorum Brixinensium sub ritu duplicis primae Classis die quinta Februarii. Quaeritur num nostri teneantur, aut possint hoc Festum, quod non est de praecepto pro foro, recitare, aut an potius ad evitandas contentiones praedictum Festum pro forma tantum imprimendum sit in Directorio, admonendo privatim Patres de ejusdem in Choro omissione?

4. Montis Episcopalis Patronus Dioecesis Argentinae Sanctus Arbogastus celebratur Dominica diem XXV. Iulii immediate praecedente: quaeritur si haec Dominica simul est tertia Iulii, num juxta alias a Sacra Rituum Congregatione die 3. Aprilis 1821. declarata, transferendum sit Festum Sanctissimi Redemptoris, an potius illud Patroni Dioecesis?

5. Leodii in Belgio dies XVI. Septembris, in quo celebratur Festum Sancti Lamberti Patroni Dioecesis si cadit in Dominicam, Festum Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis ex Decreto sa: me: Pii Papae VII. in sequentem Dominicam transfertur: quaeritur an cum, vel sine Octava?

6. Officium Fugae Domini Nostri Iesu Christi Dominica quarta Aprilis quotannis est impeditum, et celebratur qua translatum tempore Paschali, cui

minus convenire videtur, si humillime proponere liceat supplicari Sacrorum Rituum Congregationi pro assignando huic Festo aliam Dominicam v. g. tertiam post Epiphaniam, aut primam, vel secundam Iulii, aut aliam.

7. Nostri Patres frequenter praecipue diebus Dominicis excurrunt ad Parochias in vicinia positas ad succurrendum Parochis tum in concionando, aut Confessiones excipiendo, aut in Missa plerumque cantata celebranda. Praeterea extat Leobii in Styria Hospitium, in quo semper tres, vel quatuor nostri Sacerdotes in cura Animarum occupantur, ast non habentes Ecclesiam propriam quotidie in Parochiali celebrant. Quaeritur num juxta plura Decreta, et declarationes Sacrorum Rituum Congregationis se conformare teneantur in Missa? Causa dubii est quia si praedicta conformatio locum haberet, nostri Patres imprimis posteriores in Hospitio morantes frequentissime, et praecipue diebus Dominicis deberent dicere Missas non concordantes cum Officiis nostris pulcherrimis, et devotissimis, ut sunt Festa Domini Nostri Iesu Christi, et Beatae Mariae Virginis assignata ad Dominicas, festa, inquam, de quibus in Germania nec somniant?

8. Quomodo terminentur Hymni in Festo Sacratissimi Cordis Domini Nostri Iesu Christi, quum in Missa — *Egredimini* — dicenda sit Praefatio de Nativitate.

9. In Collegio Frohnleitensi nostri Patres simul administrant Ecclesiam Adriachensem, quae Ecclesia aliquando Parochialis spatio quadrantis horae a nostra Ecclesia Frohnleitensi nunc Parochiali remota, in illa lugubri Ecclesiarum, ut priori saeculo videbatur superfluarum destructione, a Colonis empta huc usque maxima cura, et non paucis expensis ab iisdem conservatur, et non habens proprium Sacerdotem nostrae dispositioni, et administrationi plane relicta est; et revera ibidem quamfrequentissime a Nostris concionatur, Sacramenta administrantur, et Missae leguntur. Quaeritur num etiam hujus Ecclesiae Patronus Sanctus Georgius Martyr a nostris Patribus licite sub ritu duplicis primae Classis cum Octava celebretur?

10. Nostrae Ecclesiae Manternensi adjacet Cappella ad normam Lauretanae aedificatam ob eximiam populi devotionem celebris, in quam aditus ex Ecclesia patet, et in qua quotidie plures, aut certe una Missa a Nostris legitur. Quaeritur num Festum Translationis almae Domus Lauretanae qua duplex primae Classis celebrandum?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinales Aedes infrascripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, omnibus rite, accurateque examinatis post factam a me subscripto Secretario relationem, rescribendum censuit.

Ad 1. *Pro gratia in omnibus juxta preces.*

Ad 2. *Pariter pro gratia in omnibus, sed Festum Sanctorum Angelorum Custodum celebretur sine Octava.*

Ad 3. *Dummodo Sancti sint Patroni Praecipui Regni, vel Diocesis, de ipsis sine Octava recitandum est Officium juxta alias decreta pro Regularibus.*

Ad 4. *Ad tramites citati Decreti Generalis in casu Festum Sanctissimi Redemptoris, uti secundarium transferendum.*

Ad 5. *In casu translationis faciendum esse Officium sine Octava.*

Ad 6. *Juxta alias decreta in casu impedimenti non esse transferendum. sed omittendum.*

Ad 7. *In casu servanda esse Decreta.*

Ad 8. *Ut in Festis Beatae Mariae Virginis.*

Ad 9. *Negative.*

Ad 10. *Negative.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit a Patribus Congregationis Sanctissimi Redemptoris extra Italiam, et in Dominiis Austriacae Domus degentibus. Die 1. Septembris 1838.

4697. MECHLINIEN.

Apostolicum Indultum quo apud Belgas contrahitur numerus Festorum de praecepto, simulque praescribitur, ut jejunium Vigiliae praecedentis, quando servandum est, servetur Sabbato ante Dominicam, in qua Festum illud exterius apud Populum agitur, hoc incommodi non raro patitur, ut quum nihil fuerit quoad Liturgiam immutatum, consuetumque Horarum Canonicarum ordinem, eodem die, quo in Choro solemniter celebratur Festum, et Officium Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, eorumdem sit servanda Vigilia. Quum itaque jejunium minus solemnitati convenire censeatur, propterea Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papae XVI. enixe supplicavit Eminentissimus, et Reverendissimus Dominus Cardinalis Engelbertus Sterkx Mechliniensis Archiepiscopus nomine etiam ceterorum Belgii Episcoporum ad perfectam uniformitatem obtinendam, nimirum Brugen., Gandaven., Leodien., Namurcen. et Tornacen. qui omnes Suffraganei sunt Mechliniensis Metropolitanae, quatenus iis omnibus Dioecesibus aliud concedere dignaretur Indultum, ut nimirum jejunium pervigilii Festi eorumdem Apostolorum, in posterum servari valeat quarto Kalendas Julii, eadem scilicet die, qua antea servebatur. Sanctitas Sua, referente me infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, de speciali gratia annuit solummodo juxta preces quando natalis Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli incidit in Sabbatum, ceteris vero annis servetur solitum juxta praecedens Indultum. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22. Septembris 1838.

4698. MELITEN.

Quum Cathedrali in Ecclesia Meliten. nonnulla in usu esse deprehenderit R. D. Carmelus Xicluna Caeremoniis Praepositus, quae vel a Sacrorum Rituum Congregationis Decretis longe aberrant, vel ex illorum devia interpetratione derivant, pro sui muneris parte, ut omnia rite, et recte dirigantur per supplicem Libellum memoratae Sacrae Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum.

1. Quomodo considerari debeant Ecclesiae Parochiales, in quibus nullum adest onus recitandi Horas Canonicas relate ad eorum Titulares, et Dedicationes?

2. An possint, et debeant Sacerdotes et Clerici degentes sub iisdem Ecclesiis Parochialibus, licet deputati servitio earumdem recitare Officium Dedicationis, et Titularis respectivarum Ecclesiarum, et Octavas celebrare?

3. An Sacerdotes, et Clerici adscripti Ecclesiis Parochialibus Collegiatis, non tamen addicti Choro possint, et debeant recitare Officia, et Octavas celebrare dictarum Ecclesiarum, quae in Choro propria dicuntur, vel potius debeant se conformare quoad Officium Kalendario Dioecesano?

4. An Sacerdos, qui gaudet privilegio Altaris personalis, si aggregetur alicui Congregationi, quae etiam dicto privilegio gaudet, possit adhuc frui hoc alio privilegio quum aliunde jam habeat per tres, aut quatuor vices in hebdomada tale privilegium?

5. An Sacerdos quando benedicit Populum Sacra Pyxide debeat illam totam cooperire extremitatibus veli oblongi humeralis, quemadmodum jubet Rituale Romanum in delatione Viatici, non tamen post Viaticum sed alia in occasione?

6. An Canonicus Dignitas in Minoribus constitutus possit in fine Officii in Choro intonare Antiphonam Titularis, ac dicere Orationem?

7. An Vice-Parochus debeat habere praecedentiam super alios Sacerdotes, ipsi in Ordinatione anteriores, non obstante aliqua consuetudine allegata non immemorabili?

8. An in Ecclesiis, et Oratoriis Ecclesiae Parochiali subjectis in quibus multi Sacerdotes quotidie celebrant, possint celebrari Missae Titularis, et Dedicationis sub eodem ritu duplici, ac in Ecclesia Parochiali?

Sacrorum vero Rituum Congregatio ad Vaticanas Aedes subscripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, exquisita prius alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris sententia scriptis pandita, praeloque cusa ad relationem Eminentissimi, e Reverendissimi Domini Cardinalis Jacobi Aloisii Brignole Ponentis, omnibus mature propensis, riteque libratis, rescribendum censuit in omnibus juxta Votum, exceptis Dubiis 2. et 3. pro quibus dilata, et Episcopo pro Informatione, nimirum.

Ad 1. *Juxta Rubricas Generales Missalis, et Breviarii Romani.*

Ad 4. *Ad Congregationem Indulgentiarum.*

Ad 5. *Deberi in benedicendo Populo cum Sacra Pixide illam totam cooperire extremitatibus veli oblongi humeralis.*

Ad 6. *Non posse.*

Ad 7. *Negative praeter Functiones, in quibus exercet munus Vice-Parochi.*

Ad 8. *Negative.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 23. Februarii 1839.

4699. ATRIEN. ET PINNEN.

Reverendissime Pater.

Quum Sacra Rituum Congregatio compererit Priorem Ordinis Praedicatorum Civitatis Pinnen., eoque absente Sub-Priorem in Ecclesiasticis Functionibus uti Palmatoria, quod vetitum omnino est, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subscripta die coadunata ad relationem mei infrascripti Secretarii decrevit, ut Paternitati Tuae scriberetur, quod veris existentibus expositis curet, ut abusus omnino de medio tollatur. Ipsa igitur diligentissime Sacrae Congregationis mentem, et jussa aperiens memoratis Priori, et Sub-Priori Coenobii Pinnen. eos adducat ut decretis strictim obtemperent. Et diu felix vivas.

Die 23. Februarii 1839.

Reverendissimo Patri Magistro Generali Ordinis Praedicatorum.

4700. BOVINEN.

Reverendissime Domine uti Frater.

In Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunatis per infrascriptum Secretarium relatis precibus nomine Amplitudinis Tuae, requirentis Missam votivam quotidie celebrandam a rudi imperitoque Sacerdote tuae Dioecesis, ac etiam subsequentibus Litteris cum Informatione, et Voto ab Amplitudine pariter Tua datis octavo Kalendas Februarii currentis Anni, ac serio examine cribratis omnibus in gravissimo hoc negocio locum habentibus circumstantiis Eminentissimi, et Reverendissimi

Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi concordes in voto fuere quod Amplitudini Tuae scriberetur ut Sacerdotem eumdem imperitum omnino suspendas, donec instructus appareat ad rite celebrandum scandalo secluso. Hanc Sacrae Congregationis mentem dum Amplitudini Tuae aperio, diu felix, et incolumis vivat. Die 23. Februarii 1839.

Reverendissimo Domino uti Fratri Episcopo Bovinensi.

4701 CONGREGATIONIS OBLATORUM BEATAE MARIAE VIRGINIS.

Quum hodiernus Praefectus Congregationi Oblatorum Beatae Mariae Virginis Civitatis Taurinen. ab Sacra Rituum Congregatione petierit solutionem duorum insequentium Dubiorum, videlicet.

1. An Sacerdos, qui ex Indulto quotidie celebrat Missam votivam Beatae Mariae Virginis, in Sabbatis, et per Octavas Festorum Deiparae addere possit Hymnum Angelicum *Gloria in excelsis Deo*, uti ex Decretis concessum est in Missis votivis ejusdem Deiparae, quae in Sabbato celebrantur?

2. An usus coloris caerulei in sacris Paramentis permitti possit pro colore albo, uti fieri assolet in Missis Beatae Mariae Virginis, vel potius violaceo?

Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunati ad relationem mei infrascripti Secretarii respondere rati sunt.

Ad 1. *Affirmative in Sabbatis, in reliquis negative.*

Ad 2. *Negative in omnibus, et usum caerulei coloris, veluti abusum eliminandum.* Die 23. Februarii 1839.

4702. MONTIS REGALIS.

Quum Reverendissimus Episcopus Montis Regalis Sacrorum Rituum Congregationi exhibuerit duo Dubia hisce concepta terminis, nimirum.

1. Occorrendo alcune volte nella Vigilia di Pentecoste il giorno, in cui il Capitolo di questa Cattedrale di Mondovì ha l' obligo di cantare una Messa in forza di antico Legato, dimanda se possa detta Messa cantarsi dopo l' Ora di Prima riservando la Messa Capitolare colla Benedizione del Fonte dopo l'ora di Terza?

2. Se i Padri Abbati Benedettini Cassinensi, e Cisterciensi possano senza la licenza de' Vescovi consecrare Patene, e Calici ad uso di altre Chiese, oltre le proprie? Poichè essendosi apposti nel Calendario Diocesano alcuni Decreti della Sacra Congregazione de' Riti, frà quali uno che dichiara non aver detti Abbati la facoltà di consecrare Patene, e Calici per uso di altre Chiese fuori delle loro proprie, ne porsero lagnanze, ed addussero privilegj, che per lo meno non si sà se siano stati confermati.

Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die in Ordinario Coetu coadunata ad relationem mei Secretarii rescripsit.

Ad 1. *Negative juxta Rubricas.*

Ad 2. *Procuratori Generali pro Informatione et Voto.*

Die 23. Februarii 1839.

4703. ORDINIS MINORUM EXCALCEATORUM SANCTI PETRI DE ALCANTERA.

Quum hodiernus Dispositor Kalendarii Ordinis Minorum Excalceatorum Sancti Petri de Alcantera Provinciae Neapolitanae a Sacrorum Rituum Congregatione enixe expetierit solutionem insequentium Dubiorum, nimirum

1. An servanda sit dispositio Rubricarum, quae praescribunt in Officiis

ritus duplicis minoris Lectiones primi Nocturni de Scriptura legendas etiam dum in Brevario forsan per errorem in aliquibus Officiis duplicis minoris indicantur Lectiones propriae, vel de Communi?

2. An in Ecclesia Ordinis benedicta sub titulo Sanctissimae Conceptionis Deiparae, et Sancti Paschalis, etiam Officium Sancti Paschalis Titularis recitari debeat sub ritu duplicis primae Classis cum Octava?

3. An in simplificandis Officiis duplicibus, quae ad Anni terminum reponi nequeunt, servari possit Officium ritus duplicis persolvendum die secunda Novembris, in qua occurrit translatio Officii ritus duplicis majoris, quod ex Decreto ibi locum habere nequit?

4. An die XXX. Decembris quando non incidit in Dominica, etsi in ipsa locum habeat Officium Dominicae infra Octavam Nativitatis Domini, reponi valeat aliquod Officium translatum?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die in Ordinario Coetu coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii respondendum censuit.

Ad 1. *Semper de Scriptura.*

Ad 2. *Affirmative.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit. Die 23. Februarii 1839.

4704. PARMEN.

Reverendissimus Parmen. Episcopus acceptis Litteris Sacrorum Rituum Congregationis datis Kalendis Septembris superiori anno 1838. relati superius N. 3695. pastoralis sui muneris esse duxit per novam sequentem Epistolam Sacram ipsam Congregationem certiorem reddere de nonnullis respicientibus quaestionem, de qua ipsis in Litteris, ut opportunam reciperet instructionem. per novam sequentem Epistolam.

Eminentissimi, et Reverendissimi Patres.

Quae Parochiali Instituto Ecclesiae Parochialis Villae di *Costamezzana* Parmensis hujus Dioecesis ad hanc Sacrorum Rituum Congregationem relata sunt quoad publicam Supplicationem praedicta in Ecclesia die ipsa Solemnitatis Corporis Christi haberi solitam, ea veritati minime innituntur. Ita autem se res habet. Quum Anno 1835. ad me perlatum esset antedictam Supplicationem obiri in praefata Ecclesia Plebana Villae *di Cusignano* hujus pariter Dioecesis, quod abs re erat, rescribendum duxi, antedictam supplicationem aut summo mane peragendam in Parochiali Ecclesia di *Costamezzano*, aut in Dominicam infra Octavam Solemnitatis transferendam. Id erat rationi maxime consentaneum, et consuetudini utut sit, nulla ex parte repugnans. Quid porro? Posthabito omnino praescripto, eadem die, et hora consueta supplicatio habita, et Parochialis Instituti pietas eo devenit, ut me impune irrisum haberet. Hinc factum ut insequentibus annis Supplicatio die ipsa sacratissimae Solemnitatis vetita, tamquam inobedientiae poena, et in Dominicam infra Octavam trasferenda fuerit decreta, cui tamen decreto pium illud Institutum obtemperare renuit.

Nec est quod me aut venia ab Archipresbytero Plebano non petita, aut nimia animi firmitas quamquam lacessita ad facultatem, iterum iterumque expetitam denegandam moverent. Lex erat: Synodales scilicet Constitutiones, quae id penitus, absoluteque vetabant. Liceat mihi in medium eas afferre, ut Vos Eminentissimi, et Reverendissimi Patres probe noscatis, non Archipresby-

tero Plebis *di Cusignano* reclamante, verum obstantibus Synodalibus ipsis Constitutionibus publicam eam Supplicationem jure, meritoque prohibitam fuisse. Ita autem constitutum Capitulo *de Eucharistia* §. 21.

» Dicta autem Celebritatis die solum Ecclesia Cathedralis in Civitate, et
» in Diocesi Archipresbyterales Ecclesiae Processionem peragant : reliquae vero
» Parochiales tum in Civitate, tum in Dioecesi sequentibus diebus . . . nec duo
» Processiones fiant eadem die in duabus Paroeciis proximis, et contiguis.

In Capitulo autem de Processionibus §. 20. haec habentur

» Ut autem in Oppidis, et Villis hujus nostrae Dioecesis religiosius vene-
» neranda Sanctissimi Corporis Christi Solemnitas recolatur, mandamus ut Re-
» ctores omittant ipsa die Solemnitatis ejusdem Processionem in propria Eccle-
» sia instituere, sed post celebratam Missam ad Ecclesiam conveniant Archi-
» presbyteralem, cui subjiciuntur, ibique Archipresbytero assistant in obeunda
» Processione, nec discedant quousque ab eo hujusmodi functio fuerit peracta
» sub poena trium aureorum.

Haec omnia adamussim in Dioecesi observantur, atque incassum objicitur in aliquibus Oppidis; in quibus Ecclesia Plebana non extat, Processionem in ipsa Solemnitatis die haberi. Oppida enim a Synodo ipsa, quatenus loca in quibus ob Populi frequentiam jus dicitur, Praetura, aliisque publicis Magistratibus praefulgent, excipiuntur. Ast diversa Parochialis Ecclesiae Villa *di Costamezzano* ratio. Ibi Magistratus nulli, Parochus ex Synodi praescriptione ad Ecclesiam Plebanam de Cusignano convenire, ut qui ex hac ipsa pendeat, atque huic subjiciatur, ipsa solemnitatis Corporis Christi die tenetur. Quapropter jure ne an injuria pium Institutum Parochiale supralaudatae Ecclesiae ad Sacrorum Rituum Congregationem recurrerit, Vestrum erit Eminentissimi ac Reverendissimi Patres dignoscere.

Quidquid ergo, cunctis, quae supra exposui, ad trutinam revocatis super hoc negotio, Eminentiae Vestrae decernant, id mihi sacrum erit et inviolabile. Interea dum Sacram Purpuram deosculor, ab omnipotenti Deo vobis omnia prospera feliciaque adprecor ex animo.

Parmae octavo Kalendas Decembris 1838.

Humilissimus Obsequentissimus Dominus Famulus
Vitalis Episcopus Parmen.

Et Eminentissimi, ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum coadunati, audita a me infrascripto Secretario fideli relatione, in voto unanimiter fuerunt ut Reverendissimo Episcopo Parmen. rescriberetur ut sequitur.

Reverendissime Domine uti Frater.

Primum Sacrae hujus Congregationis Rituum Epistolium datum Kalendis Septembris superiore Anno 1838. quoad Supplicem Libellum pii cujusdam Parochialis Instituti erecti in Ecclesia Villae di Costamezzana istius Parmen Dioecesis satis, superque Amplitudini Tuae ostendit Eminentissimos Patres satius, et prudentius in illud devenisse consilium Tibi potius Epistolam, quam Supplici Libello Instituti recensiti Rescriptum dare, timentes quidem ne vitium aliquod subreptionis obreperet. Quum autem in praesentiarum, acceptis Litteris Amplitudinis Tuae datis octavo Kalendas Decembris eodem anno, hoc fuerit in propatulo positum, propterea in novis Comitiis Ordinariis ejusdem Congregationis infrascripta die coadunatis, consideratis omnibus, quae a Te referuntur,

Eminentissimi Patres in unanimi sensu fuerunt supplici Libello esse rescribendum — *Oratores obediant Decreto Episcopi, de quo scribatur eidem Episcopo* — Sensu itaque ac mente Sacrae Congregationis Amplitudini Tuae patefactis, reliquum solummodo erit debito modo per Ordinariam facultatem supradicto pio Instituto Parochiali haec omnia intimare, ut debitae mandentur exequutioni. Amplitudo interim Tua diu felix, et incolumis vivat.

Romae 23. Februarii 1839.

Reverendissimo Domino uti Fratri — Episcopo Parmensi.

4705. TRANEN.

Iuxta placitum decimae Constitutionis sa: me: Gregorii Papae XIII. quae incipit: *Quum interdum*, facultatem Regularibus indulgentis publicam ducendi Supplicationem etiam extra Claustra in Festo, et per Octavam Sanctissimi Corporis Christi, Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum Coenobii, quod extat in Oppido, cui nomen vulgo Corato Dioecesis Tranen. illam extra Claustra duxerunt solemniter pro Oppidi vias. Modo vero ab hoc Ecclesiastico ritu libere servando praepediuntur a Capitulo Ecclesiae Collegiatae, ac praesertim a Parocho, qui sibi jus vindicat impertiendi veniam pro hujusmodi Supplicatione. Eapropter recensiti Regulares Capuccini probe noscentes et quae recensita in Constitutione disponuntur, et quae alias super re fuere decreta, Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicarunt pro solutione sequentium Dubiorum, nimirum

1. Utrum per verba memoratae Constitutionis — *extra Claustra* — licitum sibi sit per aliquam Oppidi viam ea in occasione publicam ducere Supplicationem?

2. Utrum in Supplicationibus, quae ducuntur per Octavam Sanctissimi Corporis Christi expetenda sit a Regularibus venia vel a Parocho, vel ad Episcopo?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes infrascripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, omnibus rite libratis, consideratisque Informatione, et Voto Reverendissimi Tranensis Archiepiscopi ad relationem mei infrascripti Secretarii propositis Dubiis respondendum censuit:

Ad 1. *Licere juxta praedictam Constitutionem et alias decreta.*

Ad 2. *Negative juxta Decreta praesertim in Cassanen die* 20. *Iunii* 1654. *et* 8. *Aprilis* 1656., *et scribatur Archiepiscopo juxta mentem.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 23. Februarii 1839.

*Tenor Epistolae Reverendissimo Archiepiscopo missae est sequens.*

Perill. et Reverendissime Domine uti Fratri.

Ordinariis in Comitiis Sacrae hujus Congregationis Rituum habitis ad Vaticanas Aedes infrascripta die, juxta receptum morem discussa fuere sequentia duo Dubia proposita ab Alumnis Ordinis Minorum Capuccinorum Coenobii Oppidi Corato vulgo nuncupati istius Archidioecesis super quibus tertio Idus Septembris superiore anno 1838. Sacra Congregatio ab Amplitudine Tua Informationem, et Votum requisivit. Dubia autem erant 1. Utrum Regularibus liceat in Festo, et per Octavam Sanctissimi Corporis Christi publicam ducere Supplicationem per vias, ex eo quod in Constitutione decima sa: me: Gregorii Papae XIII. quae incipit: *Quum interdum*, permittitur hoc peragere extra Claustra? 2. Utrum in Supplicationibus, quae a Regularibus ea occasione ducuntur, expetenda ab illis sit venia ad hoc a Parocho, vel Episcopo? Eminentissimi

Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, re cognita, riteque discussa, rescribendum censuerunt propositis Dubiis hoc modo, nimirum Ad 1. *Licere juxta memoratam Constitutionem, et alias decreta*: Ad 2. *Negative juxta eadem Decreta*, atque insimul Amplitudini Tuae juxta mentem esse scribendum. Sacrae itaque Congregationis mens est, ut Amplitudo Tua, qua praestas pietate, ac religione Cleri Saecularis, ac Regularis paci, et concordiae ad dissidia dirimenda studens ordinaria facultate moneas vel Capitulum Collegiatae Ecclesiae Oppidi Corato, vel ejusdem Parochum tum de facultate Regularibus tributa per memoratam Constitutionem, tum de iis, quae alias sancita sunt, praesertim in duobus Cassanen. dierum 20. Iulii 1654. et 8. Aprilis 1656. quibus cautum est, ut aliis in circumstantiis omnino praerequiratur vel consensus vel venia Parochi, aut Episcopi ad ducendas per Regulares, vel quemlibet alium extra propria Claustra Supplicationes, in Festo tamen, et per Octavam Sanctissimi Corporis Christi adimitur omnis contradicendi modus, et liberantur Regulares a venia expetenda. Qui mos quum ubique servetur, servandus pariter erit a Regularibus Oratoribus, ac pacifice relinquendi erunt in illius prosequutione. Et Amplitudini Tuae diuturnam ex animo exopto felicitatem.

Romae 23. Februarii 1839.

Perill. et Reverendissimo Domino uti Fratri. — Archiepiscopo Tranen.

4706. BARDEN.

Precibus Reverendissimi Benedicti Flaget Episcopi Barden. requirentis

1. Ut in Divinis persolvendis Laudibus deinceps conformare se possit in omnibus Kalendario Cleri Saecularis Urbis.

2. Ut in propria sua Missa in diebus non vetitis ad libitum recitare queat quamcumque Collectam.

Sacra Congregatio Rituum ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente me infrascripto Secretario respondendum censuit.

Ad I. *Obstant Rubricae, et Decreta hujus Sacrae Congregationis.*

Ad II. *Affirmative sed ex iis, quae extant in Missali.*

Die 23. Februarii 1839.

4707. TRANEN.

Quum Reverendissimus Tranen. Archiepiscopus apud hanc Sacram Rituum Congregationem insteterit, ut in Ecclesia Ordinis Minorum Sancti Petri de Alcantera loci vulgo Barletta Archidioecesis Tranen. permittatur usus Organi, et Tunicellarum, quamvis Ordinis ipsius Regulae, et Constitutiones haec non admittant; Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, exquisita prius Informatione Reverendissimi P. Procuratoris Generalis, ac singulis diligenter perpensis rescribere rata est — *Negative in omnibus* — Die 23. Februarii 1839.

4708. ANDRIEN.

In Ordinaris Sacrorum Rituum Comitiis ad Quirinale subsignata die habitis, quum per me infrascriptum Secretarium inter cetera negotia, relatae fuerint etiam preces Reverendissimi Episcopi Andrien. conceptae ut sequitur

Beatissimo Padre.

Il Vescovo di Andria bramando che nella sua Chiesa Cattedrale il tutto proceda regolarmente, propone i seguenti Dubbj, e supplica per le analoghe risposte.

1. In tutto il corso dell'Anno per riduzioni fatte da alcuni Vescovi colle

debite facoltà, debbono cantarsi numero ventidue Messe di Requiem, quali sogliono ripartirsi ne' giorni di rito semidoppio.

2. Nella Cattedrale di Andria in tutti i giorni di rito semidoppio, quando possono dirsi Messe di Requiem, vi è l'obligo di cantarsi una Messa di Requiem detta quotidiana nel modo, come' è segnata nel messale di morto.

3. In ogni lunedì benchè fosse di rito doppio, vi è l'obligo di recitare con canto, e talvolta anche senza canto alcuni Responsorj dell' Officio de' morti in suffragio di alcuni pii Disponenti, e defonti in generale.

Il metodo, che si è tenuto ab immemorabili senza opposizione de' Vescovi pro tempore nel soddisfare ai suindicati obblighi è stato il seguente.

Al principiar delle Laudi in Coro una porzione de' Canonici e Sacerdoti non meno di quattro, previo il permesso del Prefetto del Coro medesimo staccandosi dall' altra, che rimane a proseguire il Divino Offizio colla Conventuale, ed altri Legati di Anniversarj, che possano accadere in quel giorno, si porta in una Cappella della stessa Chiesa, detta Oratorio, per assistere alle Messe segnate num. 1. e 2. e recitare i Responsorj segnati al num. 3. senza però portar confusione, o disturbo al Coro, attesa la segregazione, e sufficiente distanza della nominata Cappella.

Si domanda se questa costumanza di dividersi gli addetti al Coro per soddisfare gli obblighi enunciati possa tollerarsi dall' Oratore, oppure togliersi come abuso con obbligare tutti del Coro alla soddisfazione di cui trattasi.

Sacra eadem Congregatio omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit. *In Choro post Primam satisfaciendum esse oneribus Capituli.*

Die 3. Augusti 1839.

4709. BAREN.

Quum Sanctissimus Dominus Noster Gregorius XVI. Pontifex Maximus quarto Kalendas Iunii vertentis Anni iterum remiserit ad Sacrorum Rituum Congregationem Ordinariam sequentes preces Reverendissimi Archiepiscopi Baren. nimirum

Beatissimo Padre.

L' odierno Arcivescovo di Bari prostrato ai Piedi della Santità Vostra umilmente le rappresenta come ab immemorabili la Chiesa Arcivescovile di Taranto, quella di Brindisi, e la Chiesa medesima Vescovile di Nardò godono il privilegio di associare ne' Pontificali l' Epistola, ed Evangelo Greco. Di questo Privilegio medesimo, bramerebbe l'Oratore che ne fosse *potiori jure* corredata la sua Chiesa metropolitana di Bari in memoria di essersi colà da Urbano II. convocato il Sinodo per la riunione della Chiesa Greca, e Latina, e per maggiormente animare i suoi Alunni del Seminario allo studio della Lingua Greca tanto opportuna alle scienze delle sacre lettere, e finalmente perchè resti un monumento perpetuo della Sovrana e Paterna Clemenza, onde la Santità Vostra si è degnata di riguardar quella Chiesa. Che della grazia ec.

Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi ad Quirinale hodierna die coadunati in Ordinariis Comitiis, audita relatione a me infrascripto Secretario facta, ac omnibus maturo examine consideratis, respondendum censuerunt: *Non expedire.*

Die 3. Augusti 1839.

4710. CAMERINEN.

In Ordinario Coetu Sacrorum Ritum Congregationis ad Quirinale subsignata

die habito, inter cetera negocia actum etiam quum fuerit de Supplici Libello Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo hisce terminis porrecto a Decano, et Canonicis Collegiatae Ecclesiae Sancti Genesii intra fines Archidioecesis Camerinen. nimirum

Beatissimo Padre.

Il Decano e Canonici dell' insigne Collegiata di San Ginesio Archidiocesi di Camerino Sudditi, ed Oratori Umilissimi della Santità Vostra con tutto il rispetto espongono, che per giusti e legittimi motivi avendo risoluto di ascoltare la Predica nel Presbiterio recentemente costruito per conformarsi anche alla lodevole consuetudine di altri Capitoli, hanno veduto, e veggono già da cinque anni a questa parte con sommo loro rincrescimento, e con continuo scandalo del Popolo l' Arciprete Don Niccola Biaggi separarsi dal Corpo Capitolare nell' atto della Predicazione della parola di Dio nella ricorrenza Avventuale e Quadragesimale, e da se solo andarla ad ascoltare vestito degli Abiti Canonicali, e de' suoi distintivi nella quarta colonna in seno della Chiesa rimpetto al Pulpito in una sedia situata avanti la medesima colonna avente innanzi un ginocchiatojo con apparato rosso. E siccome un tale operare dell' Arciprete non è conforme alle Leggi Ecclesiastiche, e Canoniche, e come si disse produce grave scandalo nel Popolo, umilmente supplicano la Santità Vostra, affinchè considerate per via economica le ragioni, che assistono gli umili riccorrenti, si degni ordinare nella sua somma saviezza, che ferma rimanga la risoluzione Capitolare di ascoltare la Predica nel Presbiterio, e che l' Arciprete venga costretto in tali occasioni a riunirsi al Corpo Capitolare. Che della grazia ec.

Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi ad relationem mei infrascripti Secretarii, singulis maturo examine perpensis, respondendum censuerunt. *Detur Decretum in una Bononien Praeminentiarum diei* 9. *Decembris* 1730. *ad Dubium* 3. (N. 3842.)

Atque ita rescripsit. Die 3. Augusti 1839.

4711. BOBIEN.

Quum Reverendissimus Bobien. Episcopus constituerit quamprimum coadunare Synodum Dioecesanam, ut leges in ea condendae certo innitantur fundamento Sacrorum Rituum Congregationem supplex adivit exposcens solutionem nonnullorum Dubiorum, quae hisce concepta terminis Ipse proposuit, nimirum

1. An in Cathedralibus, et Collegiatis Ecclesiis Missae Conventuales celebrandae cum cantu, legi queant absque cantu dum in Choro Horae minores recitantur? Et quatenus affirmative, an in Kalendario apponi possit: *Hodie cantantur duae Missae?*

2. An in Benedictione Populo impertinenda cum Augustissimo Eucharistiae Sacramento permitti possit cantus alicujus versiculi vernacula lingua concepti: vel ante, vel post ipsam benedictionem?

3. An Litaniis Lauretanis Beatae Mariae Virginis post — *Regina Sanctorum omnium* — addi possit alius versus scilicet — *Maria advocata nostra* — vel alius?

4. An Seminarii Episcopalis Alumni Choro assistentes Cotta induti thurificandi sint?

5. An duo Canonici Episcopo assistentes, dum impertitur Populo Benedi-

ctio cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento genuflectere debeant in actu benedictionis ipsius?

Et Eminentissimi, ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi probe sentientes Reverendissimi Episcopi Oratoris eo tendere vota, ut omnia in sua Dioecesi recta procedant methodo, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunati, respondendum censuerunt

Ad 1. *Missas Conventuales canendas Choro praesente, et post Horas Canonicas juxta Rubricas.*

Ad 2. *Permitti posse post benedictionem.*

Ad 3. *Negative juxta alias decreta.*

Ad 4. *Incensandos esse per modum unius.*

Ad 5. *Genuflectere in casu debere.*

Atque ita rescripserunt, ac servandum esse mandarunt.

Die 3. Augusti 1839.

4712. MACERATEN.

Collegiatae Ecclesiae Sanctissimi Salvatoris Civitatis Maceratenis Capitulum a saeculo decimoquinto fundatum ex decem Canonicis, et Praeposito constans, cui competit tantum Animarum cura, primum inter aequales locum, et Officia peragere, ut par est, nonnullis in festis, et anni solemnitatibus, solum sub finem decimi septimi saeculi indultum obtinuit gestandi in Choro, et Ecclesiasticis Functionibus rocchettum cum mozzetta privati unius Canonici expensis, qui propterea Capitulo onus hebdomadalis Missae imposuit, quae per turnum celebratur a Canonicis et Praeposito. Hujusmodi usus praeter cetera, quae ex inveterata ejusdem Ecclesiae consuetudine profluunt, satis superque evincunt nullum aliud discrimen inter Praepositum recensitosque Canonicos intercedere quam quod primo inter aequales convenit. Et haec constans observantia fuit novissimis usque temporibus, quum scilicet ex Cathedralis Canonico R. D. Ioseph Roberti in Praepositum ipsius Collegiatae assumptus fuit, paulloque post Summi Pontificis Praelatus Domesticus, renuntiatus; illico siquidem omnia permutata ejus opera fuere. Deposita namque mozzetta Choro, ni praepediatur Animarum cura, quando intervenit supra rocchettum mantelletto, vel superpelliceo utitur, ac insuper pulvinari supra genuflexorio: simili modo indutus procedit ad publicas Supplicationes cum Cappellanis habitu talari, et famulis familiaritatis vestibus singularibus indutis, et ipse gestans intorticium loco cerei, quod gestant reliqui Canonici, Exigit insuper distinctiores in Dominica Palmarum Ramos, distinctasqus Candelas in Purificatione Deiparae. Renuit denique Canonico Diacono in Missis solemnibus, quae celebrat distincto cum apparatu, solitam salutationem dare et Antiphonas omnes praeintonanti repetere. Haec et similia quum consuetam pacem servatamque hactenus consuetudinem perturbent, et de medio tollant omnino non sine populi admiratione, Sacrorum Rituum Congregationem enixe rogarunt Canonici supradicti Capituli pro opportuno remedio. Sacra eadem Congregatio Ordinariis in Comitiis ad Quirinales Aedes subscripta die coadunata ad relationem mei infrascripti Secretarii, omnibus mature attenteque consideratis, attentaque potissimum Reverendissimi Episcopi Maceraten. et Tolentini Informatione, quam in antecessum requisierat, rescribendum censuit: *Iuxta alias decreta, praesertim in Anagnina diei* 21. *Aprilis* 1736. *nihil ex expositis Praeposito licere, ceu contraria etiam pecu-liaribus Capituli Constitutionibus, praeter Vestes pretiosiores in Missis so-*

*lemnibus, et Candelam distinctam in die Purificationis: quod si Choro assistat cum habitu Praelatitio, et Praeposito non competenti, distributiones amittat juxta alias pariter decreta, praesertim in Tiburtina die* 23. *Martii* 1686.

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit a Praeposito Collegiatae Ecclesiae Sanctissimi Salvatoris Maceratae. Die 3. Augusti 1839.

4713. PISCIEN.

Sacerdos Andreas Rossellini Caeremoniarius Episcopi Piscien. et Extensor Kalendarii ejusdem Dioecesis ad rectius, et juxta sancitas leges hoc ordinandum, nonnulla Sacrorum Rituum Congregationi Dubia enodanda proposuit, nimirum

1. Dominica prima mense Majo, dummodo non occurrat aliud Officium potioris ritus, et dignitatis, assignata est Officio Beatae Mariae Virginis Divini Pastoris Matris. Si haec Dominica fuerit impedita, poterit hoc Officium amandari ad alterutram ex sequentibus ejusdem mensis Dominicis, vel omnibus impeditis Dominicis, ad diem ferialem?

2. Dominicae primae mensis Iunii pariter assignatur Officium Beatae Mariae Virginis de Consolatione. Hac pariter Dominica impedita, poterit hujusmodi Officium uti supra transferri?

3. Insequenti Dominicae assignatum est Festum Sacri Cordis Beatae Mariae Virginis, quod superioribus annis diversimode ad diversas Dominicas fuit amandatum in casu impedimenti. Recte nec ne fuit translatum?

4. Officium Sanctorum, quorum Reliquiae in unaquaque Ecclesia asservantur, et coluntur assignatum est Dominicae non impeditae, et proximiori tempori Adventus. Quoniam haec Dominica non impedita intelligitur ea, quando occurrit Dominicale Officium, accidit ut de mense ad mensem transferatur, et aliquando locum habuit mense Ianuario anno in sequenti. Quid itaque in casu agendum?

5. Iuxta Decretum Urbis, et Orbis diei 5. Augusti 1807. sequenti anno additum fuit Kalendario Officium in honorem Sancti Francisci Caracciolo cum Missa — *Os justi* — de Communi. In Kalendariis aliorum Dioecesuum, assignatur Missa propria concessa altero Decreto diei 25. Novembris eodem Anno 1807. Quaenam legenda?

6. Quando occurrit translatio Officiorum Ss. quinque Vulnerum Domini Nostri Iesu Christi, et Sancti Policronii Patroni minus principalis, quum utrumque gaudeat ritu duplicis majoris, quodnam prius reponendum, et si inter se concurrant quomodo erunt Vesperae ordinandae?

7. Generalia Decreta permittunt ut valeat Missa solemnis de Requiem cantari, etiam secunda, et tertia Feria Paschatis, et Pentecosten praesente Corpore. In Hetruria prohibitum quum sit Cadavera exponere, poterit haec Missa locum habere quando Cadaver asservatur in conclavi proximo Ecclesiae? Insuper ut haec Missa dicatur solemnis sunt ne necessarii Ministri, et Clerici, vel Sacerdotes in Choro?

8. Quadam Parochiali in Ecclesia occurrit Anniversarium dedicationis ejusdem die festo Sanctorum Innocentium. Quo die erit reponendum horum Martyrum Officium?

9. In Missis Rogationum possunt ne pulsari Organa?

10. Decreta sinunt ut pulsentur Organa in Dominicis tertia Adventus, et

quarta Quadragesimae, quod certe vetitum reperitur in Caeremoniali Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 28. *num.* 2. Quid itaque agendum?

11. Ultima Stropha Hymui — *Veni Creator Spiritus* — est ne varianda quando dicitur extra tempus Paschale, et Pentecosten?

12. Dominica secunda post Pascha fit Officium Sanctissimi Redemptoris, et tertia Patrocinii Sancti Ioseph. Si in has Dominicas incideret Festum Sancti Marci Evangelistae, Sanctorum Apostolorum Philippi, et Iacobi, vel Inventionis Sanctissimae Crucis, quae sunt aequalis ritus, de quonam agendum? Et Officia Dominicis affixa possunt ne transferri?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Quirinales Aedes subscripta die coadunata ad relationem mei subscripti Secretarii, omnibus mature consideratis, riteque libratis rescribendum censuit: *In omnibus juxta alias decreta, quae dentur nimirum*

Ad 1. 2. et 3. *Transferri possunt si in concessionis Indulto facta sit facultas, et quidem designata die: alias eo anno omittenda juxta Decretum Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Provinciae Poloniae diei* 29. *Ianuarii* 1752. *ad Dubium V.*

Ad 4. *Ut ad proxima: numquam vero transferendum sequenti anno mense Ianuario juxta pluries decreta.*

Ad 5. *Esse legendam Missam propriam juxta Decretum diei* 25. *Novembris* 1807.

Ad 6. *Iuxta alias decreta praesertim in Mediolanen. diei* 7. *Decembris* 1743. *ad Dubium III. de digniori prius agendum: quod si concurrant, servetur Tabella Concurrentiae Num.* 6.

Ad 7. *Negative, sed servetur Decretum in Florentin. diei* 25. *Aprilis* 1781. *quod praecise Hetruriam respicit: quoad alteram partem saltem requiruntur Ministri.*

Ad 8. *Supplicandum pro commutatione Anniversarii.*

Ad 9. *Servetur consuetudo.*

Ad 10. *Ut ad proximum.*

Ad 11. *Juxta alias decreta varianda pro temporum diversitate.*

Ad 12. *Agendum de Officio occurrenti: et Officia Redemptoris, et Patrocinii Sancti Joseph transferantur quatenus in Indulto sit facta facultas.*

Atque ita rescripsit, ac servandum mandavit.

Die 3. Augusti 1839.

4714. SARSINATEN.

Quum pro parte Vicarii Generali Reverendissimi Episcopi Sarsinatensis Sacrorum Rituum Congregationi sequentes exhibitae sint preces Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papae XVI. inscriptae, ut infra

Beatissimo Padre.

Il Vicario Generale della Diocesi di Sarsina supplica la Santità Vostra affinchè voglia degnarsi sciogliere il seguente Dubbio, cioè

Se debba, o no dirsi attualmente l' Orazione *pro Imperatore* nelle preci del Venerdì Santo, e nel Preconio — *Exultet* — del seguente Sabbato, dicendo gli uni che dopo il trattato, in cui Francesco Secondo assunse il nome di Francesco Primo e cambiò il titolo d' Imperatore di Germania in Imperatore di Austria, riducendo ereditaria la successione, e non più elettiva, cessasse da quel punto anche il nome di Romano Imperio, che quelle preci se si

facessero, sarebbero illusorie, e ch' è prattica universale nello Stato Pontificio, ed in Roma istessa di omettere le Preci *pro Imperatore:* gli altri al contrario dicono, che in alcuni luoghi dello Stato si continua a nominare in quei giorni l'Imperatore, e che non esistendo (come quì in vero non si conosce) una disposizione della Santa Sede, non si deve discostare dal Messale. Che ec.

Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi ad Quirinale subsignata die in Ordinariis Comitiis coadunati, me infrascripto Secretario referente, rescripsere — *Esse omittenda* — Die 3. Augusti 1839.

4715. TRIVENTIN.

Ne ulterius progrediatur abusus jam invectus in Oppido vulgo Agnona Dioecesis Triventinae, ubi in una eademque solemni Supplicatione Sanctissimi Corporis Christi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum defertur successive ab Archipresbytero, et Parochis, quod quidem semel, atque iterum prohibetur a Decretis hujus Sacrae Rituum Congregationis, utque omnia in posterum legitime procedant memorati Oppidi Archipresbyter Sacrorum eidem Rituum Congregationi pro opportuna solutione insequentia duo Dubia proposuit, nimirum

1. An non obstante quacumque in contrarium consuetudine intangibile sit jus Celebrantis in Solemnitate Sanctissimi Corporis Christi semper per se deferendi in publica Supplicatione Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum?

2. An inveterata quaecumque in contrarium consuetudo derogare possit Legi a Decretis Sacrae Congregationis praescriptae?

Eminentissimi itaque ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunati, ad relationem mei infrascripti Secretarii, singulis maturo examine perpensis respondendum censuerunt.

Ad 1. *Affirmative juxta alias decreta.*

Ad 2. *Negative juxta eadem decreta.*

Atque ita decernendum, ac servandum omnino edixere.

Die 3. Augusti 1839.

4716. FIRMANA.

Precibus Parochorum loci vulgo Monte Granaro Archidioecesis Firmanae requirentium, an in extractione Dotalium Subsidiorum pro pauperibus Puellis, quae ex dispositione Testamentaria locum obtinet die XXV. Iulii cujusque anni in Parochiali Ecclesia, a qua dicta occasione amovetur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum Hymnus — *Veni creator Spiritus* — a Testatore praescriptus, intonandus sit a Parocho Cotta, et Stola induto? Sacra Congregatio respondit: *Dicatur a Praeside ut in Congregationibus sine habitu sacro.*

Die 3. Augusti 1839.

4717. BAREN.

Sacrorum Rituum Congregationi insequentia duo Dubia proposuit Sacerdos Iacobus Quarto Canonicus Collegiatae Ecclesiae Sancti Nicolai in Civitate Barensi, nimirum

1. An in ipsa Collegiata Canonico solemniter celebranti liceat assumere Beneficiatum, qui officio fungatur Presbyteri assistentis cum Pluviali Palmatoriam deferendo?

2. Utrum Canonici Mitrae, et Crucis pectoralis privilegium habentes, uti possint etiam Faldistorio, Chirothecis, Dalmaticis, Sandaliis, Palmatoria, Gremiali, Baculo sine velo pendente dum solemniter celebrant?

Et Eminentissimi, ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die coadunati, referente me Secretario respondendum censuerunt.

Ad 1. *Negative in casu.*

Ad 2. *Strictim standum privilegio.*

Die 3. Augusti 1839.

4718. BURGI SANCTI DOMNINI.

Quum Reverendissimus Episcopus Burgi Sancti Domnini Sacrorum Rituum Congregationem humillime Indultum rogarit cujus vigore a suo Clero Saeculari, et Regulari Dioecesano Kalendario utente Officium Translationis Sancti Nicomedis Martyris Kalendis Iulii recitari queat; Eminentissimi, et Revendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi ad Quirinale subsignata die coadunati in Ordinariis Comitiis rescribendum censuerunt: *Officium Translationis conceditur in Loco, ubi facta fuit Translatio, cujus memoria per illud Officium recolitur: ac proinde in casu negative.*

Die 3. Augusti 1839.

4719. SENEN.

In Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Quirinale subsignata die habitis, quum a R. P. D. Secretario, inter caetera propositae etiam fuerint sequentes preces Reverendissimi Archiepiscopi Senen. nimirum

Eminentissimi, e Reverendissimi Signori.

L'odierno Arcivescovo di Siena Giuseppe Mancini rappresenta con tutto l'ossequio che i Canonici di quella sua Metropolitana con Apostolico Breve dei 5. Luglio ora decorso ottennero la facoltà di far uso della Bugia anche nelle Messe cantate, e Sagre Funzioni, giacchè per le Messe lette l'avevano di già; Ora insorge il dubbio se a chi spetti l'uffizio di tener loro la Bugia in tale occasione, e se possa esser tenuta indifferentemente da un Sacerdote, o da un Chierico, e se debbano questi, tenendo la Bugia, aver indosso il Pluviale, o la semplice Cotta, e non avendo potuto riscontrare cosa alcuna in proposito, ricorre all'oracolo dell'Eminenze Vostre Reverendissime per l'opportuna decisione. Che della grazia ec.

Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum, ac declarandum censuerunt: *Palmatoria in casu juxta generalem consuetudinem sustinenda est vel a Ministris, vel a Magistro Caeremoniarum Missae Solemni inservientibus.*

Die 3. Augusti 1839.

4720. MELITEN.

Etsi praecedentibus in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis habitis die 23. Mense Februario vertente Anno 1839. ad humillimas preces R. D. Carmeli Xicluna Caeremoniis Praepositi Cathedrali in Ecclesia Melitensi per opportunas resolutiones nonnulla fuerint ad debitum ordinem revocata, quae ibi ex dubia Decretorum interpretratione procedebant, nec satis accurate servabantur in Ecclesiasticis obeundis Functionibus, aliqua tamen supererant examinanda, quae tunc ob temporis angustias disposita non fuerunt sunt sequentia nimirum

1. Quum ex privilegio Apostolico Ecclesia Cathedralis Melitensis recitat Officium hebdomadale Sancti Pauli Apostoli Patroni Principalis totius Dioecesis qualibet Feria quarta non impedita Officio novem Lectionum: quaeritur prop-

terea an respectu talis Officii sit, et dicatur dies impedita dies in qua reponi debet Officium translatum sive duplex, sive semiduplex, vel potius debeat ulterius protrahi praedictum Officium?

2. An Sacerdos paratus Feria Sexta in Parasceve, ante quam Crux detegatur, debeat in accessu ad Altare genuflectere, vel potius facere profundam reverentiam?

Et Sacra Congregatio, ad Quirinalis Aedes subscripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, omnibus mature perpensis, riteque libratis, auditaque relatione ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinale Iacobo Aloysio Brignole facta seu Ponente, rescribendum censuit: *In omnibus juxta Votum Magistri Caeremoniarum,* nimirum

Ad 1. *Affirmative ad primam partem: negative ad secundam.*

Ad 2. *Negative ad primam partem: affirmative ad secundam.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 31. Augusti 1839.

4721. ROMANA.

Precibus Sacerdotis Emmanuelis de Sylva Sarzedo Romae degentis, ac requirentis utrum Sacerdos, qui ex Indulto Apostolico Missam Votivam Beatae Mariae Virginis celebrat, teneatur Paramenta Alba semper adhibere? Sacra Rituum Congregatio in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die coadunata, referente R. P. D. Secretario, rescripsit: *Detur Decretum in Oriolen. diei* 16. *Martii* 1805. *ad Dubium primum.*

Die 31. Augusti 1839.

4722. MONTIS PESSULAN.

Etsi Rubricae Missalis, ac plerumque Sacrorum Rituum Congregationis Decreta, et praesertim duo Generalia data diebus 20. Decembris 1783. et 28. Februarii 1818. certas, indubiasque leges proponant, quae strictim servandae sunt in celebrandis Missis pro Sponso, et Sponsa, adhuc autem ulterius in re declarationes ab hac Sancta Apostolica Sede desiderare videtur Sacerdos Ludovicus Valade Vicarius Generalis in Dioecesi Montispessulan. cujus nomine proposita sunt insequentia Dubia, nimirum

1. Quando Nuptiae celebrantur tempore Adventus, vel Quadragesimae debet ne fieri commemoratio Missae pro Sponso, et Sponsa per Collectam, Secretam, et Postcommunionem?

2. Licet ne recitare supra Sponsos preces seu Orationes in Missali positas post Orationem Dominicam, et *Ite Missa est?*

3. Quando praedictae Orationes non sunt recitatae in Missa Nuptiarum, debent ne recitari extra Missam elapso tempore prohibito?

Quae singula Dubia sedulo de more perpendentes Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die coadunati, auditaque fideli relatione ab infrascripto Secretario facta respondendum censuerunt: *Serventur Rubricae Missalis ac Generalia memorata Decreta, quibus edicitur ut quoniam temporibus ab Ecclesia vetitis, locum habere nequit solemnis benedictio Nuptiarum, ita pariter inhibetur commemoratio pro Sponso et Sponsa in Missa occurrente, neque Orationes resumendae extra Missam tempore prohibitio jam elapso.*

Atque ita rescripserunt, declararunt, ac servandum omnino mandarunt.

Die 31. Augusti 1839.

4723. EYSTETEN.

Dum in suo Generali Decreto pridie Kalendas Martii anno 1818. Sacrorum Rituum Congregatio edixit, ut Missae votivae privatae pro Sponso, et Sponsa legantur sine Gloria et Credo, cum tribus Orationibus, Benedicamus Domino, et Evangelio Sancti Ioannis in fine: Reverendissimus Eysteten. Episcopus Sacrae eidem Congregationi exposuit in Bavaria, et praesertim in Paroeciis Pagorum hujusmodi Missas plerumque celebrari cum cantu, quamvis unicus sit Sacerdos, quas quidem Missas cum cantu in praesentiarum prohibere difficile admodum arbitratur. Quibus positis sequens exhibuit Dubium, nimirum An Missae pro Sponso, et Sponsa quando celebratur cum cantu addi queat Hymnus Angelicus cum Symbolo Nicaena? Et Sacra ipsa Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunata, re mature perpensa, ad relationem infrascripti Secretarii respondendum censuit: *Negative ad Dubium; in Paroeciis vero, ubi unus tantum est Sacerdos, Dominicis, Festisque diebus Missae occurrenti addatur commemoratio pro Sponso, et Sponsa in casu.*

Atque ita servari mandavit. Die 31. Augusti 1839.

4724. TERTII ORDINIS SANCTI FRANCISCI.

Quum R. P. Fr. Aloisius Galandrini Prior Tertii Ordinis Sancti Francisci in Oppido vulgo di Monteloreto Dioecesis Maceraten. Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna declaratione insequentia Dubia proposuerit, nimirum

1. An in Ecclesiis, ubi Functiones Majoris Hebdomadae fieri nequeunt, Feria quinta in Coena Domini celebrari possit Missa lecta?

2. An si hujusmodi Ecclesiae sint Regularium, id liceat ut Superior communicare valeat suos Alumnos pro adimplemento Paschalis praecepti?

3. An Sabbato Sancto Religiosi existentes in Coenobiis ultra Milliare ab Oppidis distantibus in sonitu Nolarum conformare se debeant Ecclesiae Matrici?

4. An Religiosi ultra Milliare ab Oppidis commorantes teneantur accedere ad Supplicationes, quae in Ecclesia Matrici instituuntur?

Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die habito coadunati, ad relationem R. P. D. Secretarii rescribendum censuerunt

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Superior celebret in privato Oratorio ad ministrandam Religiosis Communionem: et si desit Oratorium fiat in Ecclesiâ januis clausis.*

Ad 3. *Affirmative juxta alias decreta.*

Ad 4. *Non teneri juxta Decretum in Sulmonen. die* 20. *Decembris* 1659. *si distent a Civitate ultra medium Milliare.*

Die 31. Augusti 1839.

4725. CATTAREN.

Quum modernus Episcopus Cattaren. in Dalmatia Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicarit, ut declarare dignaretur: Utrum Praepositus, et Canonici illius Capituli dum Episcopo Missam Pontificalem, aliasque Sacras Functiones exercenti, assistunt, vel ipsimet Missas, et Sacras Functiones ad Altare, praesente, vel absente Episcopo celebrant, caput tectum cum Pileolo tenere possint? — Eadem Sacra Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente me Secretario, rescribendum censuit — *Juxta alias decreta, negative.*

Die 31. Augusti 1839.

4726. CATTAREN.

In Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Quirinale subsignata die habitis, quum inter coetera negocia actum etiam fuerit de supplici Libello a Reverendissimo Episcopo Cattaren. proposito, quo expetebat immutationes faciendas in Orationibus pro Imperatore Romano Feria sexta in Parasceve; nam Franciscus Primus Austriae Imperator defunctus die 6. Augusti 1806. dignitati Imperatoris Romani renunciavit, et ejus Successor Imperator Austriae vocatur; Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, referente me Secretario, rescribendum censuerunt — *Negative* —

Die 31. Augusti 1839.

4727. ANICIEN.

Quum Reverendissimus Anicien. Episcopus in relatione status suae Ecclesiae ad Sacram Congregationem Concilii transmissa, inter coetera Postulata, et sequens exposuerit, nimirum. « Ex antiquissimo Ecclesiae Aniciensis ritu si » Festum Annunciationis Incarnationis Domini occurrat in tertia vel quarta Do» minica Quadragesimae, ac etiam in Dominica Passionis, fiebat de eo cum » commemoratione Dominicae in utrisque Vesperis, Officio nocturno, et Lau» dibus. Si inciderit in Dominicam Palmarum, anticipabatur Officium cum Fe» stivitate Sabbato praecedenti. Si evenerit Feria quinta in Coena Domini, Feria » sexta in Parasceve, Sabbato Sancto, Dominica Paschae, aut Feriis secunda et » tertia sequentibus, transferebatur Officium cum Festivitate in Feriam sextam » post Pascha, et Festum Annunciationis claudebat Jubilaeum talis concursus » occasione a Romanis Pontificibus concessum. Quocumque alio die intra majo» rem hebdomadam, vel intra hebdomadam Paschae si occurrat praedictum » Festum, fiebat de eo cum commemoratione Feriae in Officio nocturno, Lau» dibus, et vesperis. Ille ritus sicut antea servetur postulamus. »

Super quo Postulatu Sacrorum Rituum Congregatio de sententia requisita, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die habitis rescribendum censuit: *Si festum Annunciationis inciderit in Dominicas Tertiam vel Quartam Quadragesimae de speciali gratia servari poterit consuetudo: si vero occurrat in Majori Hebdomada, vel intra Paschatis Octavam servetur omnino dispositio Generalium Decretorum diei* 11. *Martii* 1614, *ac* 14. *Junii* 1692.

Die 31. Augusti 1839.

4728. ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI CAPUCCINORUM.

Saepissime quum contingat ut Alumni Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum ab uno ad aliud Coenobium transmigrare debeant, praesertim dum se conferunt ad Verbum Dei disseminandum, vel dum iter instituunt, vel per aliquot dies, et ad Mensem etiam extra Coenobium, cujus Familiae ex obedientia sunt addicti, commorantur, diversam unusquisque teneat praxim quoad pensum Divini Officii. Nonnulli siquidem in persolvendis Horis Canonicis Ordinem proprii Coenobii sequuntur, a quo discedunt, nonnulli alterum tequuntur Coenobii ad quod perveniunt, praesertim quoad translationes varias, quae necessario fieri debent diversae juxta Coenobii diversitatem, ut detur locus Officiis Patroni Loci, et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis. Quum autem isthaec dissonantia aliqua sit a Rubricis, et Decretis ut certa norma in posterum uniformiter sequenda tradatur. Extensor Kalendarii recensiti Ordinis in magno Ducatu Hetruriae, de consensu R. P. Ministri Provincialis Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum

1. Utrum Alumnus Familiae Capuccinorum iter faciens teneatur extra Chorum, ad Officium quod recitatur in Choro Coenobii a quo discessit, vel alterius, ad quod pervenit?

2. Tempore Quadragesimae Divini Verbi Praecones commorantes extra Coenobium tenentur se conformari Ordini Divini Officii Coenobii vicinioris, vel ejus ex quo discesserunt, et ad quod redire post Pascha debent?

3. Eodem Quadragesimae tempore, quando fit Officium feriale, cui adnexum est Officium parvum Beatae Mariae Virginis, vel Psalmi Graduales, aut Poenitentiales: haec additionalia anticipari ne possunt die praecedenti post Completorium, si anticipetur Divini Officii Matutinum?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinales Aedes subscripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem mei infrascripti Secretarii, omnibus mature consideratis rescribendum censuit juxta alias decreta.

Ad 1. *In itinere sequendum Divini Officii Ordinem Coenobii ex quo discessit: dum pervenit, et manet in altero Coenobio, et si ad tempus, hujus Ordinem Officii sequatur.*

Ad 2. *Ad neutrum tenentur, sed se conformare debent ad Provinciae Kalendarium sine ulla diversitate pro omnibus quolibet Anno extensum.*

Ad 3. *Seclusa peculiari consuetudine servanda, recensita additionalia obligant in Choro tantum, quae non sunt anticipanda, quia sunt onus diei.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 31. Augusti 1839.

4729. URBIS, ET ORBIS.

Postquam in vulgus editum fuit Decretum, quod tuto procedi valeret ad Canonizationem Beati Alphonsi Mariae de Ligorio olim Episcopi Sanctae Agathae Gothorum, et Institutoris Congregationis Sanctissimi Redemptoris, de speciali gratia Sanctissimus Dominus Noster Gregorius Papa XVI. ad enixas preces Eminentissimorum Cardinalium Caroli Mariae Pedicini Episcopi Praenestini, et Sacrorum Rituum Congregationi Praefecti, et Caroli Odescalchi Caussae Canonizationis ejusdem Relatoris annuit, ut Officium cum Missa in ejusdem Beati honorem quibuslibet petentibus Episcopis concederetur. Animo propterea reputans R. P. Ioseph Maria Mautone recensitae Congregationis Sanctissimi Redemptoris Procurator Generalis, Caussaeque praedictae Postulator, et non paucos Episcopos, et pene omnes Regularium Ordines hujusmodi obtinuisse Indultum, multosque alios Episcopos in praesentiarum expetere, et nomine proprio, et R. P. Rectoris Majoris, coeterorumque Consultorum sua Congregationis, humillimis datis precibus enixe rogavit Eminentissimos, et Reverendissimos Patres Sacris Ritibus tuendis praepositos, ut Officium Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio de Communi Confessoris Pontificis cum Lectionibus secundi, et tertii Nocturni, et Oratione ac Missa propriis ad universam Ecclesiam extenderetur. Sacra Congregatio Ordinariis in Comitiis ad Quirinales Aedes infrascripta die coadunata, audita relatione per me subscriptum Secretarium facta, attentaque potissimum pari methodo extensum fuisse Officium tum Sancti Hieronymi Aemiliani Institutoris Congregationis Somaschae die 2. Septembris 1769. tum novissime Sancti Francisci Caracciolo Fundatoris Clericorum Regularium Minorum die 5. Augusti 1807. omnibus mature perpensis rescribendum censuit — *Ad me Secretarium cum Sanctissimo* — Die 31. Augusti 1839.

Super quibus omnibus facta postmodum Eidem Sanctissimo Domino No-

stro Gregorio Papae XVI. fideli relatione, Sanctitas Sua Precibus benigne annuens ex speciali gratia supradictum Officium cum Missa denuo ab Reverendissimo Domino Cardinali Carolo Maria Pedicini Episcopo Praenestino, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice Cancellario, et Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto una cum R. P. D. Virgilio Pescetelli Sanctae Fidei Promotore revisum a Clero Saeculari, et Regulari utriusque sexus universalis militantis Ecclesiae, qui ad horas Canonicas tenentur, quotannis die secunda Augusti sub ritu duplicis minoris recitari praecepit. Die 10. Mense Septembri eodem anno 1839.

4730. BALNEOREGIEN.

Sacerdos Hieronymus Belli Coeremoniarius Cathedralis Ecclesiae Balneoregien. pro sui muneris parte incumbens observantiae Rituum, ac Coeremoniarum ad Legum tramites Sacrorum Rituum Congregationi sequentia enodanda Dubia proposuit, nimirum

1. Cui debeatur praecedentia in incessu per vias occasione associandi funus, an Capitulo Collegiatae capitulariter intervenienti, vel Parocho ipsius defuncti?

2. Cui debeatur elatio Crucis in casu?

3. An invitato Capitulo Collegiatae omnes tam Saeculares, quum Regulares, nec non Parochus ipsius defuncti intervenire debeant in Ecclesiam Collegiatam, ut omnes sub unica Cruce Capituli incedant?

Sacra autem Congregatio ad Vaticanas Aedes subsignata die in Ordinariis Comitiis coadunata, ad relationem mei infrascripti Secretarii, omnibus mature consideratis, rescribendum censuit juxta alias decreta.

Ad 1. *Debetur Capitulo, uti in una Januen. diei* 13. *Martii* 1688.

Ad 2. *Ecclesiae ad quam defunctus defertur, uti pluries decretum fuit, ac praesertim in una Nullius diei* 26. *Septembris* 1682. *Si vero intersit Collegiatae Capitulum, huic debetur praelatio Crucis juxta Generale Decretum diei* 2. *Julii* 1661.

Ad 3. *Affirmative juxta alias decreta.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 11. Aprilis 1840.

4731. BARCHINONEN.

Reverendissimus Barchinonen. Episcopus totis viribus optans ut Dei cultus in externis coeremoniis tum in Sacrosancto Missae Sacrificio tum in Officio Divino ab omnibus sub eadem norma juxta Rubricas recte peragatur, sui muneris esse duxit sequentia Dubia Sacrorum Rituum Congregationi proponere pro opportuna dilucidatione, nimirum

1. In Choro Cathedralis Ecclesiae Barchinonen. Officium Translationis Sanctae Eulaliae sub ritu duplicis cantatur cum magno apparatu, et solemnitate: in concurrentia cum aliis duplicibus majoribus Vesperae dicti Officii ratione magnae solemnitatis possunt ne celebrari integrae?

2. Usque nunc in Missa ejusdem Translationis dicitur Credo ab omnibus Sacrum facientibus etiam extra Cathedralem Ecclesiam, ubi tantum Reliquiae asservantur: retinenda ne est haec immemorabilis consuetudo?

3. Missae in Oratorio privato non possunt celebrari in Festo Titulari Parochiae, ubi Oratorium constructum est: in Oratoriis privatis intra Civitatem constructis, debetur ne censeri prohibitum Sacrum facere etiam in die Titularis, nempe die tertia Maji, aut tantum in Titulari propriae Parochiae?

4. Coecutientes privilegium habentes Missam Votivam dicendi Beatae Mariae Virginis, possunt ne in die Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi tres Missas votivas Beatae Mariae Virginis celebrare?

5. Iuxta Pontificale Romanum Episcopus post Ordinationem Presbyterorum injungit eis obligationem celebrandi post primam eorum Missam unam de Spiritu Sancto, alteram de Beata Maria Virgine, et tertiam pro Defunctis: ad hoc ut obligatio isthaec facilius adimpleatur, possunt ne dictae Missae in diebus duplicibus minoribus celebrari?

6. Sacra Rituum Congregatio decrevit die 12 Novembris anni 1831, celebrante Sacerdote in aliena Ecclesia, Missam concordare debere cum Officio, quod quisque recitavit, dummodo cum colore Ecclesiae, in qua celebrat, aptetur, quaeritur nunc utrum debeat etiam conformari in recitatione Symboli Nicaeni sui Officii, vel Officii Ecclesiae?

7. Dum duo Officia Passionis concurrunt, quaeritur utrum Vesperae debeant fieri de primo, vel de secundo?

Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes infrascripta die in Ordinariis Comitiis coadunata, ad relationem R. P. D. Secretarii, omnibus rite perpensis, et examinatis, rescribendum censuit:

Ad 1. *Posse si Officium sequens non fuerit majoris dignitatis juxta Numerum Sextum Tabellae Concurrentiae.*

Ad 2. *Negative etiam in Cathedrali, dummodo Reliquia non fuerit insignis, quo in casu in Cathedrali tantum.*

Ad 3. *Prohibitum est tantum in Festo Patroni Civitatis vel Dioecesis, non in Festo Titularis, quod non inducit praeceptum audiendi Sacrum et abstinendi a servilibus.*

Ad 4. *Negative.*

Ad 5. *Negative sed in diebus a Rubrica permissis.*

Ad 6. *Poterit in Officio proprio; dummodo non sit addendum ratione Corporis, vel Reliquiae: debet si celebret de Officio Ecclesiae.*

Ad 7. *Nihil de sequenti; dummodo non fuerit potioris ritus: tunc enim nihil de primo.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 11. Aprilis 1840.

4732. CAMERACEN.

Parrochus Decanus Sancti Petri de Davai, quod est Oppidum Cameracensis Dioecesis sequens Dubium Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione proposuit, nimirum

An debeant semper tres ad minus Orationes cantari quando fit de Dominica, et celebratur Missa Solemniter cum Diacono, et Subdiacono: ratio dubitandi est quod quaedam Directoria dicunt Missam Solemnem commemorationem Simplici excludere: an sufficiat tunc unicam Orationem canere, si non intersit Octava?

Et Sacra eadem Congregatio Ordinariis in Comitiis ad Vaticanas Aedes infrascripta die coadunata, ad relationem mei subscripti Secretarii, omnibus matura consideratis rescribendum censuit: *In Missis Solemnibus duplicis primae, et secundae Classis tantum omittuntur aliae Orationes.*

Atque ita rescripsit, et declaravit.

Die 11. Aprilis 1840.

4733. FIRMANA.

Quum in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanum infrascripta die coadunatis a R. P. D. Secretario propositae fuerint etiam preces Capituli Collegiatae Ecclesiae Monsampietrangeli Archidioecesis Firmanae hisce conceptae terminis.

Beatissimo Padre.

Il Capitolo della Collegiata della Terra di Monsanpietrangeli Diocesi di Fermo composto di dieci Canonici, cinque de' quali hanno il peso della cura delle anime, e di due Probendati Chierici, umilmente espone, che dovendosi al presente dal predetto Capitolo, e Canonici nelle Vigilie, e nella Quaresima cantare due Messe Conventuali a forma della Rubrica, una cioè del Santo corrente, e l'altra della Feria, gli manca il tempo necessario per ascoltare le Confessioni, istruire la Gioventù nella Dottrina Cristiana, e compire gli altri officii Parrochiali, per cui supplicano la Santità Vostra, onde si degni concedergli la grazia di poter celebrare senza canto, e meramente letta in altro Altare la Messa della Feria, o Vigilia, nell'atto che si canta nel Coro collegialmente la Messa del Santo. Che ec.

Sacra eadem Congregatio, rescribendum censuit: *Missa de Feria seu Vigiliae Choro praesente celebrari permittitur sine cantu ad Decennium.*

Die 11. Aprilis 1840.

4734. FLORENTIN.

Plebana in Ecclesia Sancti Bartholomaei vulgo nuncupata a Gagliano Florentin. Archidioecesis erecta est Sodalitas titulo bonae Mortis. Ad utriusque sexus Sodalium saluti prospiciendum, praesertim dum in extremo mortis periculo sunt constituti, Sacrorum Rituum Congregationi supplicavit Sacerdos Stanislaus Pozzi recensitae Ecclesiae Plebanus, quatenus ad Sancti Apostoli praedicti Aram valeat celebrari Missa pro infirmo mortis in articulo constituto, uti prostat in calce Missalis Romani toties quoties quilibet Sodalium in hoc periculo versatur. Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes infrascripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem mei subscripti Secretarii, omnibus rite perpensis rescribendum censuit: *Pro Collecta tantum in Missa diei.* Atque ita servari posse permisit, attamen servatis Rubricis.

Die 11. Aprilis 1840.

4735. HYDRUNTIN.

Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuit Reverendissimus Hydruntin. Archiepiscopus illa in Provincia sensim Canonicos omnes sine speciali privilegio sibi vindicasse quaedam specialia honoris insignia quasi sibi debita, ex quo renunciantur Canonici, gestandi nimirum in galeris chordulas cum floccis, et caligas violacei coloris, quosdamque ex ipsis etiam Annulum; propterea pro sui muneris parte quaesivit: An usus a Canonicis tum Cathedralium tum omnium Collegiatarum pluribus ab hinc annis inductus deferendi sericos in galeris floccos, et caligas violaceas, quae jam in Hydruntina Provincia habentur ut propria honoris, aut personatus insignia, prohiberi debeat, vel tolerari, quum timeri possit, an idem censendum sit de usu Annuli, aut in quibus circumstantiis? Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitiis infrascripta die coadunata ad relationem R. P. D. Secretarii, omnibus rite consideratis, atque examinatis, rescribendum censuit: *Moderandam esse consuetudinem juxta Constitutionem* : Decet Romanos Pontifices — *sa: m: Pii*

*Papae VII. quarto Nonas Iulias* 1823. *editam: quoad vero Annuli usum serventur Decreta pluries edita, praesertim in Beneventana diei* 13. *Septembris* 1670. *ad Dubium* 2. *quo Annuli delatio in Missa est vetita omnibus Sacerdotibus, etiam si sint Protonotarii Titulares, Dignitates, et Canonici Cathedralis.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 11. Aprilis 1840.

4736. MEXICANA.

In Ecclesia Sanctimonialium Capuccinarum Civitatis Mexicanae Ordinario Dioecesano subditarum quadraginta et amplius ab hinc annis consuetudo invaluit contra id quod hac de re praescriptum a Rubricis invenitur, ut Sacerdotes Missam sic Officio suo conformem celebrent, ut nec de colore paramentorum, nec de ritu Capuccinarum curent: immo potius Moniales ipsae Sacristae quotidie ad ornamenta ministranda, non Ecclesiae suae propriae, sed Clericale Directorium consulant, et sequantur. Cappellanus ergo, qui earum nunc curam gerit Sacrorum Rituum Congregationem requisivit an standum sit in posterum praedictae consuetudini, an Rubricis? Sacra eadem Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunata, referente me subscripto Secretario, respondendum censuit: *Servandas esse Rubricas, et Decreta hujus Sacrae Congregationis.*

Die 11. Aprilis 1840.

4737. MUTINEN.

Quum in Ordinariis Comitiis Sacrorum Rituum Congregationis ad Vaticanum subsignata die habitis relatae fuerint preces Parochorum Mutinen. exquirentium confirmationem invectae apud ipsos consuetudinis gestandi in Supplicationibus Stolam super Cottam, atque Mozzettam; Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, auditis etiam Informatione, et Voto Reverendissimi Episcopi, rescribendum censuerunt — *Non expedire* —

Die 11. Aprilis 1840.

4738. NEOCASTREN.

Princeps Ecclesia Oppidi cui nomen vulgo Scigliano - Diano Marturanensis olim Dioecesis, nunc autem Neocastrensis, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis in Coelum assumptae dicata quum post Cathedralem caeteris emineret anno 1677. ab Reverendissimo Marturanensi Episcopo Palmerio in Collegiatam Ecclesiam fuit erecta, qui aere proprio undeviginti Portiones, seu Praebendas fundavit, et Dignitates quinque in eadem constituit, Decanum scilicet, Archipresbyterum, Abbatem, Cantorem, et Custodem, seu Thesaurarium, qui omnes Choro interesse alternis vicibus debebant, functionesque omnes Ecclesiasticas ad instar Cathedralium peragere. Hujusmodi institutio, ac fundatio Regium assensum obtinuit solummodo anno 1791. quo tempore ex Decreto tantum Reverendissimi Marturanensis Ordinarii recensitae Collegiatae Capitulum Statuta, seu peculiares sibi adscivit leges, Canonicalia Insignia vindicavit ceu propria, queis Choro inserviret, licet quoad colorem tantum haec ab Insigniis Canonicorum Marturani distinguerentur, peculiaremque Crucem in publicis Supplicationibus erexit. Modo vero quum incertum haereat an rite omnia enunciato modo fuerint gesta, ad cautelam penes Sacram Poenitentiariam recursum habuit, ut absolutionem consequeretur non modo quoad praeteritum, sed majorem etiam firmitatem quoad futurum, a qua pridie Idus Decembris superiore

anno 1839. sequens prodiit Rescriptum: *Sacra Poenitentiaria de speciali, et expressa Apostolica Auctoritate omnes, et singulos in praemissis culpabiles a Censuris si quas ob praemissa incurrerint ad cautelam absolvit cum Poenitentia recitandi Psalmum* Miserere, *et obligatione intra tres menses a die receptionis praesentium computandos recurrendi per medium Agentis ad Congregationem Sacrorum Rituum*: Ante praefinitum hoc tempus per suum Gestorem supradictum Capitulum Supplicem Libellum Sacrorum Rituum Congregationi exhibuit, ut sibi legittime concedatur in posterum gestandi supradicta Insignia facultas, et indultum omnia rite peragendi juxta exposita superius. Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes subscripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem mei infrascripti Secretarii omnibus mature consideratis, rescribendum censuit: *Pro gratia, et expediantur Litterae Apostolicae in forma Brevis, si Sanctissimo placuerit.* Die 11. Aprilis 1840.

Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo per me subscriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua benigne annuit, praedictasque Litteras Apostolicas in forma Brevis expediri jussit. Die 8. Maji eodem anno 1840.

4739. ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI CONVENTUALIUM.

Quum superiori Anno 1839. Alumni Ordinis Conventualium Sancti Francisci in Oppido vulgo Bettone Dioecesis Assisien. in Supplicatione fieri solita die ipso Paschae Resurrectionis, contra invectam consuetudinem usi fuerint Pluviali freti Decreto Sacrorum Rituum Congregationis dici 21. Martii 1699. ac proinde Capitulum Collegiatae illius Ecclesiae renuuerit accedere ad Supplicationem, si quidem per Pluvialis usum innovatio inducebatur in hac ipsa Supplicatione non minus, quam in altera fieri solita in die Solemnitatis Sancti Iosephi, apud Reverendissimum D. Episcopum Assisiensem controversia delata est, ac ejusdem sententia requisita tum super jure instituendi supradictas Supplicationes, an scilicet competant Parocho, an Ordini ipsi Conventualium; tum super usu Pluvialis in iisdem Supplicationibus nunc primum adhibiti. Reverendissimus ille Antistes edicens jus quoad ipsas Supplicationes competere Alumnis Ordinis Conventualium, decrevit ut super usu Pluvialis contra invectam consuetudinem sententia requireretur Sacrorum Rituum Congregationis. Facti specie, et circumstantiarum serie per R. P. D. Secretarium expositis in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunatis, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, rescribendum censuerunt: *Servato Episcopi Decreto, stetur consuetudini incedendi sine Pluviali, et Ministris.*

Die 11. Aprilis 1840.

4740. PISANA.

Quum in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis a R. P. D. Secretario inter coetera, relatae etiam fuerint sequentes preces, nimirum

Eminentissimi, et Reverendissimi Patres.

In Ecclesia Conventuali Pisarum incliti Ordinis Sancti Stephani Papae Martyris plura celebrantur Anniversaria Defunctorum, et illa magnorum Magistrorum, et Equitum Fratrum, quibus intersunt Magistratus Civitatis, aliae Dignitates, et Fratres ejusdem Ordinis: et semper ex antiqua consuetudine cantatum

est primum Nocturnum Defunctorum cum Invitatorio, et Psalmo *Venite exultemus Domino*, Quaeritur an servanda sit haec consuetudo? vel quid in posterum agendum? Et Sacra eadem Congregatio, rescribendum censuit: *Serventur Rubricae.*

Die 11. Aprilis 1840.

4741. SANCTI DEODATI.

Sacrorum Rituum Congregationi Reverendissimus Sancti Deodati Episcopus haec exposuit humillime. Per Indultum ab Eminentissimo Cardinale Sanctae Sedis Legato a Latere Parisiis datum die 9. Aprilis 1802. statutum fuit Festis quibusdam, aliis die sua servatis, aliis pro solemnitate ad diem Dominicam translatis: coetera vero, et quidem multa quoad obligationem Missam audiendi, et a servilibus abstinendi, abrogata esse. Quae numerantur e sublatis praecipua sunt Beatae Mariae Virginis immaculata Conceptio, et Nativitas, illius Annunciatio simul ac Incarnatio Verbi, nec non ejusdem Virginis Purificatio cum Praesentatione Domini Nostri Iesu Christi, ex quorum abrogatione Festorum plura, et gravia, saltem in Sancti Deodati Dioecesi nascuntur incommoda.

1. Pro varia Populorum indole, affectu, zeloque religionis mira existit in Parochiis discrepantia circa dies illas festivas, adeo ut hic quidem, populo quasi exigente, solemniter fiat Officium, et cessetur a laboribus, dum alibi ne de iis quidem cogitatur.

2. Caeterum plurimi aegre ferunt Magistratus Festa hujusmodi per Officia solemnia, immo per laborum cessationem celebrari: hinc eorumdem Magistratuum quaerelae, vel etiam animadversiones contra Parochos illis festis faventes.

3. In locis vero ubi eadem Festa a populo minime observantur gravissimum oritur incommodum quod nempe in oblivionem ponantur haec Festa, ac proinde veritates religionis, et mysteria in eis expressa evadunt, dum praeterea opportunitas eadem docendi vix Pastoribus supersit. Unde sublata tanti momenti mysteriorum notitia, et meditatione frigescat multorum pietas, ac veneratio, tandemque omnino evanescat necesse est.

4. Tum denique tollitur Fidelibus occasio suscipiendi Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramenta in honorem Beatae Virginis.

Ut gravibus hujusmodi occurratur incommodis, jam olim statuta fuit in Dioecesi Nunciensi (cujus pars erat hodierna Sancti Deodati Dioecesis) haec Solemnitatum translatio. Quam etiam observari per septem annos curavit D. Iacquemin primus Sancti Deodati Episcopus: etenim sublata fuit per annos quatuor a D. Du-Port Episcopi Oratoris immediato Praedecessore, sed eam undique, et indesinenter reclamant Rectores Parochiarum mox allatis ducti motivis. Quamquam optanda, salutarisque videatur Oratori haec Festorum, quoad solemnitatem dumtaxat, translatio in diem Dominicam, illam utpote Indulto Apostolico non satis conformem, non vult pro sua in Sanctam Sedem reverentia rursus in praxim ducere, quin suum ea de re judicium Sanctitati Vestrae subjecerit, ut Ipsa si judicet expedire, suppressa haec quatuor Festa superius recensita, deinceps in praefata Dioecesi conformiter ab omnibus, et perseverante juxta diem suam Officio privato, die Dominico proxime sequenti non impedita celebrari concedere dignetur.

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes infrascripta die coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem mei subscripti Secretarii, omnibus matu-

re, riteque libratis, respondendum censuit: *Pro gratia ad tramites Concordati*. Die 11. Aprilis 1840.

4742. TAURINEN.

In Regionibus Augustae Taurinorum illud in more positum est per Leges Civiles ut Fidelium Cadavera per integrum diem ab obitu domi retineantur, deferantur inde ad Ecclesiam, ac lustis persolutis, in cubiculo, quod propterea mortuarium audit serventur, et postera die Sepulturae tradantur. Hoc more posito, omnia bene eveniunt, ac servari valet dispositio Ritualis Romani si quis mane moritur; sed si Vespertinis horis diem clauserit supremum, supradicta omnia et vespere peraguntur, ac Missa pro defuncto ad alteram amandatur diem. Hinc varia exurgit praxis, si illa die non praesente Cadavere, occurrat Officium ritus duplicis: nonnulli siquidem ea sunt in opinione dici posse Missam de Requie, ac si Corpus praesens esset: nonnulli vero autumant a Rubricis vetari. Ea propter R. P. D. Archiepiscopus Thessalonicensis apud Serenissimum Regem ejusdem Ditionis Apostolicus Nuncius, exceptis super re Sacerdotum supplicationibus, Sacrorum Rituum Congregationem humillime rogavit, quatenus in casu certa praescribatur norma, quae ab omnibus uniformiter praedicto in casu servetur in posterum. Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes infrascripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem mei subscripti Secretarii, omnibus mature consideratis rescribendum censuit: *Dentur Decreta, nimirum in una Egitanien. diei 23. Maji 1603. ad Dubium quintum, quo cavetur posse in die Dominico, vel festivo celebrari Missam Defunctorum pro Defuncto, cujus Corpus adhuc insepultum super terram retinetur: secus si jam sepultum sit, quo casu in die sequenti etc. altera in una Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Provinciae Conceptionis Beatae Mariae Virginis in Regno Portugalliae diei 18. Decembris 1779. ad Dubium IX. sic conceptum. An quando Defunctus tumulatus fuit vespere ob aliquam causam possit sequenti mane Officium et Missa cantari de Requiem etiam si recitetur de Festo duplici? responsum fuit. Affirmative, exceptis tamen diebus in quibus Missa cantatae de Requiem prohibentur absente Cadavere.* Atque ita rescripsit, ac servari posse mandavit etiam in Regionibus Augustae Taurinorum subjectis, ubi praefata lex viget.

Die 11. Aprilis 1840.

4743. TRIVENTIN.

Quum hodiernus Prior Congregationis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo loci Capracotta Dioecesis Triventin. Sacrorum Rituum Congregationem instanter rogarit, ut, non obstante Generali Decreto prohibente deferri sub Baldachino Sanctorum Imagines, id permitteret de speciali gratia eidem Congregationi quoad Simulacrum Beatae Mariae eodem sub titulo; Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunata, rescribendum censuit: *Servetur Generale Decretum.*

Die 11. Aprilis 1840.

4744. VERCELLEN.

Quum Reverendissimus Vercellen. Episcopus optaret in honorem Beatae Ludovicae a Sabaudia Deo consecrare Succursalem Ecclesiam, quae modo construitur in Territorio Vercellensis Dioecesis; ac proinde Sacrorum Rituum Congregationem enixe efflagitarit opportunum ad id Indultum; Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi ac ad Vaticanas Aedes

subscripta die coadunati, probe noscentes a Decretis omnino prohiberi in Beatorum honorem Ecclesias, vel Altaria dicare; referente me infrascripto Secretario, respondendum censuerunt *Obstant Decreta.*

Die 11. Aprilis 1840.

4745. VITERBIEN.

Sacrorum Rituum Congregationi fuit expositum quod quidam Parochi Viterbienses retinent consuetudinem Missam unicam de Requie, ut vocant, majorem, celebrandi praesente Corpore pauperis defuncti sine cantu, quando cum distincto Campanarum sonitu, ac solemni quodam apparatu diebus etiam duplicibus, non vero solemnioribus, post quam juxta Rubricas Ritualis Romani titulo de Exequiis procedunt ad absolutionem Cadaveris assistentibus Sacristanis superpelliceo indutis: quaeritur idcirco an bene, et an reliqui Parochi, stante Ritualis Romani Rubricae praecepto de non omittenda Missae ritu pro defunctis, praesente Cadavere, nisi obstet magna diei celebritas, ac Synodali mandato de non sepeliendo Cadavere quantumvis paupere absque unius saltem Missae celebratione, se conformare teneantur et Missam de Requie celebrare, ut supra? Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitiis hodierna die coadunata ad relationem mei subscripti Secretarii, omnibus rite libratis, rescribendum censuit: *Serventur Rubricae, et Leges Synodales.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 11. Aprilis 1840.

4746. URBIS, ET STATUS ECCLESIASTICI.

Porrectis Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papae XVI. enixis precibus nonnullorum Eminentissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, praesertim Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Augustini De-Riparolia totius Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum Protectoris, nec non aliquorum ex Reverendissimis Archiepiscopis, et Episcopis Romae degentibus, una cum humillimis supplicationibus R. P. Fr. Eugenii e Rumilly recensiti Ordinis Ministri Generalis pro extensione Officii, et Missae in honorem Sanctae Veronicae Juliani, quae dum viveret inter Sanctimoniales Ordinis Capuccinorum accensita fuit cujusque cultus, peractis potissimum superiori Anno Solemniis Canonizationis, ubique in dies magis, magisque nova suscipit incrementa. Sanctitas Sua, attentis peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus, referente me subscripto Secretario pro petita extensione benigne annuit, concessitque ut a Clero Urbis et Status Ecclesiastici tum Saeculari, tum Regulari utriusque sexus, qui ad Horas Canonicas tenentur in posterum septimo Idus Julii, eaque die impedita, prima post eamdem non impedita juxta Rubricas sub ritu duplici minori recitetur Officium, et Missa respective celebretur cum Oratione, et Lectionibus secundi Nocturni jam per Sacrorum Rituum Congregationem adprobatis in honorem praedictae Sanctae Veronicae Juliani Virginis, et Sanctimonialis Ordinis Minorum Capuccinorum; servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 19. Junii 1840.

4747. CAPUANA.

In novissima rerum omnium perturbatione, a prisca, et recta Sacrorum Rituum observantia recesserunt Laicorum Sodalitates Civitatis Capuanae, dum in publicis Supplicationibus, funeribusque ducendis Sodalitii Vexillum nullo

obductum velo, vel etiam hastatam Crucem gestabant. Ne consuetudo istiusmodi invalesceret die 14. mense Majo anno 1831. Eminentissimus, et Reverendissimus Dominus Cardinalis Archiepiscopus Capuanus uniuscuiusque Sodalitii Moderatores Literis commonere fecit ut juxta sancitas Leges Vexillum velo obduceret, quod ultro factum est praeterquam a Sodalitate Charitatis, quae insuper autumans vel ex privilegio, vel ex consuetudine jus sibi quaesitum fuisse deferendi hastatam Crucem, neque definitum terminum die 16. mense Julio anno 1838. neque Decretum die 17. mense Novembri insequente ad praxim deduxit, immo appellationem intermittens ad hanc Sacrorum Rituum Congregationem recursum instituit. Quum vero statuta die coram R. P. D. Secretario subscripto Procuratores partium multum dissiderent super ipsa Dubiorum concordatione, eadem Sacra Congregatio die 3. mense Augusto superiori Anno sequens Dubium, super quo disputandum hinc inde foret propositum, nimirum: *An, et quomodo sit servandum, et exequendum Monitorium Eminentissimi Cardinalis Archiepiscopi in casu?* Per Defensores itaque tum Archiepiscopalis Curiae Capuanae ex una, tum Sodalitatis Charitatis partibus ex altera productis juribus, iisque rite, accurateque libratis, et examinatis, Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis ad Quirinales Aedes infrascripta die habitis, post omnimodam et absolutissimam relationem ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinale Joanne Francisco Falzacacappa Episcopo Portuensi Ponente factam, rescribendum censuerunt: *Affirmative in omnibus, seu Monitorium esse servandum, et exequendum.* Aque ita rescripserunt, ac omnino servandum mandarunt. Die 12. Septembris 1840.

4748. APUAN.

Quum Reverendissimus Apuan. Episcopus non minus, quam Duces Militiae in Civitate Apuana Indultum efflagitarint, ut in Sacello Militaris Domus Sacrosanctum Missae Sacrificium ut antea celebrari valeat quamvis super ipsum lectuli militum ex necessitate reperiantur; constructa super ipso Sacello duplici concameratione, Sacra Rituum Congregatio ad Quirinale subscripta die coadunata, attentis expositis, ac audita a me infrascripto Secretario fideli relatione, respondendum censuit: *Committatur Episcopo ut veris existentibus narratis, adhibitisque praescriptis cautelis pro suo arbitrio, et prudentia indulgeat juxta preces.*

Die 12. Septembris 1840.

4749. ARETIN.

Preces Josephi Cardinali Aretini expetentis Indultum ut ex interiori domo sua campestri aperire valeat ostium in Ecclesiam sui juris affabre constructam in Territorio Aretino, Sacrorum Rituum Congregatio, referente me subscripto Secretario, benigne commisit Reverendissimo Aretin. Ordinario, *ut veris existentibus narratis pro suo arbitrio, et prudentia indulgere valeat juxta Oratoris preces, adhibitis tamen cautelis et conditionibus omnibus de. jure, et stylo servandis.* Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12. Septembris 1840.

4750. BRUGEN.

Nonnullas sua in Dioecesi animadvertens consuetudines Reverendissimus Brugensis Episcopus, quae certe a recta regula deflectere suspicari potest ad omnem dubitationem avertendam, firmandamque uniformitatem Sacrorum Ri-

tuum Congregationi sequentia proposuit Dubia pro opportuna solutione, nimirum

1. In multis locis Dioecesis suae viget consuetudo ut in exequiis pauperum, qui solvere non valent expensas Missae cantatae, Missa privata de Requie legatur praesente Corpore in Festis etiam duplicibus majoribus, non tamen primae, vel secundae Classis, neque infra Octavas privilegiatas, neque in Dominica, neque in iis diebus, quae excludunt Festa duplicia. Haec consuetudo ex opinione Cavalieri, qui ita explicat Decretum Sacrorum Rituum Congregationis de die 19. Junii 1700. Quaeritur an praedicta consuetuto servari possit?

2. Sacerdos celebrans in Oratorio publico, vel privato quod non babet Sanctum Patronum, vel Titularem, an debeat in Oratione *A cunctis* ad litteram N. nominare Sanctum Patronum, vel Titularem Ecclesiae Parochialis intra cujus limites sita sunt Oratoria, vel Sanctum Patronum Ecclesiae cui adscriptus est, vel potius omnem ulteriorem nominationem omittere?

3. Dubium movetur a nonnullis Sacerdotibus circa titulum Rubricarum generalium de Commemorationibus communibus, seu de Suffragiis Sanctorum: aliqui Sacerdotes nulli adscripti Ecclesiae pro commemoratione, quae praescribitur facienda de Patrono, vel Titulari Ecclesiae, commemorationem faciunt de Patrono vel Titulari Ecclesiae Cathedralis: alii vero commemorationem faciunt de Patrono, vel Titulari Ecclesiae Parochialis, sub qua degunt: quaenam praxis menti Rubricarum est conformior?

4. Decretum in Mechlinien. de die 1. Septembris 1838. praescribit ut Sacerdotes nulli, vel non consecratae Ecclesiae adscripti propter uuiformitatem Anniversarium dedicationis Ecclesiarum celebrent cum Octava ut in Cathedrali, et in Civitate Mechliniensi: Quum hoc Decretum videatur solummodo applicandum Archidioecesi Mechliniensi, petitur ut propter eamdem rationem etiam extendatur ad Dioecesim Brugensem?

5. Iuxta Decretum Eminentissimi Domini Cardinalis Caprara die 21. Junii 1804. praescribitur ut Anniversarium dedicationis omnium Ecclesiarum consecratarum celebretur Dominica, quae subsequitur diem octavam festi omnium Sanctorum: interdum ista die Dominica occurrit Festum Sancti Martini, vel Sancti Patroni, et Titularis Ecclesiae, aut Patroni loci. Decretum vero Sacrorum Rituum Congregationis editum die 21. Augusti 1688. statuit Festum Patroni, et Dedicationis esse ejusdem dignitatis: petitur ergo de quo in casu occurrentiae faciendum sit Officium, et si differendum sit Officium dedicationis utrum possit reponi in Dominicam sequentem?

6. In Dioecesi Brugensi existit Confraternitas adorationis perpetuae Sanctissimi Sacramenti, et dies anni ita distribuuntur ut singulae Parochiae, et publicum Oratorium suum sortiatur, in quo a summo mane ad Vesperam Venerabile Sacramentum patenter adorationi fidelium est expositum. Quaeritur an sufficiens hic habeatur ratio ad indicendam Missam Votivam de Sanctissimo Sacramento pro re gravi.

7. In variis Dioecesibus Belgii juxta doctrinam in Seminariis traditam usus invaluit, ut his diebus, quibus per Rubricas licet Missas de Requie, et votivas celebrare Sacerdotes Missas privatas oblato manuali stipendio pro uno, vel pluribus defunctis, vel votivam in honorem alicujus Mysterii, vel Sancti habentes, celebrent conformes Officio, quod illa die recitarunt ad satisfacien-

dum susceptae obbligationi; dommodo Fideles expresse non rogaverint dici Missas de Requie, vel votivas. Usus iste nititur in primis Rubricae Missalis art. IV. de Missis Votivis n. 3. quae praescribit, ut quoad fieri potest Missa cum Officio conveniat; deinde auctoritati Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio, qui in Theologia Morali *lib.* 6. *tract.* 3. *n.* 422. dicit communissimam, et probabilem esse hanc sententiam. Petitur ergo an praefati Sacerdotes satisfaciant suae obligationi? et quatenus negative, ut dignentur Eminentissimi Patres condonationem impertiri pro Missis tali modo exoneratis.

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinales Aedes subscripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem mei infrascripti Secretarii omnibus mature consideratis riteque libratis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Servari posse juxta Decretum in una Curien diei* 19. *Juni* 1700. *ad Dubium IX.*

Ad 2. *Patronum Civitatis, vel Loci nominandum esse.*

Ad 3. *Faciendam esse commemorationem Patroni Civitatis, vel Loci.*

Ad 4. *Pro gratia instar concessionis factae Clero Mechliniensi die* 1. *Septembris* 1838.

Ad 5. *Faciendum de Dedicatione in casu juxta Decretum Majoricen. diei* 8. *Augusti* 1643. *ad Dubium III. et Festum Patroni transferendum juxta Rubricas.*

Ad 6. *Negative nisi exponendum sit in forma Quadraginta Horarum.*

Ad 7. *Affirmative quoad Missas pro Defunctis juxta Generale Decretum diei* 5. *Augusti* 1662. *in reliquis negative, et quoad praeteritum unusquisque consulat conscientiae suae.*

Atque ita rescripsit, ac servari praecepit.

Die 12. Septembris 1840.

4751. CENOMANEN.

Reverendissimus Episcopus Cenomanen. in Gallia Sacrorum Rituum Congregationi quaedam humillime exposuit Dubia, eorum solutionem supplex efflagitans nimirum

1. An ipsius consecrationis Anniversarium regulariter celebrari possit eo die, quo evenit, nimirum Feria sexta post Dominicam Passionis, in qua Festum Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis recolitur, vel potius die mensis, qua consecratio peracta fuit?

2. An Missa Pontificalis, quae solemniter celebrari solet in Cathedrali, debeat esse votiva pro Anniversario consecrationis Episcopi, aut propria de Compassione Deiparae cum Anniversarii consecrationis memoria per Orationem?

3. Si hoc Anniversarium necessario celebrari debeat die XXI. Martii, qua die evenit, quid agendum quando haec dies incidit in unam ex Dominicis Quadragesimae, vel in Dominicam Passionis? Licet ne solemnem celebrare Missam Pontificalem de Anniversario consecrationis cum memoria Dominicae per Orationem et ultimum Evangelium?

Exponit insuper praefatus Episcopus quod in sua Dioecesi Festum Sacratissimi Cordis Iesu Dominica quarta post Pentecosten ritu solemni majori, id est primae Classis celebratur. Solemnitas autem Festi Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, quae ex Indulto Apostolico ad Dominicam proxime occurrentem transferenda est, saepe cum dicto Sacratissimi Cordis Iesu Christi Festo concurrit. Quid in casu praescribere potest Episcopus?

Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis ad Quirinale sub infrascripta die coadunati, referente me Secretario, respondendum censuerunt

Ad 1. *Negative ad primam partem: affirmative ad secundam.*

Ad 2. *Provisum in primo.*

Ad 3. *In casu addendam esse Orationem pro Episcopo. Quoad Festum Sacri Cardis Jesu servetur Decretum Urbis diei* 3. *Martii* 1821. *si habeatur Indultum elevationis ritus; secus transferatur.*

Atque ita servari mandarnnt.

Die 12. Septembris 1840.

4752. FLORENTIN.

Ad Sancti Frigdiani Asceterium olim pertinuisse dicunt Priorissa, et Oblatae Regii Conservatorii Sanctae Agathae Civitatis Florentin. Hujus Sancti Episcopi Festum agere bona fide prosequutae sunt duplicis primae Classis cum Octava. Verum quum nullum extaret hujus facultatis documentum, in Pastorali Visitatione a Reverendissimo Archiepiscopo instituta, praedictam solemnitatem continuare prohibitae sunt. Hinc praefatae Oratrices Sacrorum Rituum Congregationem supplices adivere potestatem efflagitantes peragendi ut antea Festum Sancti Frigdiani. Et Sacra eadem Congregatio in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Quirinales Aedes coadunata, referente me Secretario, rescribendum censuit: *De speciali gratia ritu duplicis secundae Classis cum Octava.*

Die 12. Septembris 1840.

4753. ORDINIS EXCALCEATORUM SANCTISSIMAE TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIVORUM.

Moderatorum suorum mandatis obsequens R. P. Fr. Michael de Sanctis Sacerdos Professus Ordinis Excalceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, sequentia Dubia enodanda proposuit ut omnia rite disponantur, dum iterum praelo traditur Proprium Sanctorum Ordinis. Dubia autem haec sunt, nimirum.

1. Num facienda sit commemoratio diei octavae alicujus Sancti, de quo ex privilegio intra Quadragesimam recitatur quando praedicta dies octava incidit in Feriam IV. Cinerum?

2. Num Dominica tertia, vel quarta Septembris in Ecclesiis Sanctissimi Nominis Beatae Mariae Virginis dicatis, recitandum sit de die octava ejusdem Festi Titularis, et transferendum Festum septem Dolorum ejusdem Deiparae, quod Festum in concursu die octavae transferendum declaravit Sacra Rituum Congregatio die 19. Augusti 1817.?

3. Num reponendum sit Officium semiduplex alicujus Sancti in diem immediate sequentem (quemadmodum Rubrica de translatione Festorum n. 5. innuere videtur), quamvis Officium aliquod duplex prius traslatum reponendum habetur?

4. Quando aliquod Festum Titulare Beatae Mariae Virginis occurrit in secundis Vesperis dedicationis propriae Ecclesiae, quae pariter ritu duplicis primae Classis celebratur, quomodo ordinandae, et recitandae sunt secundae Vesperae ejusdem Festi dedicationis?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinales Aedes subscripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem mei infrascripti Secretarii, omnibus mature consideratis, riteque libratis rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative juxta alias Decreta praesertim in Marsicen. diei* 2. *Januarii* 1682. *et in Einsilden. diei* 23. *Junii* 1736.

Ad 2. *Servandam esse regulam assignatam pro die octava Nativitatis Beatae Mariae Virginis incidente in Dominicam, et in una Urbis diei* 15. *Septembris* 1685.

Ad 3. *Affirmative sed solum quando semiduplex incidat in Dominicam, quae est intra Octavam non privilegiatam juxta Generale Decretum diei* 22. *Decembris* 1696.

Ad 4. *Juxta Decretum in una Bergomen. diei* 8. *Maji* 1700. *totum de praecedenti: commemoratio de sequenti.*

Atque ita rescripsit, servarique praecepit recensito in Ordine Discalceatorum. Die 12. Septembris 1840.

4754. ORDINIS CARMELITARUM CALCEATORUM.

Quum Reverendissimus P. Prior Generalis Ordinis Carmelitarum Calceatorum Sacrorum Rituum Congregationem humillime rogarit 1. Ut declarare dignaretur num scilicet post Generale Decretum sa: me: Innocenti Papae XI. super Officio Sanctissimi Nominis Beatae Mariae Virginis, praeter Dominicam infra Octavam Nativitatis ipsius Deiparae, Alumnis sui Ordinis liceat quater in Anno hoc ipsum Officium recitare, ut antiquitus fuerat indultum? 2. Ut adprobare pariter dignaretur Praefationem propriam in honorem Sancti Eliae Prophetae. Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die coadunata, referente me infrascripto Secretario, respondendum censuit.

Ad 1. *Negative, et servetur Generale Decretum diei* 18. *Junii* 1684.

Ad 2. *Negative.* Die 12. Septembris 1840.

4755. PISANA.

Metropolitanae Ecclesiae Pisarum Canonici, qui semper honestate vitae, zelo Domus Dei, Religionis honore, sana doctrina, ac nobilitate generis, ex Sanctae hujus Apostolicae Sedis indulto usque ab Anno 1572. raro utuntur privilegio in Ecclesiasticis Functionibus et Choro induendi Vestem, Mozzettam, et Cappam rubri coloris, quod Decreto lato pridie Idus Iulii Anno 1790. ab sa: m: Pio Papa VI. iterum instauratum fuit quoad Vestem ob desuetudinem jam ab illis dimissam. Verum quum peculiaris haec honorificentia suis coarctetur limitibus, intra nimirum propriam Ecclesiam, caeterasque quae utpote eidem unitae ab ea dependent, propterea Reverendissimus Pisanus Archiepiscopus ut aliquod suae benevolentiae, et existimationis testimonium erga Capitulum ostendat, Sacrorum Rituum Congregationem enixe rogavit, ut Canonicis Primatialis et Metropolitanae Pisarum liceat eodem uti privilegio quotiescumque aliqua in Ecclesia intra tamen eamdem Dioecesim solummodo Sacram peragunt Functionem. Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinales Aedes subscripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem mei infrascripti Secretarii, omnibus rite consideratis, de speciali gratia benigne annuit juxta Archiepiscopi Oratoris preces; dummodo tamen strictim servetur Clausula recensiti Decreti sa: me: Pii Papae VI. nimirum quod Vestis telaris sit ad formam in omnibus juxta reliquos de Clero, scilicet sine cauda.

Die 12. Septembris 1840.

4756. PISTORIEN.

Quum Sacerdos Antonius Raffanelli hodiernus Parochus Ecclesiae Sanctissimae Annunciationis Deiparae in Civitate Pistorien. Sacrorum Rituum Congre-

gationem enixe rogarit ut confirmare dignaretur ibi invectam consuetudinem, etiam in Quadragesima cum Octava instituendi Festum Titulare Annunciationis Beatae Mariae Virginis; Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi ad Quirinale subsignata die coadunati in Ordinariis Comitiis audita ab R. P. D. Secretario relatione, rescribendum censuerunt. *Negative et serventur omnino Rubricae.*

Die 12. Septembris 1840.

4757. QUEBECEN.

Reverendissimus Quebecen. Archiepiscopus pro sua, qua pollet, religione et obedientia erga hanc Sanctam Apostolicam Sedem, nonnulla Sacrorum Rituum Congregationi Dubia enodanda proposuit, ut in sua Archidioecesi omnia ordinate serventur. Dubia autem sunt sequentia, nimirum

1. Per Decretum die 9. Aprilis 1802. datum, et in quibusdam Breviariis insertum, in Festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli fit commemoratio omnium Apostolorum in primis, et secundis Vesperis ac in Laudibus per proprias Antiphonas, et fit etiam in Missa. Item in quibusdam Missalibus invenitur commemoratio omnium Sanctorum Martyrum in Festo Sancti Stephani Protomartyris, sed non reperitur haec commemoratio in Breviariis. In novis Missalibus Communio Missae in Festo Sancti Petri Chrysologi die quarta Decembris differt a Communione Missae de Communi Doctorum, cui substituitur alia, quae incipit: *Domine quinque talenta*. Convenit ne, ut hae novae Rubricae ad Dioecesim extendantur?

2. Festum Patrocinii Sancti Joseph primi regionis Canadae Patroni per Indultum die 16. Novembris 1834. datum, concessum fuit Archidioecesi sub ritu duplicis secundae Classis Dominica secunda post Pascha celebrandum, sed per tenorem provisionis Sacrae Congregationis die 20. Novembris ejusdem Anni datae, quando illud Festum venerit die XXV. Aprilis, vel prima, aut tertia Maji transfertur. Quaeritur an Credo recitandum sit in Missa Festi sic traslati ratione dignitatis Patroni Dioecesis, et Regionis?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinales Aedes subscripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, omnibus mature consideratis, riteque libratis rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative quoad primam partem, nisi constet de speciali concessione: affirmative ad secundam.*

Ad 2. *Quando legitime constet de Patronatu elevari permittitur Festum Patrocinii Sancti Joseph ad duplex primae Classis.*

Atque ita rescripsit, ac servari praecepit eadem in Archidioecesi.

Die 12. Septembris 1840.

4758. SANCTIMONIALIUM ADORATIONIS PERPETUAE SANCTISSIMI SACRAMENTI.

Praeses Asceterii Sanctimonialium adorationis perpetuae Sanctissimi Sacramenti cupiens, ut omnia recte ordinentur quoad Divini Officii pensum persolvendum apud ipsas juxta peculiaria Indulta ab hac Sancta Sede concessa, Extensoris Kalendarii morem gerens sequentia Dubia Sacrorum Rituum Congregationi enodanda proposuit, nimirum

1. Non potendosi nelle Domeniche *infra Octavam* far l'Officio della medesima Ottava, come è chiaro dalla Rubrica, non parlandosi già delle Dome-

niche *infra Octavam Nativitatis, Ascensionis Domini, et Corporis Christi*, ed essendo d'altronde per le Adoratrici perpetue un' Ottava chiusa, a riserba de' Santi di prima, e seconda Classe occorrenti, quella della Dedicazione di San Michele Arcangelo, si desidera sapere cosa mai debba farsi nella Domenica *infra hanc Octavam?*

2. Essendosi conceduto per privilegio alle perpetue Adoratrici sudette di poter fare in tutti i Giovedì, e Domeniche non impedite l'Officio del Santissimo Sagramento, e nei Venerdì quello di Maria Santissima Addolorata, a riserba delle Feste occorrenti di prima, e seconda Classe, e di alcuni altri Santi, e di tutte le Feste del Signore, e della Vergine, essendosi conceduto dico, di poter fare in detti giorni la sola commemorazione de' Santi occorrenti, anche che fossero di rito di doppio maggiore, e di rito semidoppio nelle Domeniche, si desidera sapere se questa commemorazione debba esser considerata come quella, che si fà delle Domeniche, cosichè abbia a portare, quando la Rubrica lo permette, la nona Lezione della vita del Santo, abbia anche i secondi Vesperi, ed abbia a farsi una tal commemorazione avanti a quella de' Santi semplici di precetto?

3. Di più avendo le medesime Religiose il privilegio di fare ogni giorno nell' Officio la Commemorazione del Santissimo Sacramento, si vorrebbe apprendere, se debba tralasciarsi la medesima commemorazione solo quando si fà l'Officio del Sagramento, oppure in tutte le altre Feste del Signore debba anche omettersi, come altresì si desidera sapere, se detta commemorazione debba farsi sempre in ultimo luogo, oppure in primo luogo come quelle di San Giuseppe nel giorno dello sposalizio di Maria Santissima, e di San Pietro quando si fà l'Officio di San Paolo, e viceversa.

4. Finalmente avendo le perpetue Adoratrici il privilegio di poter fare del Sagramento nelle Domeniche non privilegiate, e non impedite, desidererebbero di poter fare in qualche Domenica di queste gli Officj di Maria Santissima impediti ne' giorni occorrenti.

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinales Aedes subscripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, audita relatione ab me infrascripto Secretario facta attente ac mature consideratis Instituti Regulis praesertim, peculiaribusque Indultis jam datis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Ad tramites Indultorum recitandum esse de Sanctissimo Sacramento cum commemoratione Dominicae, Octavae, et Sancti occurrentis.*

Ad 2. *Negative juxta Rescriptum diei* 22. *Julii* 1829.

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Negative.*

Atque ita rescripsit, ac servari praecepit.

Die 12. Septembris 1840.

4759. URBANIEN.

Quum Cathedralis Urbanien. Canonici Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione sequens proposuerint Dubium nimirum

An Canonici Urbaniae gaudentes ab erectione Cathedralis jure duorum graduum in Choro possint habere in Presbyterio Scamnum cum duobus gradibus non secus ac in Choro quando Episcopus assistit in sua Sede collocata in Cornu Evangelii quatuor gradibus et terra erecta? Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Quirinales Aedes subscripta die coadunata, referente

me infrascripto Secretario, respondendum censuit: *Negative, et Episcopalis etiam Thronus quoad gradus uniformis sit institutis Caeremonialis Episcoporum. Lib. 1. cap. XIII. n. 3.*
Die 12. Septembris 1840.

4760. AVENIONEN.

Officiales Dioecesis Avenionen. simul et Canonicus Magister Caeremoniarum Metropolitanae Ecclesiae ad opinionum differentiam de medio tollendam et uniformitatem assequendam humillimis precibus a Sacrorum Rituum Congregatione sequentis Dubii solutionem postularunt, nimirum: In Responsorio *Libera me Domine*, quod cantatur in absolutione Defunctorum post dictum primum Versum: *Tremens factus sum*, quum resumitur pars Responsorii: *Quando Coeli movendi sunt*, sistendum ne est post haec verba *et terra*, ut in Responsorio primo Dominicae primae Adventus, ut juxta usum receptum in his regionibus, vel more omnium Responsoriorum prosequendum ne est usque ad finem Responsorium ad haec verba *per ignem*, antequam cantetur secundus versus *Dies illa*, Sacra eadem Congregatio subscripta die ad Quirinales Aedes in Ordinariis Comitiis coadunata, referente me infrascripto Secretario, respondendum censuit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*
Atque ita rescripsit, servarique mandavit.
Die 12. Septembris 1840.

4761. CAMBERIEN.

Quum in Dioecesi Camberien. diversae circumferantur opiniones circa personas adactas servare jejunium in pervigilio dedicationis Ecclesiae Reverendissimus Episcopus Camberien. Sacrorum Rituum Congregationem humillime rogavit ut declarare dignaretur a quibus sit idem jejunium servandum? Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres, Sacris tuendis Ritibus praepositi ad Quirinalem subsignata die coadunati in Ordinariis Comitiis, ad relationem R. P. D. Secretarii, respondendum censuerunt: *Missis opinionibus servetur Decretum in Mechlinien. diei 19. Julii 1780. in quo haec habentur: Jejunium a Pontificali Romano praescriptum esse strictae obligationis pro Episcopo consecrante, et pro iis tantum, qui petunt sibi Ecclesiam consecrari.*
Die 12. Septembris 1840.

4762. CONGREGATIONIS SACRORUM CORDIUM JESU, ET MARIAE.

Reverendissimus Episcopus Chalcedoniensis uti generalis Moderator Congregationis Sacrorum Cordium Iesu, et Mariae ad uniformitatem in Divinis persolvendis Laudibus assequendam penes ejusdem Congregationis Alumnos, qui ad Horas Canonicas tenentur, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum

1. Quum in Congregatione Sacrorum Cordium Iesu, et Mariae, nec non et adorationis perpetuae Sanctissimi Sacramenti Altaris transferantur plura Festa propter usum Kalendarii proprii a Sancta Sede concessi, aliquoties occurrit, ut Festum Virginis tantum ritus duplicis, vel semiduplicis incidat in Festum alterius Virginis tantum ritus simplicis, velut ex: gr: Festum Sanctae Mariae Magdalenae de Pazzis die XXVI. Maji, quod translatum manet aliquoties in diem XXI. Julii Sanctae Praxedi Virgini sacrum. In dicta occurrentia Secreta, et Postcommunio utriusque Missae precise similes sunt. Sed et insu-

per ambae Missae de Communi Virginum tuntum ad quod recurrendum est Missa *Dilexisti* et Missa *Vultum tuum* habent pariter eamdem Secretam, et eamdem Postcommunionem. Attamen juxta Rubricam non bis in idem, eademque Oratio non debet in una Missa bis inservire: quid igitur agendum in eo casu? 1. Licet ne Secretam, et Postcommunionem ex Missa *Loquebatur* de Communi Virginis et Martyris desumere omittendo verba *Martyris*, vel *et Martyre?* 2. Item ne licebit quando occurret Festum nec Virginis, nec Martyris cum Festo Virginis tantum eo quod in tali occurrentia oriatur difficultas supradicta?

2. Ex variis Decretis Sacrorum Rituum Congregationis Regulares tenentur ad Festum Patroni principalis loci, et Titularis Ecclesiae Cathedralis atque Protectoris Civitatis sine Octava; sed in praedicta Congregatione movetur Dubium circa sensum hujus vocis *loci*. Iuxta quosdam idem sonat ac Dioecesis, juxta alios vero idem ac Civitatis, et Oppidi; denique juxta nonnullos etiam pagi. 1. Quaenam ex illis sententiis amplectenda? 2. Quid intelligendum per Protectorem Civitatis? 3. Patronus pagi idem ne est ac Patronus Parochiae, quum in Gallia Pagus, et Parochia indiscriminatim sumantur ad designandam aliquot domorum vicinitatem, intra quas reperitur Ecclesia cui Parochus deservit: ita ut Regulares in Pago degentes non teneantur ad Festum Patroni Pagi, sicut non tenentur ad Festum Patroni Parochiae.

3. In Commemorationibus communibus, seu Suffragiis Sanctorum in Breviario Romano legitur sequens Rubrica post Commemorationem Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli: *De Patrono, vel Titulari Ecclesiae fiat Commemorationes praedictas pro dignitate illius.* Sed quum Fratres dictae Congregationis Sacris Ordinibus initiati addunt in Suffragiis Commemorationem de Sacro Corde Iesu, et de Sancto Josepho Patrono peculiari ejusdem Instituti 1. Tenentur ne ex Rubrica citata ad aliam commemorationum alicujus Patroni, sive Patroni principalis loci, sive Titularis Ecclesiae Cathedralis, sive Protectoris Civitatis? 2. Similiter in Oratione *A cunctis* quum subjungi debeat nomen Patroni vel Titularis Ecclesiae nominibus Sanctorum Apostolorum in his vocibus *atque Beato N.* tenentur ne ad addendum nomen vel Patroni Principalis loci, vel Titularis Ecclesiae Cathedralis, vel Protectoris Civitatis quum jam in praedicta Oratione praemittant Apostolis nomen Sancti Joseph Patroni totius Congregationis? 3. Possunt ne praeterea in Oratione *A cunctis* subjungere nomen Patroni Cappellae propriae, si habeat?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinales Aaedes subscripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem mei infrascripti Secretarii, omnibus mature consideratis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Quoad primam, et secundam quaestionem affirmative cum debita exceptione, videlicet exprimendo Virginem, vel Martyrem tantum, vel utrumque juxta Officii qualitatem.*

Ad 2. *Quoad primam quaestionem intelligendus est Praecipuus Patronus tantum vel Dioecesis, si habeatur vel Oppidi similiter. Quoad secundam quaestionem ut ad proximam. Quoad tertiam Negative ex decisis.*

Ad 3. *Quoad primam quaestionem tenentur ad commemorationem Patroni, vel Titularis ut supra. Quoad secundam quaestionem ut ad proximam. Quoad tertiam Negative.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 12. Septembris 1840.

4763. MECHLINIEN.

Quum ab hac Sancta Apostolica Sede tertio decimo Kalendas Augusti Anno 1838, specialiter fuerit Clero Civitatis, et Dioecesis Mechlinien. indultum, ut in Festis nonnullorum Sanctorum, qui iis in Regionibus summa religione coluntur, peculiaria Officia primitus de more revisa et adprobata recitare valeret; hinc quaedam orta sunt dubia circa Festorum translationem particularibus in Ecclesiis, et quoniam hac de re varia reperiuntur Sacrorum Rituum Congregationis Decreta, et responsa authentica in Collectione Decretorum ejusdem, attamen ad difficultates omnes et haesitationes penitus tollendas, Eminentissimus, et Reverendissimus Dominus Cardinalis Engelbertus Sterchx eidem Sacrae Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum

Dubium I. An Festa, quae propter occurrentiam Festivitatis, vel Octavae Patroni alicujus Ecclesiae vel loci perpetuo sunt transferenda, poni debent post illa Festa quae ab Anno 1839. obtinuerunt diem, seu sedem fixam in Dioecesi Mechliniensi (ut in recitatione Officii, et celebratione Missae major sit uniformitas inter Ecclesias particulares, ac totam Dioecesim); an e contra illa Festa in Ecclesiis particularibus pro sua dignitate, ritu, et prioritate temporis transferri debent juxta Rubricas generales Breviarii? Occurrit casus in quibusdam Parochiis sub Dioecesi Mechliniensi, ubi Sancta Margarita Virgo, et Martyr die XX. Julii colitur tamquam Patrona principalis ritu duplicis primae Classis cum Octava. Ante novam constitutionem seu reductionem Directorii, seu Kalendarii Dioecesani factam circa finem Anni 1838. ob nova Officia a Sancta Sede benigne concessa, haec Octava habebat tres dies non impeditas, scilicet XXI. Julii, quae assignata erat Festo Sancti Hieronymi Aemiliani, XXIV. Julii quando fiebat de Octava Sanctae Margaritae, dum aliunde nihil obstabat, et XXVII. Julii, quae est dies octava Sanctae Margaritae ritu duplici celebranda juxta Rubricas. Porro illae dies nunc sunt perpetuo impeditae in Dioecesi Mechliniensi; nam die XXI. Julii celebratur Festum Sanctae Rainaldis Virginis, et Martyris ritu duplici, dies XXIV. est assignata tamquam fixa Festo semiduplici Sanctae Elisabeth Reginae Portugalliae, et dies XXVII. Festo semiduplici Sancti Henrici Imperatoris. Quaeritur ergo

1. An in illis Ecclesiis et locis, quae Patronam habent Sanctam Margaritam, faciendum sit Officium die XXI. Julii de Sancta Rainalde ut per totam Dioecesim, an vero de Sancto Hieronymo Aemiliani?

2. An dies XXIV. Mensis Julii habenda sit tamquam dies fixa pro Festo semiduplici Sanctae Elisabeth, ut fit in Dioecesi, an tunc reponendum sit alterutrum Festum duplex Sanctae Rainaldis scilicet, aut Sancti Hieronymi Aemiliani, assignando Festo semiduplici Sanctae Elisabeth primam diem in Dioecesi non impeditam?

3. Quae dies sit assignanda Festo Sancti Henrici, quum dies XXVII. Julii sit perpetuo impedita per occurrentiam diei octavae Sanctae Margaritae?

Dubium II. In aliquibus Ecclesiis Dioecesis Mechlinien., ubi Sancta Maria Magdalena colitur ritu duplicis primae Classis cum Octava tamquam dies XXX. Mensis Julii erat antehac assignata Festo Sanctae Marthae, quum dies XXIX. esset perpetuo impedita ratione octavae Sanctae Mariae Magdalenae. Verum ab Anno 1839. Festum Sancti Alexii translatum fuit pro tota Dioecesi a die XVII. Juliii ad diem XXX. ejusdem Mensis, tamquam in diem fixam; ideoque in particularibus illis Ecclesiis, de quibus supra, die 11. Mensis Augusti, utpote

prima dies non impedita erat assignata Festo Sanctae Marthae. Quum autem ex Decreto Urbis, et Orbis Festum Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio in posterum sit celebrandum praedicta die, quaeritur

1. An huic novo Festo alia dies sit assignanda in particularibus illis Ecclesiis, ubi die 11. Augusti celebratur Festum Sanctae Marthae, an vero Festum Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio sit praeferendum, et Festum Sanctae Marthae ulterius transferendum ad primam diem non impeditam?

2. Quid, si alicubi die secunda Augusti hactenus celebrari consueverit Festum aequalis, aut altioris ritus ex: gr: Sancti Petri ad Vincula in Ecclesiis, ubi prima Augusti celebrari debet dies octava Sancti Jacobi Apostoli tamquam Patroni?

Dubium III. Juxta responsum Sacrae Rituum Congregationis de die 12. Novembris 1831. ad N. 39. Officia concessa alicui Regno, Nationi, Dioecesi, Civitati, aut Oppido si ob occursum aliorum Festorum celebrari nequant diebus assignatis, juxta Decreta alias edita, vel omittenda vel imploranda facultas transferendi; quaeritur

1. An hoc sit intelligendum de solis Officiis, aut Festis ad libitum.

2. Si debeat intelligi de omnibus Officiis, petitur facultas pro facienda translatione Officiorum, quae Dioecesi Mechliniensi sunt propria, quum illa translatio hactenus facta fuerit in praefata Dioecesi immo ab immemorabili tempore in toto Belgio translata fuerint Festa ibidem celebrari solita, v: gr: Sancti Gabrielis Archangeli, Sancti Aloysii Gonzaga etc., quando in diebus propriis occurrebat impedimentum?

Dubium IV. Quum juxta Indultum pro reductione Festorum de die 9. Aprilis 1802. Solemnitas Patroni cujuslibet Paroeciae transferenda sit in Dominicam proxime occurrentem, quaeritur

1. An possit in Missa solemni Oratio Patroni addi sub unica conclusione Orationi diei, quando solemnitas ejusdem Patroni incidit in Dominicam proximam Adventus, aut Quadragesimae, vel an transferri tunc debeat solemnitas in Dominicam subsequentem, quandoquidem prohibitum est cantare Missam de Patrono Dominica prima Adventus, vel Quadragesimae juxta Rubricas Generales Missalis titulo VI.

2. Quid faciendum sit, quando Solemnitas Patroni incidit in Dominicam Palmarum, vel Paschatis Resurrectionis, vel Pentecosten?

Dubium V. Quando Festum Sancti Rumoldi, quod celebratur die 1. Mensis Julii coincidit cum solemnitate Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, tunc Missa Solemnis tam in Ecclesia Metropolitana, quam in aliis Ecclesiis Civitatis Mechliniensis cantatur de Festo Sancti Rumoldi addita commemoratione Sanctorum Apostolorum sub unica conclusione, et sub distincta conclusione fit commemoratio Octavae Sancti Joannis Baptistae, ac Dominicae occurrentis, de qua in fine Missae dicitur Evangelium. Quum autem Sacrorum Rituum Congregatio responderit die 1. Septembris 1838. hanc praxim servari posse, quaeritur

1. An liceat ad uniformitatem obtinendam hoc extendere ad totum Archidioecesim Mechliniensem, in qua Sanctus Rumoldus nunc colitur ut Patronus ritu duplicis primae Classis cum Octava, sic tamen, ut occurrente Festo ejus infra hebdomadam, non habeat solemnitatem Dominica subsequente, quia numquam fuit obligatio per totam Dioecesim audiendi Sacrum, et abstinendi ab operibus servilibus in praedicto Festo Sancti Rumoldi?

2. Si Missa solemnis sit cantanda de Solemnitate Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, quaeritur an in ea sit facienda commemoratio Sancti Rumoldi Dioecesis Patroni, de quo tunc recitatur Officium ritu duplicis primae Classis.

Sacra Rituum Congregatio ad Quirinalis Aedes Ordinariis in Comitiis infrascripta die coadunata, audita relatione per me subscriptum Secretarium facta omnibus mature consideratis, rescribendum censuit.

Ad I. *Quoad primam quaestionem. De Sancta Rainalde ut in Dioecesi juxta novissimam concessionem. Quoad secundum. De Festo duplici assignando primam diem non impeditam Festo semiduplici jam translato. Quoad tertium similiter primam diem non impeditam.*

Ad II. *Quoad primam quaestionem: Negative ad primam partem: affirmative ad secundam. Quoad secundam. Quum sint translata ulterius progrediantur juxta Rubricas: dies enim secunda Augusti est propria Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio.*

Ad III. *Specialiter intelligitur de Officiis affixis certis diebus nimirum vel in Feriis, vel in Dominicis.*

Ad IV. *Quoad primam quaestionem: Fieri posse sub unica conclusione, vel ad libitum transferri. Quoad secundam: Solemnitatem esse transferendam.*

Ad V. *Quoad primam quaestionem: Affirmative in omnibus. Quoad secundam jam provisum in praecedenti.*

Atque ita rescripsit, servarique mandavit. Die 12. Septembris 1840.

4764. MECHLINIEN.

Eminentissimus, et Reverendissimus Dominus Cardinalis Engelbertus Sterck Archiepiscopus Mechlinien. animo reputans generalium Missalis Romani Rubricarum dispositionem quoad Missam dicendam in Anniversario Electionis Episcopi, in quibus Titulo XI. praescribitur illa in Missa addendum esse Symbolum Nicaenum, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit nimirum.

1. An haec Rubrica sit intelligenda dumtaxat de Missa Solemni, quae ex praescripto Caeremonialis Episcoporum illa die celebratur in Ecclesiis Cathedralibus, an vero in omnibus etiam Missis privatis, in quibus tunc additur commemoratio praedicti Anniversarii juxta morem tam in Archidioecesi Mechliniensi, quam in aliis Belgii Dioecesibus receptum?

2. An Sacerdos, qui vellet Missam pro Anniversario Electionis, et Consecrationis Episcopi legere ex devotione illa die, dum Rubricae non obstant, debeat in ea dicere Gloria, et Credo; an vero utrumque, vel alterutrum omittere; item an dicendae sint tres saltem Orationes ut in Missis votivis?

3. Quid sit agendum in Missa Solemni tam in Ecclesia Metropolitana, seu Cathedrali, quam in aliis Ecclesiis Dioecesis quando dies anniversaria Consecrationis Episcopi incidit in Feriam quintam in Coena Domini, ut fiet in Dioecesi Mechliniensi Anno 1841., vel in Sabbatum Sanctum? Item an liceat in omnibus Missis tam cantatis, quam lectis privatis addere commemorationem pro Episcopo si dies anniversaria ejus consecrationis incidat in Dominicam aliquam ex privilegiatis primae Classis, quae unicam tantum admittunt Orationem, vel Festum primae, aut secundae Classis, et quatenus affirmative, an debeat illa commemoratio uniri Orationi diei sub unica conclusione, vel dici sub distincta conclusione?

Sacrorum Rituum Congregatio ad Quirinales Aedes Ordinariis in Comitiis coadunata infrascripta die, audita relatione a me subsignato Secretario facta, omnibus mature perpensis, rescribendum censuit

Ad I. *De Missa Solemni tantum intelligenda est.*

Ad II. *Quum haec Missa votivis non sit accensenda, nequit ad libitum celebrari.*

Ad III. *Commemoratio Anniversarii locum habet tantum in Dominicis, et duplicibus secundae Classis sub unica conclusione, in reliquis omittenda.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 12. Septembris 1840.

4765. MUTINEN.

Quamvis ab immemorabili Parochi omnes Civitatis Mutinen. publicis in supplicationibus gestarent Mozzettam, et super eam Stolam assumerent, adeo ut propter veterem consuetudinem jus quaesitum haberent, novissime autem Caeremoniarius ultimi Episcopi defuncti a Sacrorum Rituum Congregatione generatim exquisivit num Parochis liceret tali modo ea in occasione incedere, et Magister Caeremoniarum, qui suam de mandato ipsius Sacrae Congregationis in scriptis sententiam dedit, non abs re negativum dedit responsum dum in facti specie neque indultum, neque privilegium adducebatur, nec de consuetudine quis mentionem fecerat. Quae res dum jus de medio tolleret omnino, non sine omnium admiratione ludibrio Parochis ipsis cedebat; eapropter Sacram adivere Congregationem, ac preces praesidio consuetudinis, quae jus attribuit, fulciebant. Attamen Eminentissimi Patres Sacris Ritibus praepositi assertam solummodo consuetudinem ratam habere non dubitarunt tertio Idus Aprilis Anno vertente. Subscripta die de novo enixe institerunt, ut stante Informatione, et Voto Reverendissimi Mutinensis Episcopi, qui indubiam fidem facit in omnium esse opinione pene ab immemorabili positum eosdem Parochos verum efformare Collegium, ab iisdem Congregationes status coadunari, earumdem acta in regestis iuseri, sigillo communi uti in rebus Collegium spectantibus, ac semper simili modo indutos publicis in supplicationibus incessisse, quae omnia enunciati Collegii institutionem satis ostendunt; saltem Sacra Congregatio annuere dignaretur, et idem Indultum Oratoribus concedere, sicuti iisdem rationum momentis ductus sa: me: Pius Papa VII. quintodecimo Kalen. Octobris Anno 1822. Paroco horum Collegio Ravennaten. concessit. Eminentissimi, et Reverendissimi Patres in Ordinariis Comitiis ad Quirinales Aedes coadunati, ad relationem mei infrascripti Secretarii, expositis omnibus rite libratis, matureque consideratis, attentisque potissimum Reverendissimi Mutinensis Episcopi Informatione, et Voto de speciali gratia rescripserunt: *Juxta preces, et ad instar concessionis factae Parochis Ravennatibus, sed solum dum collegialiter incedunt.* Die 12. Septembris 1846.

4766. CAJETANA.

In Oppido Valliscursae Reverendissimi Cajetani Episcopi jurisdictioni subjecto tres institutae sunt Paroeciae, una sub invocatione Sanctae Mariae in Coelum Assumptae, altera sub invocatione Sancti Michaelis Arcangeli, tertia Sancti Martini Episcopi, et unaquaeque suos habet Canonicos, qui una simul Oppidi ejusdem Collegiatam constituunt. In sacris vero Functionibus peragendis cum Conventu omnium Canonicorum quaedam servatur methodus, vi cujus functiones ipsae, quae toto Anni decursu fieri solent, ita sunt unicuique praedictarum Ecclesiarum attributae, ut liberum non sit unicuique Ecclesiae, quas velit, sed

quae ex praescripto debentur peragere. Haec omnia ex Capitularibus Legibus, seu Constitutionibus profluunt: harum porro inobservantia, multaque alia jura, et praerogativae, quae sibi invicem vindicant Parochi multis controversiis locum fuit, quae quum in conciliationis viam componi nequirent, iterato auditis Informatione et Voto Reverendissimi Episcopi per Rescriptum diei 31. Mense Martio Anno 1837. a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI. deputata fuit Congregatio Sacrorum Rituum particularis, ut omnibus rationum momentis, quae scripto sunt exhibita, praeloque cusa consideratis, libratisque, sua sententia dissidia de medio tolleret omnino juridice. Hujusmodi Congregatio particularis, servatis omnibus de jure, stylo, et consuetudine servandis, concordatisque praesentibus Procuratoribus legitimis coram subscripto Secretario septem Dubiis, coadunata fuit infrascripta die penes Eminentissimum, et Reverendissimum Dominum Cardinalem Carolum Mariam Pedicini Episcopum Portuensem, Sanctae Rufinae, et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarium, eidemque Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, qui uti Relator sequentia concordata Dubia proposuit, nimirum

1. An Constitutiones Ecclesiarum Oppidi Valliscursae communi Cleri consensu confirmatae die 5. Januarii 1679. sint adamussim servandae?

2. An sit danda manutentio Ecclesiis Sancti Michaelis, et Sanctae Mariae erigendi Cereum Paschalem cujus solemnis benedictio, et erectio competit Ecclesiae Sancti Martini?

3. An, et quomodo Festa Translationis Sancti Martini Dominica quarta Julii, et Dolorum Beatissimae Mariae Virginis Dominica tertia Septembris debeant celebrari?

4. An deficientibus Archipresbytero Sancti Martini, et Abbatibus Sancti Michaelis, et Sanctae Mariae in Functionibus unicuique Ecclesiae competentibus, succedant eorum Canonici, seu potius Rectores aliarum Ecclesiarum?

5. An in Processionibus infra Octavam Corporis Christi, et in aliis Apparitionis Sancti Michaelis Archangeli et Beatae Mariae Virginis in Coelum Assumptae sit erigenda unica Crux Sancti Martini, quamvis integrum interveniat Capitulum, et in coeteris Processionibus, quae Crux sit erigenda?

6. An, et cui competat jus ferendi stolam in Processionibus generalibns?

7. An Archipresbytero Sancti Martini competat jus exercendi jura Parochialia super militibus, Doanae ministris, et in carceres inclusis; ac infra sex menses a die eorum adventus super domo Gubernatoris, et super advenis licet inhabitent intra limites aliarum Parochiarum?

Propositis Dubiis auditis, omnibusque rite, matureque consideratis Congregatio particularis deputata sic rescribendum censuit, nimirum

Ad I. *Affirmative juxta modum: scilicet eo modo, quo Constitutiones exhibitae sunt Anno 1725. et in iis, quibus in posterum legitime derogatum non sit.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative, et ad Mentem: Mens est ut Officium et Missa Translationis Sancti Martini, quae contigit die 4. Julii transferatur ad quartam Dominicam ejusdem Mensis sub ritu duplicis majoris. Si vero occurrat Festum altioris ritus; tunc idem Officium et Missa transferantur juxta Rubricas, et ipsa quarta Dominica cantetur unica Missa Solemnis ejusdem Translationis, et non omittatur Missa cum cantu, quae eodem die contigerit. Officium vero*

*et Missa Beatissimae Mariae Virginis doloribus transfixae loco Dominicae tertiae Septembris fiant Dominica quarta ipsius mensis sub ritu duplicis majoris cum conditionibus ut supra.*

Ad IV. *Affirmative ad formam Constitutionum Anni* 1725.

Ad V. *Affirmative ut supra ad formam Constitutionum.*

Ad VI. *Jus ferendi stolam in Processionibus Generalibus ex gratia speciali tribus Parochis conceditur.*

Ad VII. *Affirmative quoad Domum Gubernatoris, Advenas, Vectigalium Ministros, et Milites extra stationem degentes ad formam Constitutionum Anni 1725. Quoad Milites vero in statione commorantes, et carceribus detentos jus exercendi jura Parochialia competere Parochis, in quorum Paroeciis sint statio Militum, et Carceres.*

Atque ita rescripsit, et ab Ecclesiis et Canonicis Collegiatae Valliscursae servari in omnibus mandavit.

Die 22. Januarii 1841.

4767. AMBIANEN.

Quum Reverendissimus Ambianen. Episcopus in Galliis animadvertat Rubricas Pontificalis Romani in consecratione Altarium Portatilium loqui tantum de consecratione unius Altaris, Sacrorum Rituum Congregationem humillime rogavit, ut quando plura consecranda veniunt Altaria hujus generis praefatae Rubricae ad praxim sequenti modo reduci valeant, nimirum quaerit

1. In Rubrica de Altaris portatilis consecratione legitur quod consecratio fieri debeat jejuno stomacho, quaeritur utrum ratione habita plurium Altarium liceat Pontifici ea consecrare non jejuno?

2. Ex iisdem Rubricis haec verba: *Sanctificetur, et consecretur haec tabula in nomine etc.*, quinquies proferri debet super singulam Tabulam: quaeritur an liceat Pontifici, ne nimium protrahatur consecratio, ea verba semel tantum proferre pro unaquaque Tabula, dum supra eam format quinque Cruces cum aqua benedicta?

3. Utrum idem liceat quando Altaria inunguntur cum Sacro Chrismate, et Oleo Cathecumenorum?

4. Utrum praedictae Unctiones fieri possint cum stylo ligneo spongia quadam munito, ut mos est in Unctionibus Baptismi, et Extremae Unctionis, non autem cum pollice nudo, ne licet unctionibus multiplici vice supra petram repetitis, laceratur?

5. Ex Rubricis Episcopus Sepulchrum propriis manibus claudit: licet ne postquam Reliquias in Sepulchro propria manu collocaverit Pontifex, alicui Sacerdoti assistenti committere curam Sepulchrum signandi cum cera, Episcopo praesente, et jubente?

6. Item circa ea, quae immediate, sequuntur: *manu dextera confricans, liniens, et perungens:* quaeritur utrum cura liniendi, et confricandi Sacerdoti assistenti demandari possit, postquam Episcopus propria manu consperserit Oleo Sancto totam Altarium superficiem?

7. In Rubricis legitur quod Pontifex: *propria manu ex ipso incenso quinque Cruces format:* quaeritur an possit postquam aliquot grana incensi super quinque Cruces propria manu sparserit, alicui assistenti commendare curam ea in modum crucis disponendi?

8. Addunt Rubricae quod Episcopus: *ponit unam Crucem de subtili can-*

*dela factam super quamlibet Crucem thuris* : quaeritur utrum possit unam tantum Crucem ponere, reliquendo aliis ministris curam ceteras disponendi ?

9. Quid de casu, in quo Sepulchrum, ubi Reliquiae conduntur confractum sit? Amittit ne Altare portatile suam consecrationem?

Et Eminentissimus, ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen. Sanctae Rufinae, et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius, et Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI. tributarum, omnibus mature perpensis, rescribi mandavit. *Servandam omnino esse in omnibus formam a Romano Pontificali praescriptam.*

Die 22. Maji 1841.

4768. AMBIENEN.

Quum Reverendissimus Ambianen. Episcopus compererit, quod in sua Dioecesi ex usu fere generali Sacerdotes bis celebrent Missam diebus Dominicis ac Festis, qui quidem usus ex eo praesertim invaluit quod ordinaria per agros Ecclesia aliqua sit adnexa Ecclesiae Parochiali, in qua residet Parochus, ac proinde in ea iterum celebrat ut Fideles ibi domicilium habentes, faciliorem habeant aditum ad sacra mysteria, et inde latius extenditur usus praefatus, ut nonnullis in locis bis celebretur etiam super idem Altare, aut super Altaria diversa, sed sine gravi necessitate. Ut ambiguitas omnis a medio tollatur Sacrorum Rituum Congregationem exquirit super sequentibus Dubiis.

1. Utrum liceat Parocho in agris constituto iterare Missam diebus Dominicis, et Festis conservatis etiam super idem Altare?

2. An liceat Parocho in urbe constituto iterare Missam iisdem diebus super diversa quidem Altaria sed tantummodo ad consulendum Parochianorum commoditati v. gr. ut celebretur Missa hora octava, quando jam celebratur variis horis, videlicet hora sexta, septima, nona, et decima?

3. Utrum posito quod sint illicitae duae praefatae consuetudines teneatur iis obsistere Episcopus, an vero eas tolerare possit ut vitentur murmurationes tum Populi, tum Cleri?

Et Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen. Sanctae Rufinae, et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius, ac Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI. tributarum rescribi mandavit. *Sine speciali Apostolico Indulto non licere et teneri Episcopum consuetudinem seu abusum omnino eliminare.*

Die 22. Maji 1841.

4769. CAMERACEN.

Quum Reverendissimus Cameracen. Episcopus Sacrorum Rituum Congregationem enixe rogavit, ut declarare dignaretur : Utrum Canonicis prout a tempore Concordatus 1801. in Galliis instituti sunt, incumbit obligatio non tantum assistendi in Choro celebrationi Divinarum Laudum, prout in respectivis Capitulis est instituta, sed etiam cantandi Horas Canonicas in Choro, ita ut Canonicus in Galliis assistens quidem in Choro, sed non decantans publicas preces canonicas peccet mortaliter, et teneatur ad restitutionem partis fructuum omissioni correspondentis? Eminentissimus, et Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen. Sanctae Rufinae, et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius, et Sacrorum eidem Rituum Con-

gregationi Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI. tributarum rescribi mandavit: *Canonicum in casu juxta alias decreta obligationi non satisfacere.*

Die 22. Maji 1841.

4770. CIVITATIS PLEBIS.

Quum Regulares integrae Dioecesis Civitatis Plebis dubitent num in vim Decreti Sacrorum Rituum Congregationis die 11. Augusti 1691., quo indicitur Officium cum Lectionibus propriis Sanctorum Gervasii et Protasii Martyrum Titularium Cathedralis Civitatis Plebis fieri debere de praecepto in Civitate, et Dioecesi ab utroque Clero adigantur etiam ad instituendam Octavam eorumdem Sanctorum, ac proinde Sacram ipsam Rituum Congregationem humillime rogarint opportunam dubii declarationem; Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen., Sanctae Rufinae, et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius, et Sacrae eidem Congregationis Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifice Maximo tributarum, rescribi mandavit: *Juxta alia Decreta Regulares in casu non teneri ad Octavam.*

Die 22. Maji 1841.

4771. CORCYREN.

Duplicem consuetudinem invectam fuisse in Cathedrali Ecclesia Corcyren. Sacrorum Rituum Congregationi exponunt nonnulli ipsius Ecclesiae Canonici opportunam declarationem efflagitantes.

1. Num Feria quinta in Coena Domini postquam Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum reconditum est in Sepulchro, Clavis Tabernaculi hujus Sepulchri tradenda sit a Canonico Assistente Priori Sodalitatis Sanctissimi Sacramenti inibi erectae, qui eam deferat ad collum appensam usque ad Sacras Functiones insequentis Feriae sextae in Parasceve, uti in praesentiarum fieri assolet?

2. Num servari itidem possit alia consuetudo, nimirum ut idem Prior deferat Umbellam associando Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum tum in eadem Feria quinta in Coena Domini usque ad absconditam custodiam ubi Pixis cum Particulis praeconsecratis adducitur, tum etiam quando Eucharistiae Sacramentum in Ostensorio adducitur pro solemni supplicatione Sanctissimi Corporis Christi?

Super quibus omnibus exquisito prius pro Informatione, et Voto Reverendissimo Corcyren. Archiepiscopo, etsi ipse efflagitet ut utraque immemorabilis consuetudo servetur, Eminentissimus tamen, et Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen., Sanctae Rufinae, et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius, et Sacrorum eidem Congregationi Praefectus vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI. tributarum rescribi mandavit: *Juxta alias decreta Clavem in casu nulli esse omnino tradendam: quoad Umbellam vero servari posse consuetudinem extra presbyterium, et solum arbitrio Reverendissimi Archiepiscopi.* Die 22. Maii 1841.

4772. LEOBIEN.

Dum superiori Anno 1840. tertio Idus Aprilis in Sacrorum Rituum Ordinariis Comitiis adprobatum fuit Kalendarium perpetuum Ecclesiae Secoviensis, indultum fuit ut idem Kalendarium adhiberet Ecclesia Leobiensis durante praesenti administratione, exceptis tamen Officiis Titularis et Patroni, ac Dedica-

tionis Ecclesiae Cathedralis, quae recitanda sint de propria Ecclesia. Hujusmodi sanctionem grato, reverentique animo excipiens Reverendissimus Secovien. Episcopus Administrator Ecclesiae Leobiensis, anceps adhuc permanet quoad Officium Sancti Andreae Apostoli Titularis et Patroni Cathedralis Leobiensis, quod quidem Officium quum pro populo institui nequeat, nisi insequenti Dominica, quae semper est vel prima, vel secunda Sacri Adventus usque ad Annum 1808. Clerus Leobien. in morem habuit die XXX. Novembris commemorationem instituere Sancti Andreae cum Officio de Communi Apostolorum praeter Orationem, et Missam propriam ritu duplicis secundae Classis, atque Dominica post Octavam omnium Sanctorum solemnitatem ipsius Sancti Andreae Titularis celebrare ritu duplicis primae Classis cum Octava. Quum vero ab Anno 1809. Ecclesia Leobiensis sine ulla mutatione adoptaverit Ordinem Divini Officii Ecclesiae Secoviensis Episcopus Orator iteratis precibus Sacrorum Rituum Congregationem rogavit ut decernere dignaretur.

1. Num Officium Sancti Andreae in Ecclesia Leobiensi modo supradicto, vel quo alio debeat celebrari?

2. Num Officium Sancti Aegydii Titularis, et Patroni Ecclesiae Secoviensis pro Dioecesi Leobiensi, durante Administratione retineri debeat, vel possit, et quo ritu?

Et Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen., Sanctae Rufinae, et Centumcellarum Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius, et Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI. tributarum omnibus mature perpensis, diligentique examine libratis, rescribi mandavit.

Ad I. *Firmo remanente Officio cum Missa Sancti Andreae in die propria, sicuti actum est ab Anno* 1809. *pro gratia unius Missae Solemnis ad Populum ut in Festo ejusdem Sancti Andreae Dominica Secunda Sacri Adventus.*

Ad II. *De speciali gratia ritu duplicis minoris ad uniformitatem assequendam, quae jam servatur in Festo Dedicationis Ecclesiarum.*

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 22. Maji 1841.

4773. MECHLINIEN.

Parochialis Ecclesia Antuerpien. intra fines Archidioecesis Mechlinien. Deo in honorem Sancti Pauli Apostoli dicata quum sit, hodiernus Parochus ut in Solemnis Doctoris Gentium per Annum omnia rite instituantur Sacrorum Rituum Congregationem rogavit enixe quatenus declarare dignaretur.

1. Quo ritu celebrari debeat in praedicta Ecclesia Commemoratio Sancti Pauli pridie Kalendas Julii, et an quoad primas Vesperas servanda sit Rubrica Breviarii, quandoquidem Festum Conversionis Sancti Pauli octavo Kalendas Februarii ibidem colitur ritu duplicis primae Classis cum Octava tamquam titulus Ecclesiae?

2. Utrum Missa Solemnis principalis esse debeat de Commemoratione Sancti Pauli, si hoc Festum celebrandum sit ritu duplicis primae Classis, et incidat in Dominicam, vel an illa Missa esse debeat ut in Festo Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, ratione Solemnitatis eorumdem prout fit in Dioecesi?

Eminentissimus itaque ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen., Sanctae Rufinae, et Centumcellarum vigore

facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI. tributarum ceu Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus propositis Dubiis maturo examine perpensis rescribi mandavit.

Ad I. *Juxta peculiarem hujus Festi Rubricam.*

Ad II. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Atque ita rescribi, ac servari mandavit. Die 22. Maji 1841.

4774. MECHLINIEN.

Ut in ordinando Directorio, seu Kalendario Liturgico suae Archidioecesis omnia fiant juxta praescriptum Rubricarum, et Sacrorum Rituum Congregationis mentem Eminentissimus, et Reverendissimus Dominus Cardinalis Archiepiscopus Mechlinien. Sacrae eidem Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum

1. In Dioecesi Mechlinien. Festum Sacratissimi Cordis Iesu celebratur ritu duplicis majoris ex Decreto 25. Augusti 1809. Quaeritur 1. An hoc Festum sit praeferendum tamquam dignius si cum eo occurrat Festum Sancti Barnabae Apostoli, quod est eiusdem ritus? 2. An dum festum Sanctae Barnabae celebratur pridie, vel postridie Festi Sacri Cordis Iesu, Vesperae integrae debeant esse de Festo Sacratissimi Cordis, vel potius sit servanda Tabella concurrentiae conformiter ad responsa Sacrorum Rituum Congregationi diei 31. Martii 1804. et 20. Septembris 1806. quoad Festum Dedicationis?

2. In locis ubi Festum Sacratissimi Cordis Iesu celebratur Feria sexta post Octavam Corporis Christi, Vesperae sunt de Octava Corporis Christi sine commemoratione sequentis ex Rescripto Sacrorum Rituum Congregationis 17. Augusti 1771. Quaeritur an inde sequatur omittendam esse commemorationem de Venerabili, quando Missa propria Sacratissimi Cordis Iesu dicitur ad Altare in quo Sanctissimum Sacramentum patenter est expositum, si alioquin praedicta commemoratio esset facienda?

3. Quando Festum Sanctissimi Nominis Iesu occurrit in Dominica Septuagesimae transfertur in diem XXVIII. Ianuarii tamquam in Sedem propriam juxta Decreta Sacrorum Rituum Congregationis ne celebretur in Quadragesima. Quaeritur an idem locum habeat quando praefatum Festum die sua propria celebrari nequit ob aliud impedimentum vr: gr: ob occursum Festi Patroni principalis alicujus loci, aut Ecclesiae, vel an tunc Festum Sanctissimi Nominis Iesu celebrari debeat prima die non impedita si praeter XXVIII. Januarii (quando celebratur in Belgio Festum Sancti Juliani Episcopi, et Confessoris semiduplex ad libitum) alia dies libera occurrat ante Quadragesimam vr: gr: tertia Februarii qua occurrit Festum simplex Sancti Blasii?

4. Datur specialis Rubrica pro Translatione Festorum Purificationis, et Annunciationis Beatae Mariae Virginis quando occurrunt in Dominica privilegiata. Petitur an etiam extet aliquod privilegium, aut Decretum pro Festo Conceptionis Beatae Mariae Virginis quando occurrit in Dominica secunda Adventus, et celebratur sub ritu duplicis secundae Classis tantum vel an tunc sit transferendum in primam diem non impeditam, si nona Decembris non sit libera?

5. Quum Ordo Divini Officii pro Clero Romano assignet Missam propriam pro Festo Sancti Gregorii VII. die XXV. Maji, quaeritur an haec Missa, quae non reperitur in Missalibus in Belgio impressis, concessa sit pro universali Ecclesia? Et quatenus negative, an in praedicto Festo diei debeat Missa - *Sta-*

*tuit* - de Communi Confessorum Pontificum primo loco cum Evangelio - Vigilate - ut habetur in aliquibus Missalibus , an Missa - *Sacerdotes tui* - de eodem Communi secundo loco, ut legitur in aliis?

6. Invaluit usus in Dioecesi Brugensi, ut in Exequiis pauperum, qui solvere non valent expensas Missae cantatae legatur Missa privata de Requie praesente Cadavere in Festis duplicibus etiam majoribus, non tamen primae vel secundae Classis, neque infra Octavas privilegiatas, neque in Dominica, neque iis diebus, quae excludunt Festa duplicia. Respondit autem Sacra Congregatio die 12. Septembris 1840. hanc consuetudinem servari posse. Quum praefatus usus invaluerit quoque in multis Ecclesiis Archidioecesis Mechliniensis, quaeritur an per totam hanc Dioecesim praedicto Decreto se conformare liceat?

Et Eminentissimus, ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen. Sanctae Rufinae, et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius, et Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI. tributarum, omnibus mature perpensis, diligentique examine libratis rescribi mandavit

Ad 1. *Quoad primam quaestionem; Negative in occurrentia, quia est Festum secundarium. Quoad secundam quaestionem: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad 2. *Ad modum Collectae permitti potest.*

Ad 3. *Juxta Rubricarum placitum solum quando praepeditur ob Septuagesimae occursum, alias in primam diem non impeditam.*

Ad 4. *Nullum datur, sed petentibus conceditur ob peculiares circumstantias.*

Ad 5. *Pro Festo Sancti Gregorii VII. Missa* - Statuit - *cum Evangelio* - Vigilate - *uti impressa est in Missali Romano.*

Ad 6. *Affirmative.*

Atque ita rescribi, ac servari mandavit.

Die 22. Maji 1841.

4775. MELITEN.

Intra septa Coenobii Ordinis Minorum Conventualium Sancti Francisci Civitatis Valletta vulgo nuncupat, erectum reperitur Oratorium Sodalitatis Conceptionis Deiparae inibi institutae, in quo quidem Oratorio ab Episcopo adprobato, et benedicto Sodales, aliique Fideles conveniunt sacra exercitia explentes, et Missae Sacrificio pro praecepto adimplendo adstantes. Ast quum nonnulli dubitarint num omnes Fideles praeceptum Missae in Festis servent memorato in Oratorio, Sacrorum Rituum Congregationi humillimae datae sunt preces a Moderatoribus Sodalitatis ipsius pro opportuna declaratione, nimirum An omnes Fideles adstantes Missae in memorato Oratorio ab Episcopo adprobato, et benedicto, praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro satisfaciant? Eminentissimus, et Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen. Sanctae Rufinae, et Centumcellarum Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius, ac eidem Sacrorum Rituum Congregatioui Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifice Maximo tributarum, rescribi mandavit.

*Affirmative.*

Die 22. Maji 1841.

4776. MELITEN.

Precibus Carmelitarum antiquae observantiae Civitatis Valletta Dioecesis Meliten. exquirentium confirmationem conventionis initae cum Sodalitate Beatae Mariae Virginis ibi erectae, in qua statuitur, ut Clavis Tabernaculi Sanctissimi Sacramenti Feria quinta in Coena Domini tradatur custodienda Priori ejusdem Sodalitatis; Eminentissimus, et Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen. Sanctae Rufinae et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius, et Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI. tributarum, rescribi mandavit. *Obstare Decreta hujus S. Congregationis*. Die 22. Maji 1841.

4777. DERTHONEN.

Derthonensis Cathedralis Capitulum septemdecim tantum quum Canonici constituant, ex quibus alii jam jubilatione donati alii vel annorum pondere, vel infirmae valetudinis incommodis praegravati Choro interesse nequeunt, et pro reliquis grave admodum, et onerosum servitium Chorale extat, ac proinde ipsius Capituli nomine Sacrorum Rituum Congregationi enixae datae sunt preces, queis instanter Canonici efflagitant.

1. Ut a Festo omnium Sanctorum ad Pascha usque Resurrectionis inclusive anticipare queant in Choro post Vesperas, et Completorium Matutinum cum Laudibus insequentis diei.

2. Ut quando plures decantandae sunt Missae una tantum celebrari valeat cum cantu, reliquis lectis, attamen praesente Choro.

3. Ut in diebus ferialibus Vesperas persolvere liceat sine cantu.

4. Ut intra Annum quisque ex Canonicis per bimestre vel continuum, vel interpolatum a Choro abesse possit absque distributionum amissione etiam honestae animi relaxionis caussa, attamen servatis de jure servandis.

Humillimas hujusmodi preces, queis Reverendissimus Derthonen. Episcopus lubenti animo assentitur, immo ut exaudiantur instantissime precatur, serio perpendens Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen. Sanctae Rufinae, et Centumcellarum Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius, et Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI. tributarum, rescribi mandavit.

Ad 1. *Pro gratia a Festo tamen omnium Sanctorum usque ad Pascha Resurrectionis exclusive.*

Ad 2. *Pro gratia.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Recurrat ad Sacram Congregationis Concilii.*

Atque ita rescripsit, servarique mandavit.

Die 22. Maji 1841.

4778. TRICARICEN.

Quum Reverendissimus Tricaricen. Episcopus Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuerit, se nuperrime in caussa praecedentiae in processionibus inter Clericos Saeculares, ac Seminarii Alumnos suae Dioecesis excitata, juxta alias decreta edixisse, praecedentiam in Processionibus aliisque similibus actibus competere Seminario supra Clericos adventitios, ac pro majori sui animi tranquillitate eamdem Sacram Congregationem rogarit confirmationem

hujus sententiae; Eminentissimus, et Reverendissimus Dominus Cardinalis Pedicini, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo tributarum rescribi mandavit. *Juxta alias decreta Episcopi Decretum esse in suo robore, et adprobatione non indigere.*

Die 22. Maji 1841.

4779. TRECEN.

Precibus Sacerdotis Petri Noselcy Parochi Civitatis Barsur-Aube Dioecesis Trecen. queis expetebat sequentium Dubiorum solutionem quoad usum Breviarii Romani, quod recitat ab anno 1823. nimirum

1. An non obstante prohibitione Reverendissimi Episcopi possit tuta conscientia perseverare in recitando Breviario Romano, sicque oneri Divini Officii facere satis?

2. An idem onus adimpleat recitans Officia pro aliquibus Locis in Calce ipsius Breviarii Romani apposita?

3. An in administrandis Ecclesiae Sacramentis Rituali Romano uti queat?

Eminentissimus, et Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen. Sanctae Rufinae, et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius, et Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI. tributarum, rescribi mandavit.

Ad 1. *Sine speciali Indulto non posse.*

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *In casu affirmative.*

Die 22. Maji 1841.

4780. TRIVENTIN.

Precibus Reverendissimi Triventin. Episcopi requirentis an tollerare possit, vel eliminare teneatur invectam in sua Dioecesi consuetudinem, ut in una eademque Supplicatione Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum deferatur per plures Sacerdotes, qui sibi invicem succedant, Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portum. Sanctae Rufinae, et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius, et Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI. tributarum, rescribendum censuit. *Consuetudinem tamquam abusum eliminandam.* Die 22. Maji 1841.

4781. VIVARIEN.

Reverendissime Domine uti Frater.

Dum in Sacrorum Rituum Congregatione expendebantur Dubia Amplitudinis Tuae nomine exhibita Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papae XVI. litteris De-La-Valette Vicarii tui Generalis datis Vivarii die 20. Julii 1840. ac jam duo Consultores Theologi fuerant requisiti, ut suum emitterent Votum circa validitatem Ordinationis cujusdam Presbyteri, in qua incaute vitiata fuit forma collationis Potestatis remittendi, vel retinendi peccata, certum nuncium pervenit a Congregatione Generali Sanctae Romanae, et Universalis Inquisitionis sub die 27. Maji 1840. casum apprime similem discussum, ac definitum fuisse, accedente etiam ipsius Sanctissimi Domini Nostri adprobatione, et Apostolica confirmatione. Itaque tunc emissam resolutionem Amplitudini Tuae de verbo ad verbum communicantes ut sequitur, nimirum

Feria IV. Die XXVII. Maji 1840.

In Congregatione Generali Sanctae Romanae, ut Universalis Inquisitionis habita in Conventu Sanctae Mariae supra Minervam coram Eminentissimis, et Reverendissimis Dominis Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus propositis precibus Dominicanorum Bononiae, quibus exponebant ejus Religiosum N. N. dum Ordinationem Presbyteri recipiebat a R. P. D. Episcopo, monitum fuisse ipsum perturbavisse formam adnexam postremae manuum impositioni dicendo, *Quorum remiseris peccata retenta sunt et quorum retinueris, remissa sunt.* Propositis item Actis Curiae Episcopalis ad stabiliendam veritatem expositorum una cum Voto unius ex Dominis Consultoribus, quod distributum fuerat per manus, propositis item Dominorum Consultorum suffragiis, Eminentissimi et Reverendissimi Domini dixerunt. *Sub conditione in privato Oratorio quovis anni tempore suppleatur a quovis Episcopo induto de more tertia manum impositio, et forma respectiva:* Accipe Spiritum Sanctum, *non tamen repetendo Caeremonias accidentales antea adhibitas.* Quibus eadem die, ac Feria in solita Audientia relatis per Reverendissimum Patrem Commissarium Sancti Officii, Sanctissimus Dominus Noster Gregorius Papa XVI. resolutionem Eminentissimorum adprobavit.

Vigore facultatum Nobis ab eodem Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI. specialiter tributarum, concedimus, ut quae enunciatae Ordinationi desunt, vel vitiata fuerunt omnino suppleantur ad tramites memorati Decreti Sacrae Universalis Inquisitionis, quacumque anni die ab Episcopo quovis induto de more, ut in Ordinatione, et Sacrum faciente in suo privato Oratorio, adstante enunciato Presbytero Sacerdotalibus vestimentis pariter induto, et sic suppleatur tertia manuum impositio, et respectiva forma: *Accipe Spiritum Sanctum*, quin repeti debeant Caeremoniae accidentales, quae antea adhibitae fuerunt.

Haec dum Amplitudini Tuae committimus, et injungimus diu felix et incolumis vivat. Romae 22. Maji 1841.

Reverendissimo Domino uti Fratri. Episcopo Vivariensi.

4782. BALTIMOREN.

Decimo Kalendas Decembris superiori anno 1840. ad enixas preces Patrum quartae Synodi Provincialis Baltimoren. Sanctissimus Dominus Noster Gregorius Papa XVI. impertitus est pro omnibus Foederatae Americae Septemtrionalis Dioecesibus nonnulla intra Annum Officia Sanctorum, quae dum in Kalendariis ordinabantur, nonnulla excitata sunt dubia ad quorum solutionem Sacrorum Rituum Congregationis sententiam requirendam constituit alter ex Directoribus Seminarii Sanctae Mariae Baltimorensis, cui cura commissa est nonnulla Foederatae ipsius Americae Kalendaria efformare pro regulari iisdem in Dioecesibus Divinorum Officiorum celebratione. Proposita itaque Dubia sunt sequentia, nimirum

1. Concessum est Officium Sancti Irenaei Episcopi Martyris, nulla assignata die, qua recitari debeat. Quum autem hoc Festum in Martyrologio pronuncietur die XXVIII. Junii, quaeritur an de eo fieri debeat hac ipsa die XXVIII. Junii, Festo Sancti Leonis ad diem VII. Julii fixe translato?

2. In Indulto Apostolico exprimitur Officium Sancti Irenaei simpliciter, et sine addito. Porro ea fuit mens Patrum Concilii Baltimorae prout hoc Officium Lugduni in Gallia celebratur: at ex quibusdam Romani Breviarii editionibus videtur quod id Festum Lugduni celebretur de Sanctis Martyribus Irenao

Episcopo et Sociis ejus. Quaeritur itaque utrum in hisce Foederatae Americae Dioecesibus faciendum sit de Sancto Irenaeo tantum, vel de Sanctis Martyribus Episcopo, et Sociis ejus?

3. Si Officium sit de Sancto Irenaeo tantum, unde nam desumendae sunt Lectiones secundi, et tertii Nocturni, ac Missa?

4. Si fiat de Sancto Irenaeo, et Sociis ejus possunt ne tamquam adprobatae haberi illae Lectiones in Gallia recitatae ab illis, qui Romano Breviario utuntur?

5. In Seminario, et Collegio Sanctae Mariae Baltimorensis die XXVIII. Junii fit de die octava Sancti Aloysii. Posito igitur quod de Sancto Irenaeo, vel de Sanctis Irenaeo, et Sociis ejus hac die fieri debeat in Provincia Baltimorensi, quaeritur utrum in praedicto Seminario, et Collegio Festum Sancti Irenaei, vel Sanctorum Irenaei, et Sociorum ejus transferri possit ad diem III. Julii, et Sancti Leonis Festum ad diem VII. Julii?

6. Sanctitas Sua benigne concessit sequentia Officia singulis Feriis sextis Quadragesimae ad libitum recitanda sub ritu duplicis majoris, nempe Sacratissimae Passionis Domini Nostri Iesu Christi, Spineae Coronae, Lanceae et Clavorum, Sacrorum quinque Vulnerum, Pretiosissimi Sanguinis. Si autem in dictis diebus occurrat Festum altioris ritus, quaeritur an supramemorata Officia transferri possint ad primas dies non impeditas intra Quadragesimam tantum?

7. Inter Officia nuper concessa omnibus Foederatae Americae Septentrionalibus Dioecesibus, sunt Officia tum Sanctissimi Sacramenti in Feriis quintis, tum Conceptionis Beatae Mariae Virginis in Sabbatis per Annum. Porro haec eadem Officia jamdudum a sa: me: Pio Papa VI. concessa fuerunt Baltimorensi, et quibus dam aliis Dioecesibus cum eo privilegio ut iis Presbyteris, qui in praedictis Feriis iter aliquod suscipere deberent pro visitandis Catholicis, quorum spiritualis cura ipsis incumbit, liceret ea recitare, et Missam respectivam celebrare etiam in Feriis Adventus, quatuor Temporum, et Quadragesimae. Quaeritur an recenti concessione supramemoratum privilegium revocatum, sublatumque fuerit, vel adhuc perseveret, et posito quod perseveret, utrum ad omnes Foederatae Americae Septentrionalis Dioeceses extendatur, et pertineat?

*Aliud Dubium.* Utrum in Anniversariis creationis, et coronationis Summi Pontificis pro tempore regnantis, in universa Ecclesia diei possit vel debeat in Missa Oratio *Deus omnium fidelium*? Et quatenus affirmative, an haec Oratio dicenda sit in Festis primae, vel secundae Classis?

Eminentissimus itaque ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen. Sanctae Rufinae, et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius, et Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifice Maximo tributarum, omnibus maturo examine cribratis, rescribi mandavit.

Ad 1. *Servetur dies Martyrologii Romani.*

Ad 2. et 3. *De Sancto Irenaeo tantum cum Lectionibus secundi Nocturni adprobatis die* 21. *Aprilis* 1784.

Ad 4. *Iam provisum.*

Ad 5. *In primam diem non impeditam.*

Ad 6. *Affirmative, et intra Quadragesimam tantum.*

Ad 7. *Praecedens Indultum manet in suo robore, nec extendi potest sine nova concessione.*

*Collecta pro Summo Pontifice in diebus creationis, et coronationis dici debet, et sub unica conclusione in duplicibus secundae Classis.*

Die 22. Maji 1841.

4783. PROVINCIAE LATII

sive

Aletrin. Anagnin. Cajetan. Ferentin. Ostien. et Velitern. Signin. Terracinen. Setin. et Provernen. Verulan.

Reverendissime Domine uti Fr.

Ut debitae Misericordiarum Patri, et totius consolationis Deo grates agerentur, et perennis perstaret memoria omnimodae eversionis perditorum illorum hominum, qui impune crassantes integram Latii Provinciam ab Annis bene multis latrociniis, coedibusque vexabant sa: me: Leo Papa XII. undecimo Kalendas Junii anno 1826. per suum extraordinarium in memorata Provincia Delegatum edixit, ut sexto Kalendas Novembris quotannis singuli utriusque sexus Fideles adigerentur adstare Sacro, utque in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, et in Ecclesiis Regularium hora, qua ad unamquamque Ecclesiam frequentior Populus accurrit persolveretur Hymnus Ambrosianus *Te Deum*, cum consuetis Orationibus, atque Antiphona *Salve Regina*, cum Oratione *Defende*. Verum decursu temporis compertum est hanc ipsam praescriptionem quoad Sacri auditionem parvi adeo penderi, ut communiter ejus omittatur observatio non absque exiguo animarum dispendio. Quod sedulo perpendentes nonnulli per memoratam Latii Provinciam Reverendissimi Antistites, Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo iteratas dedere preces efflagitantes, ut de Apostolica Benignitate solvere dignaretur Fideles ab hoc vinculo adstandi Sacro, atque insuper ad Dominicam immediate sequentem post sexto Kalendas Novembris enunciatas Orationes, seu gratiarum actiones transferre ut in praecedenti concessione diei 22. Maji 1826. Haec singula vigore facultatum Nobis ceu Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto tributarum, dum sedulo expendebamus, satius consilium sumpsimus rem omnem iterum fideliter eidem Sanctissimo Domino Nostro aperire, instanter efflagitantes ut Episcoporum vota admittere dignaretur. Et Sanctitas Sua de speciali gratia benigne annuens edixit, ut per particulares Litteras Sacrorum Rituum Congregationis Reverendissimi memoratae Provinciae Antistites monerentur, ut sublato onere adstandi Sacro die XXVII. Octobris, ad petitam insequentem Dominicam transferant Orationes indictas die 22. Maji 1826. eodem modo ac forma, sicut fieri fuerat mandatum sexto Kalendas Novembris.

Dum haec ad Sanctitatis Suae mentem Amplitudini Tuae communicamus, diu felix et incolumis vivat.

Amplitudinis Tuae. Uti Frater. Die 22. Maji 1841.

4784. NAMURCEN.

Debitum ordinem ex Rubricarum notitia descendentem pro Divinis Officiis rite, recteque disponendis servare maximopere percupiens Editor Kalendarii Ecclesiae, et Dioecesis Namurcensis, accedente assensu, et annuentia illius Reverendissimi Episcopi Sacrorum Rituum Congregationi enodanda proposuit sequentia Dubia, nimirum

Dubia circa Missas de Communi variandas.

Gavantus de Rubricis Missarum Communis Sanctorum num. 2. dicit: *Est liberum cuicumque recitare Missam quam maluerit ex eodem Communi, ubi sunt plures Missae, et multo magis Epistolam, et Evangelium, ex ibidem assignatis, ut habetur in Rubricis ante Commune unius Martyris non Pontificis, et ante Missam de pluribus Martyribus tempore Paschali.*

Dubium I. Dubitatur 1. An haec facultas locum habeat in Festis Sanctorum in Kalendario Romano descriptorum pro quibus in proprio Missalis assignatur aliqua Missa de Communi: an scilicet Sacerdos quilibet in tali Festo celebrans possit vel etiam Missam de eodem Communi legere, vel saltem Epistolam, et Evangelium sumere ex alia Missa? v. g. in Festo Sanctorum Martyrum Eustachii, et Sociorum celebrans possit ne loco Missae *Sapientiam*, quae pro praedicto Festo in Missali die XX. Septembris assignatur legere Missam *Intret in conspectu*, de eodem Communi, vel saltem legere Missam assignatum *Sapientiam*, sed cum Evangelio Missae *Intret*.

Dubium II. Dubitatur 2. Quatenus affirmative, poterit etiam, immo nonne debebit idem Sacerdos loco Homiliae pro tali Festo in proprio Breviarii assignatae, legere aliam de eodem Communi Homiliam correspondentem Evangelio, quod lecturus est in Missa?

Dubia circa Evagelium Missae: *In virtute tua.*

Circa Evangelium in Missa *In virtute tua* legendum, et Homiliam correspondentem in Officio recitandam plura Sacrorum Rituum Congregationis Decreta habemus in authentica Collectione, signanter N. 3394. ad Dubium VI. N.4325. ad VIII. N. 4345. ad IX., tamen adhuc dubitatur circa expressa in sequentibus Dubiis.

Dubium III. Utrum in Missa: *In virtute:* legi possit Evangelium: *Nolite arbitrari:* in Festis Sanctorum Martyrum, pro quibus Missale assignat aliud Evangelium de Communi cum Missa *In virtute* legendum v. gr. pro Sancto Wenceslao die XXVIII. Septembris in Breviario assignatur homilia in Evangelium: *Si quis vult:* et in Missali Missa: *In virtute*: cum eodem Evangelio, *Si quis vult:* an potest pro praedicto Sancto Wenceslao legi Missa: *In virtute*, cum suo Evangelio: *Nolite arbitrari*, et consequenter in Officio legi Homilia aliqua Octavarii in Evangelium illud *Nolite arbitrari*, puta homilia Sancti Hieronymi, quae incipit *Supra dixerat*, et quae in Octavario reperitur secunda die infra Octavam? Hanc homiliam Breviaria in nostris Regionibus impressa ut plurimum insertam habent.

Dubium IV. Dubitatur 2. Quatenus responsio foret, non licere nisi constet de concessione, quaeritur an pro concessione habenda sit sequens Sacrorum Rituum Congregationis Rescriptum, scilicet: *Expositum fuerat Dubium utrum praedicta Sancti Hieronymi homilia esset approbata, et utrum tuta conscientia legi possit?* Cui Dubio Sacra Congregatio respondit die 16. Decembris 1828. in una Leodien. ad Nuncium Apostolicum Parisiensem ut sequitur: *Legi potest homilia Sancti Hieronymi in praedictum Evangelium ad correspondentiam Officii cum Missa obtinendam.* An itaque haec responsio haberi potest tamquam concessio, vi cujus liceat praedictam homiliam Sancti Hieronymi legere in Festo Sancti Wenceslai?

Dubia circa Epistolam Missae *Cognovi.*

Dubium V. In Missali Romano pro nec Virgine, nec Martyre habetur

Missa communis *Cognovi*, cum Epistola *Mulierem fortem*, et in fine Missae assignatur Epistola *Viduas honora*, sub Rubrica sequenti : *Item alia Epistola pro Vidua.* Quando autem in proprio Sanctorum occurrit Festum Sanctae Viduae, pro qua Missale assignat simpliciter Missam *Cognovi*, remittendo ad Commune, et de Epistola silendo, quemadmodum fit die IX. Martii pro Sancta Francisca Vidua Romana, an tunc legenda est Epistola *Mulierem fortem*, an e contra Epistola *Viduas honora* ? an tandem utralibet pro Sacerdotis arbitrio eligi potest ?

Dubia circa ordinationem Officiorum translatorum ad, vel extra tempus Paschale.

Dubium VI. Dubitatur 1. Si Festum Sancti Martyris habens Missam de Communi Paschali, tranferri contingat extra Tempus Paschale, silente Missali circa Missam in tali casu legendam, an est liberum Kalanderistae assignare, vel cuicumque privato Sacerdoti recitare Missam, quam maluerit de Communi extra Tempus Paschale primo, seu secundo loco positam pro lubitu ?

Dubium VII. Dubitatur 2. Quatenus negative, quaenam in casu praefato, et aliis similibus, regula servanda est pro determinatione Missae, et Evangelii, et Lectionum ?

Dubium VIII. Dubitatur 3. Si contingat Festum Sancti Georgii die XXIII. Aprilis occurrens tranferri extra Tempus Paschale, quomodo ordinandum erit Officium signanter quoad Lectiones secundi, et tertii Nocturni ?

Dubia circa quasdam Lectiones Breviarii Romani.

Dubium IX. Dubitatur 1. In Communi Confessorum non Pontificum ad Capitulum, quaedam recentiores editiones Breviarii Romani habent *nec speravit in pecunia, et thesauris* : aliae vero habent *nec speravit in pecuniae thesauris* : quomodo ergo legendum ?

Dubium X. Dubitatur 2. In Communi Virginum Nocturno primo, Antiphona tertia *Revertere revertere* an legendum *Sunamitis*, an *Sulamitis*.

Quae Dubia ab me subscripto ejusdem Sacrae Congregationis Secretario proposita in Ordinariis Comitiis ad Quirinales Aedes pridie idus Septembris superiori Anno coadunatis, Eminentissimi Patres Sacris Ritibus praepositi, omnibus consideratis rescribendum censuerunt : *Exquisito Voto Magistri Coeremoniarum ponatur in Folio.* Quum itaque alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris suum Votum emiserit praelo cusum, ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinale Aloisio Lambruschini Relatore, denuo iisdem propositis Dubiis in altero Sacrorum Rituum Ordinario Coetu in Palatio Apostolico Quirinali subscripta die coadunato, Sacra Congregatio, omnibus mature consideratis, riteque libratis, rescribendum censuit : *Juxta Votum Magistri Coeremoniarum excepto Dubio quarto* : nimirum

Ad I., II., et III. *Negative.*

Ad IV. *Quamvis liceat recitare Homiliam Sancti Hieronymi, attenta tamen declaratione in casu legenda est Homilia ut in Breviario.*

Ad V. *Negative, nisi aliter ex concessione constet.*

Ad VI. *Officium sumatur de Communi Martyrum extra Tempus Paschale, retentis Lectionibus, Oratione, et si quid aliud habet in proprio.*

Ad VII. *Regulam servandam esse ex ipso Evangelio vel Oratione, si sit de Communi, quae indicant utrum sumpta sint ex primo, vel secundo loco.*

Ad VIII. *Jam provisum in praecedentibus.*
Ad IX. *Legendum* in pecunia, et thesauris.
Ad X. Sunamitis : *dicendum est.*
Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.
Die 11. Septembris 1841.

4785. ARIANEN.

Quum per Litteras Apostolicas in forma Brevis sub die 10. Maji 1839. Sanctissimus Dominus Noster Gregorius Papa XVI. indulserit, ut etiam in Dioecesibus utriusque Siciliae Regni citra Pharum Festum Sancti Francisci de Paula Confessoris deinceps institueretur Dominica secunda a Paschate Resurrectionis, quumque in Dioecesi Arianen. hac ipsa Dominica interdum occurrat Festum Praecipui Patroni; hinc Reverendissimus Episcopus Sacrorum Rituum Congregationem humillimis precibus rogavit Indultum, memoriam Sancti Francisci de Paula cum Officio, et Missa instituendi, ut antea quarto Nonas Aprilis. Eminentissimi vero, ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Quirinale habitis coadunati, quin preces Reverendissimi Episcopi Arianen. admitterent, annuendum potius censuerunt, ut iis in Dioecesibus, in quibus interdum Festum Sancti Francisci praepeditur in assignata Dominica secunda post Pascha ad tramites concessionis in enunciato Brevi Apostolico factae, transferri possit juxta Rubricas etiam ad aliam Dominicam non impeditam. Contrariis non obstantibus.
Die 11. Septembris 1841.

4786. NAMURCEN.

Quum in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunatis a me infrascripto Secretario inter coetera propositae fuerint etiam preces Reverendissimi Episcopi Namurcen. hisce conceptae terminis, nimirum,

Beatissime Pater!

Episcopus Namurcen. ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter exponit dies festos, in quibus obligatio audiendi Missam per Decretum Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Caprara die 9. Aprilis 1802. sublata fuit, communiter a Fidelibus suae Dioecesis servari, omnesque Regni Belgici Episcopos Anno 1834. Litteras Encyclicas ad Populos sibi commissos dedisse, in quibus eosdem hortantur, ut praedictis diebus Divinis Officiis sedulo interessent, aliisque bonis operibus pro posse incumberent.

Quum autem in pluribus locis Dioecesis Namurcensis etiam majoribus, ob Sacerdotum penuriam Missa solummodo diebus Dominicis, et Festis de praecepto celebretur, idem Episcopus ad fovendam Fidelium devotionem, piisque eorum votis satisfaciendum Sanctitati Vestrae enixe supplicat pro facultate Presbyteris, quibus in hac Dioecesi diebus Dominicis, et Festis de praecepto bis celebrare ab Ordinario auctoritate Apostolica permittitur, eamdem licentiam concedendi pro Festis per supramemoratum Decretum abrogatis, prout in Dioecesibus Leodiensi, et Tornacensi practicari noscitur. Et Deus etc.

Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re maturo examine perpensa rescribendum censuerunt. *Non expedire.*
Die 11. Septembris 1841.

4787. ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Ex pervetusto Privilegio decimo Kalendas Augusti in Ecclesia Sancti Laurentii in Pane et Perna Urbis a Sanctimonialibus Ordinis Sanctae Clarae adje-

cti Asceterii Festum Sanctae Birgittae Viduae celebratur devota cum pompa, et apparatu, ipsa siquidem die hujus Sanctae transitus memoria in Martyrologio adnotatur. Ast quum in sequenti die immediata occurrat Officium Sancti Francisci Solano, quod in Kalendario Seraphico obtinet ritum duplicis secundae Classis, frequens occurrit opinionum varietas, de quo ex enunciatis duobus Officiis decantandae sint Vesperae ipsa die XXIII. Julii publica in enunciata Ecclesia postquam Sanctimoniales in Choro persolverint Vesperas Sancti Francisci Solano. Haec singula Sacrorum Rituum Congregationi exposuit R. P. Fr. Bernardinus a Mariano Ordinis, et Sanctimonialium Kalendarii Director opportunam declarationem humillimis precibus rogans. Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die coadunata, ad relationem mei infrascripti Secretarii respondendum censuit; *Ratione Festi dici possunt Vesperae de Sancta Birgitta, recitatis tamen in Choro Vesperis currentibus.*

Die 11. Septembris 1841.

4788. PATAVINA.

Idibus Junii Solemniis recurrentibus Sancti Antonii Patavini ad Ecclesiam Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium in Civitate Patavina accedere assolet Reverendissimus Patavin. Episcopus in publica forma Pontificalem Missam celebraturus comitante Cathedralis Capitulo Canonicalibus vestibus amicto. et ab immemorabili ad fores ipsius Ecclesiae Religiosa illa Conventualium Familia Praelatum excipit, et dignior Coenobii Pater eidem Episcopo ingredienti Aspersorium porrigit cum Aqua benedicta. Immemorabilis hujusmodi consuetudo praesenti hoc Anno servari nequivit; nam Magister Coeremoniarum indixit, ut prae digniore Patrum Aspersorium Episcopo porrigeretur a Digniore Capituli. Cui quidem praescripto, ne scandala orirentur, tunc cessit Religiosa illa Conventualium Familia, sed ne jus acquisitum, et immemorabilis consuetudo laedantur R. P. Fr. Franciscus Peruzzo ex-Magister Provincialis Sacrorum Rituum Congregationem humillimis adiens precibus rogavit, ut sequens Dubium declarare dignaretur, nimirum. An Episcopo in forma publica ingredienti Ecclesias Regularium ad Sacra peragenda una cum Capitulo Cathedralis Canonicalibus indumentis amicto, jus competat porrigendi Aspersorium cum Aqua benedicta Digniori Familiae Religosae, an vero Digniori Capituli? Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subsignata die in Ordinariis Comitiis coadunata, ad relationem mei infrascripti Secretarii, re mature, diligenterque examinata, rescribendum censuit: *Juxta alias decreta porrigere in casu Aspersorium Episcopo ingredienti spectare ad Patrem Guardianum.*

Die 11. Septembris 1841.

4789. ROMANA.

Quintodecimo Kalendas Maji natalis Sancti Aniceti Papae et Martyris plerumque tempore Paschali occuerit, cujus Officium quum sit ritus simplicis in Breviario, adest unica Lectio pro Nocturno, atque in Missali assignatur Evangelium ex capite XVI. Sancti Joannis: *Amen amen dico vobis, quia plorabitis.* Controversia nunc orta est inter illos, qui quum privilegio gaudeant agendi Officia Sanctorum Summorum Pontificum ritus duplicis, animis haerent quodnam Evangelium respondenti cum Homilia sit legendum, quando Festum ejusdem Sancti Aniceti transfertur extra Tempus Paschale, utrum scilicet supradictum Sancti Joannis, quod a pluribus uti ipsius Festi proprium consideratur, an alterun ex cap. XVI. Sancti Matthaei: *Si quis vult:* de Communi unius

Martyris extra illud tempus, cujus respondentem Missam ex eodem Communi: *Sacerdotes Dei*: omnes conveniunt legendam esse. Super eadem re, etsi levissima, magis, magisque dubia sunt adaucta ex eo quod nonnulli Kalendaristae Basilicarum Urbis in casu Evangelium Sancti Joannis assignent, nonnulli illud Sancti Matthaei, indicium, omnes in unum sensum non convenire. Ad quaestionem omnem dirimendam dubium delatum est ad Sacrorum Rituum Congregationem, quae in Ordinariis Comitiis ad Quirinales Aedes infrascripta die coadunata, ad relationem mei infrascripti Secretarii, visis allegationibus ex utraque parte deductis, rite, matureque examinata peculiari Rubrica Missalis, cujus dispositionem seguitur Gavantus in suo Octavario Romano, ab hac ipsa Sacra Congregatione adprobato, rescribendum censuit « *Dicendum in casu Evangelium;* Si quis vult » Atque ita rescripsit, ac ab omnibus servari mandavit.

Die 11. Septembris 1841.

4790. MECHLINIEN.

Modernus Typographus Archiepiscopatus Mechliniensis quum praevio Eminentissimi Domini Cardinalis Archiepiscopi permissu aggrediatur novam Missalis Romani editionem, volensque ut in illa nihil occurrat, quod aliquo modo Sacrorum Rituum Congregationis Decretis adversetur, eidem humillime supplicavit declarari, utrum juxta Decretum in Tuden. die 7. Septembris 1816. ad Dubium XIV. in Missa de Communi Virginum, cujus Introitus: *Vultum tuum:* ejusque in Tractu quando dicitur post Septuagesimam ad Pascha integer ℣. *Audi filia:* sit omittendus, utpote jam recitatus in Graduali, an incipiendus a sequentibus verbis: *Quia concupivit:* in eodem non dictis. Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinales Aedes infrascripta die Ordinariis in Comitiis coadunata ad relationem mei subscripti Secretarii, omnibus rite, matureque examinatis rescribendum censuit: *Iuxta recensitum Decretum ℣, in casu esse omittendum.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 11. Septembris 1841.

4791. JANUEN.

Eminentissimi, e Reverendissimi Principi.

Occorre nella Città e Diocesi di Genova nello stesso giorno San Giorgio Protettore della Liguria, e Patrono Principale della Città e Diocesi doppio di prima Classe con Ottava, e Santa Caterina col titolo di Patrona de' Genovesi doppio di prima Classe nella Città soltanto con Ottava. È da notarsi però che Santa Caterina ha molta solennità, e concorso di popolo, e San Giorgio non ha particolare solennità.

Essendo insorto qualche dubbio sulla precedenza di dette due Feste, dal Sacerdote Rocco Pistone Canonico, e Ceremoniere dell'Eminentissimo Arcivescovo, anche a nome di esso Porporato si porge rispettosa preghiera all' Eminenze Vostre Reverendissime affinchè si degnino esternare il loro autorevole giudizio sul quesito: Quale delle due Feste debba trasferirsi.

Quibus precibus quum Sacra Rituum Congregatio satisfecerit per Rescriptum: *Scribatur Eminentissimo Cardinali Archiepiscopo juxta Votum*: eidem Eminentissimo Viro sequentes datae sunt Litterae.

Eminentissime, et Reverendissime Domine Observantissime.

Propositum Dubium huic Sacrorum Rituum Congregationi a Canonico Rocho Pistone Caeremoniario Eminentiae Vestrae Reverendissimae super occurren-

tia Festorum Sancti Georgii Martyris Praecipui Patroni, et Sanctae Catarinae Viduae itidem Patronae, quae hoc Anno incidit in Dominicam quartam post Pascha, quoad licuit, ob temporis angustiam exquisito etiam Voto alterius ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris fuit rite, ac rite examinatum. Perpensis propterea omnibus, quae peti possunt tum ex Rubrica, tum ex qualitate Patronatus, siquidem externa solemnitas substantiam non respicit, nec rationem ullam suppetit, praecedentia omnimode competit Festo Sancti Georgii uti Praecipui Patroni. Nec abs re erit advertere Dubium non occurrentiam, bene vero concurrentiam importare debere: Festum enim Sancti Georgii occurrit die XXIII. Aprilis, et Sanctae Catarinae Dominica quarta post Pascha, quae hoc Anno incidit in diem XXIV. ejusdem Mensis, atque ideo Vesperae erunt disponendae modo supra recensito. Haec pro Officii mei munere Eminentiae Vestrae significanda erant, quae oppositis Litteris Supplicem Libellum Caeremoniarii commendavit, cujus Manus humillime deosculor.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae

Romae 9. Aprilis 1842.

Eminentissimo, et Reverendissimo D. Cardinali Archiepiscopo Januensi.

4792. EUGUBINA.

Quum in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanas Aedes coadunatis inter coetera negocia a me infrascripto Secretario relatae fuerint sequentes preces Canonicorum Collegiatae Ecclesiae Sanctae Christinae in Civitate Eugubina nimirum.

Eminentissimi, e Reverendissimi Principi.

I Canonici della Collegiata di Santa Cristina di Gubbio avendo uso di Rocchetto, e Mozzetta con privilegio della sa. me. di Leone XII. di vestirne anche fuori della propria Chiesa, fanno il quesito se sia loro lecito nell'amministrazione de'Sagramenti, e nella Predicazione usare Rocchetto, e Cotta com' è di privilegio delle Chiese Cattedrali. Che etc.

Eadem Sacra Congregatio rescribendum censuit: *Dentur Decreta pluries super re edita.* Die 16. Aprilis 1842.

4793. ISERNIEN.

In Ecclesia olim Cathedrali Civitatis Venafri Dioecesis Isernien. Canonicali Praebenda jamdiu potiebatur Sacerdos Joannes Baptista Menichetti, qui quum novissime optavit, atque sit consequutus pinguiorem in eadem Ecclesia Praebendam, praeter ibi invectam consuetudinem conformem Sacrorum Rituum Congregationis Decretis antiquum Stallum retinere praesumpsit. Quod aegre ferentes Canonici, eandem Sacram Rituum Congregationem supplices adivere, et factum Canonici Menichetti reclamantes ingenue testati sunt hanc semper inter eos regulam viguisse, ut Canonicus Praebendam immutans ultimum occuparet Stallum. Quod si aliquando Capitulum indulsit, ut aliquis Canonicus Praebendam immutans antiquum Stallum retineret, id evenit ex peculiaribus circumstantiis, vel quia merita, aut aetas longaeva permutantis id exigebant, vel quia physica incommoda impediebant quominus permutans Canonicus Pontificalibus deservire posset. Antequam vero Sacra ipsa Congregatio huic controversiae definiendae manum imponeret pro Informatione, et Voto, Partibus auditis, Reverendissimum Isernien. Episcopum requisivit, qui Sacrae Congregationis mandata exequens, capitulariter Canonicos Venafri congregavit, singulosque de sententia requirens, praeter duos, qui Canonici Menichetti sunt Consanguinei,

omnes reperisse testatur in voto, ut Canonico ipsi Menichetti denegaretur praecedentia, et juxta solitum adigeretur ad ultimum in Choro Stallum occupandum, veluti et ipse Reverendissimus Antistes exquirit, ne antiqua consuetudo vel in minimo turbetur. Proposita quocirca causa in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunatis, referente me infrascripto Secretario, adductis rationum momentis sedulo perpensis, Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: *Juxta alias decreta praesertim in Sutrina Praecedentiae diei* 11. *Junii* 1701. *Canonico Menichetti spectare Stallum secundae Possessionis.*

Atque ita rescripserunt, ac servandum omnino mandarunt.

Die 16. Aprilis 1842.

4794. BRIXIEN.

Quum in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunatis, inter coetera negocia a me infrascripto Secretario relatae etiam fuerint preces Sanctimonialium Instituti Sacri Cordis in Civitate Brixien. hisce conceptae terminis, nimirum.

Beatissimo Padre.

Le Religiose dell' Istituto delle Figlie del Sacro Cuore Oratrici Umilissime della Santità Vostra divotamente espongono esser venute in possesso in Brescia di un Locale per stabilirvi il Noviziato, già in addietro Monistero de'Canonici Regolari Lateranensi attiguo alla Chiesa de' Martiri, e di Sant'Afra. Di concerto poi di quel degnissimo Monsignor Vescovo le Oratrici non strinsero quel Contratto di compra se prima non riportarono il permesso de'Fabbriceri di quella Chiesa di potervi aprire i Coretti forniti di Ferriate, onde, senza punto disturbare le Sacre Funzioni, assistervi alla celebrazione del Santo Sagrificio, e visitarvi il Santissimo Sagramento. Ora essendovi chi opina che ciò non possa eseguirsi senza aver riportato l'Apostolico Beneplacito, l'Oratrici, cui tanto interessa per il maggior loro bene spirituale fruire di tal vantaggio, prostrate al Trono di Vostra Beatitudine fervorosamente implorano un tale Indulto, quante volte non si degni dichiarare, che di tale autorizzazione non hanno Esse punto bisogno quando abbiano riportato l'assenso de' Patroni della Chiesa, e del prelodato Monsignor Vescovo Diocesano. Che etc.

Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature perpensa, rescribendum censuerunt: *Non indigere.*

Atque ita declararunt, ac mandarunt omnino servandum.

Die 16. Aprilis 1842.

4795. ORDINIS CARMELITARUM DISCALCEATORUM IN HIBERNIA.

Fr. Franciscus Joseph Nicholson Sacerdos Professus Ordinis Carmelitarum Discalceatorum in Hibernia quum onus habeat conficiendi pro Alumnis ejusdem Instituti Ordinem Divini Officii persolvendi, ut muneri suo plenius satisfacere valeat, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum

1. Utrum Religiosi Carmelitarum Discalceatorum, sive aliorum Ordinum, qui quocumque die infra Annum omnium proprii respective Ordinis Ecclesiarum dedicationem celebraverint, possint, et teneantur propriae quoque Ecclesiae dedicationem celebrare; quum in Hibernia secunda Dominica Octobris dedicatio omnium Ecclesiarum Hiberniae a Clero Saeculari celebretur?

2. An Religiosi cujusvis Ordinis, qui dedicationem omnium suorum Ordinum Ecclesiarum celebrari possint, et debeant ad instar Cleri Saecularis dedicationem omnium Hiberniae Ecclesiarum celebrare, absque speciali Sedis Apostolicae Indulto, et quatenus negative, stante cujusvis longi temporis consuetudine, tuto possint Regulares praedictam omnium Hiberniae Ecclesiarum dedicationem in posterum celebrare?

3. Utrum Regulares, qui Sedis Apostolicae Indultum impetraverint dedicationem omnium Hiberniae, nec non suorum Ordinum Ecclesiarum celebrandi, possint, et debeant dedicationem quoque Ecclesiarum celebrandi, possint, et debeant dedicationem quoque Ecclesiae Cathedralis illius, qua degunt, Dioecesis, absque Sedis Apostolicae speciali Indulto celebrare, quum Clerus Saecularis, ut jam dictum est, dedicationem omnium Ecclesiarum Hiberniae quotannis celebret?

4. An teneantur, vel possint praeterea Cleri Saecularis Sacerdotes, et alii propriae suae Ecclesiae dedicationem celebrare, sive Cathedralis illa sit, sive quaevis alia?

5. Si praeter Patronum principalem, cujus Festum celebratur sub ritu duplicis primae Classis cum Octava, alius in Patronum assumatur in aliqua Dioecesi, quaeritur an haec alterius Patroni assumptio in quolibet casu efficiat, ut ipso facto Festum Patroni principalis non amplius celebretur sub ritu duplicis primae Classis, sed ut ambo, ipse scilicet cum Patrono altero habeantur tamquam Patroni minus principales tum pro Clero Saeculari, tum pro Clero Regulari, et quatenus affirmative, sub quali ritu? Et an possint, teneanturque uterque Clerus eorum Festa celebrare sine Indulto speciali Sanctae Sedis Apostolicae?

6. Quum Sanctus Kevinus a Clero Saeculari habeatur ut unus ex Patronis Archidioecesis Dublinensis, et universo Clero indultum fuerit a Sancta Sede ipsius Festum sub ritu duplicis primae Classis celebrare cum Octava, quaeritur an verba illa Rescripti Apostolici; *ad totum Clerum:* complectantur Regulares, ita ut ipsi sine alio Indulto possint, et etiam debeant illud Festum celebrare?

7. In Paroeciis Hiberniae praeter Festum Sancti Patritii Patroni totius Regni, celebratur etiam tum Festum Sancti Patroni Dioecesis, tum Sancti Titularis ipsius Paroeciae, seu Ecclesiae Parochialis, et hujusmodi Festivitates celebrantur sub ritu duplicis primae Classis cum Octava. Hoc praemisso, quaeritur. An unicuique Dioecesi, nec non Paroeciae in Hibernia liceat habere proprium, sine speciali Sedis Apostolicae Indulto, Patronum, non obstante Festo Sancti Patritii totius Regni Patroni, quod die XVII. Martii sub ritu duplicis primae Classis sine Octava, eo quod incidat tempore Quadragesimae, ab omnibus celebratur?

8. Utrum Regulares possint et debeant Festum Patroni Regni, et Dioecesis, ubi commorantur celebrare non obstante celebratione proprii Ordinis Patroni? Et quatenus affirmative, sub quo ritu?

9. Sancta Birgitta plus quam centum ab hinc Annis Patrona totius Hiberniae fuit declarata, nec non Dioecesis Kildariensis Patrona specialis quod ab aliqua Synodo Provinciali, vel Dioecesana factum videtur. Porro illius Festum in Dioecesi Kildariensi sub ritu duplicis primae Classis, in coeteris vero Dioecesibus ejusdem Provinciae Lageniae sub ritu duplicis secundae Classis celebratur. Quum vero Pius Papa VII. hoc Festum extenderit ad totum Clerum Hiberniae

Saecularem, et Regularem sub ritu duplicis majoris, quaeritur 1. Utrum in casu, quo Festum aliquod ab aliqua Synodo Provinciali, seu Dioecesana certi alicujus ritus, juxta primae, vel secundae Classis declaratum fuit, teneantur. aut possint Regulares, vel Sacerdotes Saeculares idem sub illo ritu celebrare? 2. Utrum Clerus Saecularis, vel Regularis Provinciae Lageniae teneantur, vel possint dictum Sanctae Birgittae Festum sub ritu duplicis secundae Classis juxta tenorem Decreti dictae Synodi Provincialis, seu Dioecesanae celebrare?

Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunati, audita relatione ab me infrascripto Secretario facta, exquisitoque Voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, qui scripto suam sententiam exposuit, omnibus mature consideratis, accurateque libratis, rescribendum censuerunt: *Juxta Votum Magistri Caeremoniarum in omnibus*, videlicet

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Pro nunc nihil innovetur.*

Ad 3. et 4. *Dilata, et ad Mentem. Mens est ut per Sacram Congregationem de Propaganda Fide scribatur Archiepiscopis Dublinensi, et Tuamensi, nec non Episcopo Galvaniensi per modum Instructionis, qua dicatur ad eamdem Sacram Congregationem perlatum esse in eorum Dioecesibus praeter Festum dedicationis omnium istius Regni Ecclesiarum, quod habetur Dominica secunda Octobris, celebrari etiam diem anniversarium consecrationis propriae Ecclesiae Cathedralis, et quatenus ita se res habeat, hujusmodi morem consonum non esse et Decretis Sacrorum Rituum Congregationis, et ipsi rationi, eo quod propriae particularis Ecclesiae Dedicationis Officium intelligitur comprehensum, et celebratum in Festo consecrationis omnium Ecclesiarum, ac propterea eamdem Sacram Congregationem vehementer optare, ut praedictum Officium Dedicationis propriae particularis Ecclesiae ex Kalendario proximi anni expungatur.*

Ad 5. *Recurrat in casibus particularibus.*

Ad 6. *Negative juxta Indultum sa: me: Pii Papae VII.*

Ad 7. *Ut ad quintum Dubium.*

Ad 8. *Quoad primam partem affirmative, quoad secundam ritu duplicis secundae Classis sine Octava.*

Ad 9. *Quoad primam partem ut ad quintum Dubium: quoad secundam, negative ad primum affirmative ad secundum.*

Atque ita rescripserunt, ac servari mandarunt.

Die 16. Aprilis 1842.

4796. URBIS, ET ORBIS.

Qui dum in terris degit Angelicus Iuvenis Sanctus Aloysius Gonzaga placens Deo factus est dilectus, postquam Coelitum felicitatem, et gloriam est assequutus ejus memoria in benedictione apud homines permansit, atque adeo cultus est diffusus, ut dissitae etiam regiones impense eum venerentur, ac validissimum invocent patrocinium. Nam etsi consummatus fuerit in brevi, attamen explevit tempora multa, si quidem a Coelestium donorum distributore Deo, inter coetera id obtinuit speciale, ut mirae vitae innocentiae parem poenitentiam sociaret, et sic saltem poenitentem imitarentur, qui non fuerant innocentem sequuti. Quod autem unum optandum adhuc supererat, nimirum ut ipsius Officium cum Missa jamdiu adprobatum, de praecepto persolveretur ab

omnibus, qui ad Horas Canonicas Orbe toto tenentur, non sine miserentis Dei sapientissimo consilio factum est ut ardentiori studio exquireretur hisce potissimum temporibus queis abundante malitia charitas frigescit, et de innocentia deperdita verae poenitentiae fructus ut plurimum desiderantur. Haec singula animo volventes Eminentissimi, et Reverendissimi nonnulli Antistites, ac Religiosorum Ordinum Praesules, ad propellendam impendentium malorum colluviem non parum conducere existimarunt erga inclytum hunc Sanctum majorem in dies religionem, ac pietatem promovere, ac proinde humillimis precibus Sanctissimum Dominum Nostrum Gregorium XVI. Pontificem Maximum adeuntes, enixe rogarunt, ut per Generale Decretum extendere dignaretur, Officium, et Missam in honorem Sancti Aloisii Gonzaga ad utrumque per Orbem Clerum, ac cujuscumque Ordinis Sanctimoniales ad Horas Canonicas persolvendas adstrictas. Enixa hujusmodi vota peramanter excipiens Sanctissimus Dominus, pro eo, quo praestat erga Coelestes Patronos pietatis excitandae studio, ac animarum salutis promovendae zelo propria manu rescripsit: *Annuimus juxta petita*, ac proinde ad Sanctitatis Suae mentem per hoc Sacrorum Rituum Congregationis Generale Decretum edicitur, ut a Clero Saeculari, et Regulari, ipsis Sanctimonialibus comprehensis, per universum Orbem in posterum sub ritu duplicis minoris undecimo Kalendas Iulii, vel ea die impedita, prima, quae postea libera occurrat in honorem Sancti Aloysii Gonzagae Confessoris Officium cum Missa de praecepto persolvatur, juxta concessionem factam Clero Urbis, et quamplurium Dioecesum; servatis attamen Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 23. Julii 1842.

4797. PONTISCURVI.

Reverendissime Domine uti Frater.

Noverit profecto Amplitudo Tua Sodalitatem sub titulo quinque Plagarum Domini Nostri Iesu Christi, quae jamdiu quaestionem habet cum Alumnis Congregationis Doctrinae Christianae Civitatis Pontiscurvi circa publicam Supplicationem ducendam cum Simulacro Beatae Mariae Virginis Doloris gladio transfixae, ad hanc Sacram Rituum Congregationem recursum habuisse quatenus infirmaretur Decretum ab Amplitudine Tua supe re editum die 16. Mense Octobri anno superiore. Etsi Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis apud Quirinales Aedes subscripta die coadunati Decretum ipsum, vel confirmare, vel infirmare potuissent, ad compescendas tamen turmas Populi, quae devotionis praetextu non raro facilius excitantur, quaestionemque omnem radicitus dirimendam, satius duxerunt Amplitudini Tuae juxta mentem esse scribendum, quae nondum in propatulo est iis omnibus, qui in quaestione versantur: atque ab Amplitudine Tua expectant noscere quid sit in re agendum. Mens autem est, ut quoniam confirmatio asserti Decreti conciliare poterat odium in Patres Doctrinae Christianae, qui aliunde aestimationem omnem per se merentur, ac religionis spiritum remittere, sicuti e contrario ejusdem infirmatio Amplitudinis Tuae, uti meritissimi Praesulis auctoritatem minuere, quod omnino semper est cavendum, supra modum opportunius est omnia arbitrio, et prudentia committere, ut per conciliationis viam quantum in Domino fas est, curet animos emollire, eorumque piae petitioni ac voto pro viribus satisfacere, eo vel magis quod agatur de publica Supplicatione diversis diebus a diversis personis ducenda, dum una alteri nullius est

impedimenti, atque etiam modus praescribi valeret ducendi Supplicationem, quo nemo suspicetur contentionem aliquam inter partes invaluisse quoad solemniorem apparatum. Haec et similia, quae opportunas respiciunt dispositiones ad propositam conciliationem assequendam, Sacra Congregatio ejusdem Amplitudinis Tuae arbitrio remittit, et minime dubitat quin Administer Christi Domini, qui est auctor pacis, et amator charitatis nil intentatum relinquat ad praedictam concordiam plenissime assequendam.

Et Amplitudo Tua diu felix et incolumis vivat.

Reverendissimo Domino uti Fratri Episcopi Pontiscurvi.

Romae 24. Septembris 1842.

4798. MILITEN.

Collegiata in Ecclesia Sanctae Mariae Majoris Oppidi Montisleonis Dioecesis Militen. multi quum sint Canonicatus diversae erectionis, novissime Philippus Morsilli, dimissa Canonicali Praebenda, qua nonnullis ab hinc annis potiebatur, novam obtinuit vacantem per mortem Canonici Gregorii Giusti. In actu possessionis hujus novi Canonicatus sedem in Choro adivit, quam primitus ratione antianitatis obtinebat. Ut tempore Sacrae Functionis nulla in Populo admiratio, vel inter Clerum in Templo Dei dissensio obveniret, ne unus quidem ex Canonicis obstitit. Quum vero unusquisque penes Sacrarium se recepisset, illico Canonicus Morsilli fuit admonitus, se per novam possessionem occupare debere ultimum in Choro Stallum. Ille autem consiliis non acquiescens Sacrorum Rituum Congregationem adivit, quod per supplicem Libellum praestitit Capitulum pariter, et coram R. P. D. Secretario Kalendis Iunii anno vertente de more praesentibus Partibus, seu Procuratoribus deputatis sequens concordatum Dubium fuit suo tempore disputandum, nimirum. An sit locus dimissioni veteris Stalli, seu potius manutentioni in casu? Adventante demum disputationis momento, in Ordinariis scilicet Sacrorum Rituum Comitiis penes Quirinales Aedes subscripta die coactis, nullam pro se Canonicus Morsilli rationem attulit, immo nec Procurator pro defensione comparuit; sed quum Capitulum recensitae Collegiatae desideret quaestiones abrumpere, omnia ordinate componere, et sibi in posterum regulam juxtà alias praescribi, humillime Sacrorum Rituum Congregationem rogavit pro Dubii solutione. Et Eminentissimi, ac Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi, audita plena relatione ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinali Constantino Patrizj Urbis Vicario, et Ponente facta, attentis, consideratisque rationum momentis, omnibusque, quae ad facti speciem attinent mature libratis, rescribendum censuerunt, *Pro Informante* locum nimirum esse pro dimissione veteris Stalli.

Atque ita rescripserunt, ac servari mandarunt in Choro Collegiatae Ecclesiae Sanctae Mariae Majoris supradictae.

Die 24. Septembris 1842.

4799. SENOGALLIEN.

Capitulum Collegiatae Ecclesiae Montisbodii in Senogalliensi Dioecesi recenter erectum praeter Canonicos, tribus constat Dignitatibus, inter quas tertia est Praepositura, et actualis Praepositi Coadjutor est Sacerdos Ioannes Menchetti, qui dum Choro adest, absente Coadjuto, nullo obsistente, Praepositi Stallum occupat. Quaestio autem non levis inter eos est, dum assistit Choro praesente Praeposito Coadjuto: nonnulli siquidem opinantur sedere debere post Dignitatem dum alii autumant post omnes Canonicos. Ad litem legitime com-

ponendam humillimis datis precibus Sacrorum Rituum Congregationem rogarunt pro solutione sequentis Dubii nimirum: *An moderno Coadjutori Praepositi tertiae Dignitatis Collegiatae Ecclesiae Montisbodii, etiam praesente Coadiuto competat sedere in Choro post omnes Dignitates seu potius post omnes Canonicos?* Et Sacra Congregatio Ordinariis in Comitiis ad Qnirinales Aedes coadunata, percepta relatione ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinale Gabriele Ferretti Ponente facta, exquisitoque Voto alterius, ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis pandito, praeloque cuso, omnibus mature consideratis, riteque libratis rescribendum censuit: *Juxta Votum Magistri Caeremoniarum,* nimirum *affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.* Atque ita rescripsit, ac servari mandavit in supradicta Collegiata Ecclesia Montisbodii.

Die 24. Septembris 1842.

4800. MUTINEN.

Praeclarissimae Cathedralis Mutinensis Ecclesiae Dignitatibus et Canonicis sa: me: Clemens Papa XI. per Apostolicas Litteras in forma Brevis datas pridie Kalendas Octobris Anno 1713. indulsit, ut antiquo habitu Chorali dimisso, Rochettum cum suis manicis et Cappam magnam violaceam cum pellibus, tam intra, quam extra Ecclesiam, etiam in Processionibus, Funeralibus, et Functionibus publicis quibusvis anni temporibus, et juxta temporum opportunitatem etiam Rochettum solum, et sine Cappa deferre, et gestare illisque libere et licite uti perpetuo possent. Hujusmodi Indultum ex summa erga praedictam Ecclesiam, et Capitulum benevolentia concessum antiquitus, dissidii modo, et quaestionis non levis causa est. Dignitates siquidem, et Canonici autumant Rochettum, et Cappam gestare posse etiam in adsistendo Vesperis, Missaeque Pontificali, quae ab Episcopo celebrantur, nec non in aliis Pontificalibus Functionibus, et in omnibus solemnibus Supplicationibus, ne illa quidem excepta Sanctissimi Corporis Christi, ac eo magis in sententia simili persistunt, et usum conservare contendunt ob consuetudinem centenariam, et amplius introductam, atque, uti asseritur pacifice servatam. Sed Reverendissimus Episcopus quum asserat istiusmodi perpetuum Cappae usum non tribui per supradictum Clementinum Indultum, immo potius adversari Legibus Caeremonialis Episcoporum, Decretisque alias latis, de communi consilio et consensu ad quaestionem componendam, remque omnem ordinate disponendam Sacrorum Rituum Congregationi sequens Dubium enodandum proposuerunt, nimirum *An vigore praedicti Indulti assertaeque centenariae consuetudinis Rochettum, et Cappam magnam tum in Pontificalibus, tum in solemnibus Supplicationibus, nulla excepta, gestare valeant Mutinenses Dignitates et Canonici, an potius Episcopi voluntati conformare se debeant?* Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Ordinariis in Comitiis penes Quirinales Aedes subscripta die coadunati percepta relatione ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinale Carolo Acton Ponente facta, omnibus mature consideratis, accurateque libratis exquisitoque Voto ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto pandito, praeloque cuso, rescribendum censuerunt: *Juxta Votum Magistri Caeremoniarum,* nimirum *Dignitatibus et Canonicis Cathedralis Ecclesiae Mutinensis suffragari Clementinum Indultum quoad usum Cappae, et Rochetti in iis tantum Functionibus, pro quibus aliter non disponatur et a Caeremoniali Episcoporum et a Decretis Sacrae hujus Congregationis.*

Atque ita rescripserunt, et a praedicto Capitulo servari mandarunt.
Die 24. Septembris 1842.

4801. TERTII ORDINIS SANCTI FRANCISCI.

Quum Reverendissimus P. Procurator Generalis Tertii Ordinis Regularis Sancti Francisci Sacrorum Rituum Congregationem humillimis precibus rogarit, ut sequentia Dubia declarare dignaretur, nimirum

1. An die secunda Novembris fixe assignari possit, et ut in sede propria recitari aliquod Officium ritus duplicis?

2. An praetermitti possit Officium Dominicae infra Octavam Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi quacumque die de ea fieri contingat, ut reponi possit Officium ritus duplicis a propria sede translatum, addita vero IX. Lectione, et commemoratione ipsius Dominicae?

3. An in Communione Fidelibus ministranda, post Versum, *Panem de Coelo etc.* dici omnino debeant ante Orationem alii Versus, *Domine exaudi*, et *Dominus vobiscum?*

Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi ad Quirinale subsignata die coadunati, singulis maturo examine perpensis, ad relationem mei infrascripti Secretarii, respondendum censuerunt.

Ad I. *Negative juxta Rubricas et alia Decreta.*

Ad II. *Negative et juxta Decretum in Brixien. diei* 27. *Januarii* 1778. *solum quando in Sabbato occurrit dies XXX. Decembris, ac proinde fieri deberet de sexta die infra Octavam, reponi potest Officium duplex translatum attamen non exclusis commemorationibus quatuor Octavarum.*

Ad III. *Affirmative, ut praescribitur in Rituali Romano.*

Atque ita rescripserunt, ac servari mandarunt.
Die 24. Septembris 1842.

4802. LIMBURGEN.

Quum Reverendissimus Episcopus Herinensis Vicarius Apostolicus Vicariatus Limburgensis Sacrorum Rituum Congregationem humillimis precibus rogarit, ut declarare dignaretur Dubium, quod hisce terminis conceptum proposuit, nimirum utrum Dominica prima Septembris sit eadem pro Festo Sanctorum Angelorum Custodum, ac pro historia de Scriptura occurrente, quando nempe Kalendas Septembris antecedit? Sacra eadem Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunata ad relationem mei infrascripti Secretarii respondendum censuit: *Eam esse, quae incidit Kalendis Septembris, vel post eam diem.*
Die 24. Septembris 1842.

4803. NUCERINA.

Quum Sacerdos Natalis Bellocchj Parochus Ruris vulgo Serradica Dioecesis Nucerinae, praeter suam Parochialem Ecclesiam Deo in honorem Sancti Gregorii dicatam, uti Rector gubernare, etiam et praeesse debeat in vim canonicae institutionis alteri Ecclesiae, Ruris scilicet Sancti Paterniani; quumque anceps haereat, an teneatur etiam Sancti Paterniani Titularis Officium persolvere sub ritu Titularibus competenti, ac proinde Sacrorum Rituum Congregationem humillimis precibus de sententia requisierit; quum insimul rogarit, ut declarare dignaretur an in Missa Beatae Mariae Gratiarum, cujus sub titulo peculiare Festum instituitur in memorata Sancti Paterniani Ecclesia decimoseptimo Kalendas Januarii apponi debeant Hymnus Angelicus, et Symbolum Nicaenum?

Sacra eadem Rituum Congregatio in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die coadunata, omnibus maturo examine perpensis, ad relationem proprii Secretarii, rescribendum censuit : *Teneri ad Officium Sancti Paterniani Episcopi die XII. Julii : quoad peculiare Festum, et Officium in honorem Beatissimae Virginis Mariae Gratiarum exhibeat concessionis Apostolicae Indultum.*

Die 24. Septembris 1842.

4804. NEAPOLITAN.

Quum Sacerdos Ioseph Pignatelli Neapoli degens Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna declaratione insequentia proposuerit Dubia, nimirum

1. An Sacerdos seipsum signans cum Hostia, et Calice consecratis ante sumptionem Sanctissimi Sacramenti ad verba, - Iesu Christi - debeat caput inclinare?

2. An Sacerdos post sumptionem Pretiosissimi Sanguinis debeat parumper immorari in adoratione prout fit post sumptionem Sacrae Hostiae?

3. An Sacerdos pergens ad explendam Communionem extra Missam debeat per se, vel per Ministrum deferre Bursam, in qua Corporale, recluditur?

4. An Sacerdos celebrans ad Altare, in quo Sanctissimum Sacramentum expositum est, quoties in Missa dicenda sunt verba - Flectamus genua - debeat genuflectere erga Sanctissimum Sacramentum, an vero more solito?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subsignata die in Ordinariis Comitiis coadunata, ad relationem subscripti Secretarii, omnibus mature perpensis, rescribendum censuit.

Ad I. *Affirmative juxta Rubricas.*

Ad II. *Serventur Rubricae.*

Ad III. *Decere ut a Sacerdote deferatur.*

Ad IV. *Exquiratur Votum Magistri Caeremoniarum.*

Atque ita rescripsit. Die 24. Septembris 1842.

4805. SILVADUCEN.

Quuamplures Parochiales Ecclesiae Vicariatus Silvaducen. in Hollandia ex Apostolicis Indultis Altare Privilegiato cohonestatas fuisse comperiens hodiernus Vicarius Apostolicus illud insuper animadvertit; quod in Precibus expressum non fuerit Altaria ipsa non esse fixa, quod in hujusmodi concessionibus omnino requiritur; ac proinde de hac substantiali omissione Sacram Congregationem de Propaganda Fide certiorem reddens, Apostolicum efflagitavit Indultum, ut memoratae hujusmodi concessiones ratae habeantur etiam pro Altare portatili in enunciatis Ecclesiis donec Altaria fixa erigantur. Hujusmodi precibus Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo relatis per R. P. D. Ioannem Brunelli enunciatae Congregationis de Propaganda Fide a Secretis, Sanctitas Sua mandavit ut sententia Sacrorum Rituum Congregationis exquireretur, ac proinde a me subscripto ejusdem Sacrorum Rituum Congregationis Secretario iterata relatione, Sanctitas Sua de speciali gratia rescribendum edixit : *Gaudeant adhuc concesso Indulto ; dummodo quamprimum erigatur Altare fixum, cui adnexum esse debet Privilegium.* Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 17. Februarii 1843.

4806. ANICIEN.

Pro sua qua praestat sollicitudine in rite, ordinateque explendis iis omnibus, quae pastorale munus respiciunt Sacrorum Rituum Congregationem efflagitavit Reverendissimus Anicien. Episcopus, ut sua auctoritate declarare digna-

retur, utrum in Ordinatione Presbyteri extensio manus tam Episcopi quam Sacerdotum praescripta a Pontificali fieri debeat non tantum intra haec verba: *Oremus fratres dilectissimi*, usque ad *Flectamus genua*, sed etiam post genuflexionem intra Orationem, quae incipit, *Exaudi nos*, usque ad Praefationem, ita ut genuflexio interrumpat tantummodo, non autem cessare faciat illam. Ratio dubitandi pro sententia affirmativa fundatur: primo, quia nonnisi post absolutam Orationem, *Exaudi nos*, praescribitur alius manuum habitus, unde usque tunc perseverare debet praecedens: secundo, quia si haec extensio manuum sit materia, et Oratio, *Exaudi nos*, forma, ut volunt quidam, inter quos Sanctus a Ligorio, decet utramque simul coexistere: tertio, quia ita expresse et formiter animadvertit, et docet Reverendissimus Episcopus Bellicensis in suo Rituali recens edito *tom.* 1. *de Sacr. Ordinat. Sect.* 3. nixus tum Canoni III. Concilii Carthaginensis IV., tum Sacramentario Sancti Gregorii Magni, tum Commentario Catalani in Pontificale *tom.* 1. *pag.* 130. quarto, quia praxis contraria, si existat, nihil probaret utpote de re non necessaria absolute, sed congrua tantum, in qua ex infirmitate humana irrepere potest error: quinto, quia passim in Liturgia genuflexio interrumpit praecedentem manuum habitum, sed non cessare facit, ve: gr: in Evangelio, in Collectis Feria VI. in Parasceve.

Pro sententia autem negativa, quia, ut queritur idem Episcopus saepe fit aliter.

Et Sacra eadem Congregatio Ordinariis in Comitiis apud Quirinales Aedes coadunata die 24. Septembris superiore Anno 1842. audita relatione a me infrascripto Secretario facta, rescribendum censuit: *Ponatur in Folio exquisito Voto Magistri Caeremoniarum.* Quod quum factum fuerit, omnibus praelo cusis in altero Ordinario Coetu infrascripta die habito ad Vaticanas Aedes Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi ad relationem Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Constantini Patrizj Urbis Vicarii, et Ponentis, omnibus rite, matureque libratis, etiam quoad expositas dubitandi rationes, uti fuse in Voto exprimuntur, rescribendum censuerunt: *Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, nimirum in Ordinatione Presbyterorum praxim servandam esse Ecclesiae Romanae, quae manus Ordinandis imponit in prima tantum Oratione*: OREMUS FRATRES CHARISSIMI.

Atque ita rescripserunt, ac servari mandarunt.

Die 18. Februarii 1843.

4807. ANICIEN.

Ut in Pastorali suo munere exequendo Reverendissimus Anicien. Episcopus ea, qua decet, erga hanc Sanctam Apostolicam Sedem incedat, Sacrorum Rituum Congregationem humillime requisivit, ut declarare dignaretur quid reapse intelligatur pro Festis de praecepto, in quibus Ordinationes extra Tempora expleri debent ab Episcopis, qui hac facultate pollent, et per consequens an sibi liceat Ordinationem Clericorum perficere in Festo Sancti Ioannis Apostoli, et Evangelistae, etsi in Gallia Festum istud non sit amplius de praecepto? Humillimis hisce precibus per me infrascriptum Secretarium relatis in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis, Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, memores de Anno 1831. pridie Idus Novembris Sacram ipsam Congregationem in una Marsorum ad Dubium primum edixisse, Ordines Sacros conferri posse in diebus Aposto-

lorum, caeterisque per Apostolicam Sedem abrogatis, ac in iisdem Festis, verum de mane tantum conferri etiam posse Ordines Minores, precibus memorati Episcopi Anicien. rescribendum censuerunt: *Detur Decretum in una Marsorum diei* 12. *Novembris* 1831. *ad Dubium primum.*

Die 18. Februarii 1843.

4808. BRUGEN.

Quum Eminentissimus, et Reverendissimus D. Cardinalis Caprara a Latere Legatus in Galliis in eo esset ut exequutioni mandaret quae a sa: me: Pio Papa VII. per Litteras Apostolicas in forma Brevis praescribebantur quoad Paroeciarum circumscriptionem, Archiepiscopis et Episcopis facultatem attribuit Paroecias ipsas extendendi, nec non eorum titulos extinguendi, ac tandem novos titulos assignandi Ecclesiis, quae in paroecias erant erigendae. Hujusmodi facultate suffultus tunc temporis Gandaven. Episcopus, cui suberat Ecclesia loci Sancti Andreae, praefatam Ecclesiam in Succursalem erexit illique in Patronum Titularem Sanctum ipsum Andream assignavit. Verum quum Rector supradictae Ecclesiae, quae in praesentiarum ad Dioecesim Brugensem spectat, apud Reverendissimum Brugen. Episcopum indubie comprobarit Ecclesiam ipsam ab immemorabili Patronam Titularem venerasse Sanctam Annam Dei Genitricis Matrem, atque insimul exposuerit commune votum Incolarum esse hanc ipsam Sanctam, ut antea, propriae Ecclesiae Titularem habere, Reverendissimus ille Antistes, pro ea, qua praestat religione, et erga hanc Sanctam Apostolicam Sedem obsequio, Sacrorum Rituum Congregationem humillime requisivit

1. Utrum semel assignato Titulari Patrono alicui Ecclesiae, liceat Episcopo rationabili ex caussa illum in alium immutare?

2. Et quatenus negative, enixe efflagitat, ut ex Apostolico Indulto haec sibi facultas in casu elargiatur.

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, omnibus maturo examine perpensis, ad relationem mei infrascripti Secretarii respondendum censuit

Ad I. *Non licere.*

Ad II. *Pro gratia assumendi Sanctam Annam in Contitularem cum Sancto Andrea Apostolo facto verbo cum Sanctissimo.* Die 18. Februarii 1843.

Super quibus omnibus facta postmodum per me Secretarium ipsius Sacrorum Rituum Congregationis Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papae XVI. fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis in omnibus adprobavit, confirmavitque. Die 11. Martii 1843.

4809. CERINOLIEN.

Reverendissime Domine uti Frater.

Supplex Libellus Capituli istius Cerinolien. Civitatis, super quem Amplitudo Tua ab hac Sacra Rituum Congregatione requisita suum Votum emisit undecimo Kalendas Novembris anno superiore, expetentis nonnulla nova Officia inserenda in Kalendario Patriarchalis Basilicae Lateranensis Urbis, quod in recitatione Horarum Canonicarum de speciali Indulto sequitur, relatus fuit in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes subscripta die coactis. Omnibus mature perpensis Eminentissimi, et Reverendissimi Patres in hoc communi sensu fuerunt, nimirum ut Amplitudini Tuae scriberetur, quatenus eidem Capitulo, liberum sit, vel uti privilegio, quo gaudet sine ulla prorsus additione, vel,

hoc dimisso, se conformare Kalendario Dioecesis, et ipsa Amplitudo Tua de speciali commissione eorumdem Eminentissimorum Patrum invigilet ut omnia plenae exequutioni mandentur. Et Amplitudo Tua diu felix et incolumis vivat.

Romae 18. Februarii 1843.

Reverendissimo Domino uti Fratri Episcopo Asculan. et Cerinolien.

4810. CENOMANEN.

Dum Reverendissimus Cenomanen. Episcopus in id potissimum intendit ut pastoralis sibi commissi muneris partes omnes expleat ea qua par est sedulitate, ac vigilantia, reperit in universa sua Dioecesi permultas vivificae Crucis Domini Nostri Iesu Christi Reliquias, quae quamvis vix sensibiles sint, attamen in Crucibus vel argenteis, vel deauratis occluduntur, ac Fidelium venerationi publice exponuntur ferme ut Sanctissimum Sacramentum ac cum iisdem solemniter benedictio impertitur more pro benedictione Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti usitato, attamen praecipuis in honorem Sanctissimae Crucis precibus adhibitis. Quae singula dum serio perpendit Episcopus Orator, ac juxta sancita a Sacrosancto Concilio Tridentino Sessione XXV. tit. *de invocatione, veneratione, et Reliquiis Sanctorum,* in earumdum recognitione, et approbatione invigilat, pro sua Dioecesi circa memoratarum Reliquiarum cultum certas indubiasque leges praefinire exoptat ab omnibus in re non exigui certe momenti religiose servandus. Hinc Sacrorum Rituum Congregationem humillimis precibus adiens, enixe rogavit, ut quidquid hac ipsa in re alias definitum fuit indigitare dignaretur. Enixis hujusmodi precibus per me infrascriptum Secretarium relatis in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: *Dentur Decreta super re edita,* ac proinde declararunt cum Reliquia Sanctissimae Crucis benedicendum esse Populum dum ea reponi debet in custodia postquam processionaliter delata fuit, aut publicae venerationi exposita, sicuti decretum fuit in una Brixien. decimoseptimo Kalendas Octobris 1736. ad Dubium I. et successive in una Dubiorum pridie Kalendas Junii 1817. ad Dubium XII. illud etiam definitur quod benedictio isthaec semper sit impertienda, etiam si Sacerdos, qui Functionem explet non sit Canonicus, nam haec ipsa Dubia proponebantur nomine Capituli unius Cathedralis Ecclesiae: in una vero Lucionen. decimo Kalendas Julii 1835. ad Dubium III. in actu talis benedictionis omnino interdicitur cantus cujuscumque Versus, vel Precis, uti jamdiu cantus iste fuerat interdictus etiam in benedictione cum Sanctissimo Sacramento in una Caputaquen. quinto Idus Februarii 1762. Quoad autem hanc Processionem cum vivificae Crucis Ligno Sacra Rituum Congregatio septimo Kalendas Septembris 1752. in una Gadicen. declaravit licitum esse hanc Sacrosanctam Reliquiam capite detecto deferre etiam sub Baldachino, incensantibus duobus Thuriferariis, verum his tantum in locis, ubi adest immemorabilis consuetudo. Quod spectat vero ad incensationem Reliquiae Sanctissimae Crucis sancitum fuit in Brixiensi superius enunciata ad Dubium secundum et in Mutinen. diei 23. Septembris 1837. ad Dubium XIV. quaest. 1. hanc fieri debere a Sacerdote non genuflexo sed stante etiam feria sexta in Parasceve; et in ipsa Brixien. ad Dubium tertium illud fuit etiam decretum quod Capitulum et Clerus transeundo processionaliter ante Altare, in quo Sanctissimae Crucis Reliquia reconditur haud genuflectere debeat. Verum si loco principe Reliquia Sanctissimae Crucis super Altare fuerit exposita, tunc transeuntes ante

illam, uti decretum fuit in una Varsalien. Nonis Martii 1746. unico genu usque ad terram flexo venerare debent; diversimode vero sola capitis inclinatione si praefata Reliquia recondita sit in custodia. Insuper in Missa coram Sacratissimae Crucis Ligno palam exposito in eadem Lucionen. decimo Kalendas Iunii 1835. ad Dubium primum edicitur Caeremonias omnino differre debere ab iis quae adhiberi solent coram Sanctissimo Sacramento publicae Fidelium venerationi exposito; nam in casu coram Reliquia Sanctissimae Crucis genuflectendum est tantum in accessu, et recessu ab Altare, et quoties Sacerdos transit per medium Altaris, seu de latere ad latus ut in incensatione: atque ibidem ad Dubium secundum definitur necesse non esse in hac expositione, ut qui in Choro stant habeant caput detectum, quod omnino requiritur coram Sanctissimo Sacramento palam exposito, neque ut in transitu genuflectant utroque, sed tantum unico genu. Quod si agatur de expositione Reliquiae Sanctissimae Crucis Feria VI. in Parasceve, Sacra Congregatio in eadem Mutinen. diei 23. Septembris 1837. declaravit servandam esse vigentem consuetudinem tum quoad colorem Pluvialis et Veli humeralis in benedictione; tum quoad modum recitandi Orationem, *Respice quaesumus Domine*, a Sacerdote vel genuflexo vel stante; tum quoad admittendos Fideles ad osculum hujus Sacratissimae Reliquiae: tum demum quoad Sacros Ministros Diaconum nimirum, et Subdiaconum accedentes ad adorationem Sanctissimae Crucis, siquidem necesse non est ut et ipsi calceamenta deponant. In Generali tandem Decreto a Sacra Rituum Congregatione pridie Nonas Maji 1826. lato, et a sa: me: Leone Papa XII. confirmato sexto Kalendas Iunii ejusdem Anni, dum admittitur, seu toleratur consuetudo deferendi in Processionibus sub Baldachino Reliquiam Sanctissimae Crucis, id edicitur omnino, ut Reliquia ista seorsim a Reliquiis Sanctorum custodiatur in Reliquiario, atque stricte praecipitur Ordinariis Locorum, ut eliminandis hac etiam in re singulis abusibus serio incumbant, Decreti ipsius observantiam solertissime urgeant, ac pro viribus adlaborent ne deinceps cum Sanctorum Reliquiis in eadem Theca Lignum Sanctissimae Crucis occlusum permaneat.

Haec quae a Sacra Rituum Congregatione hucusque circa cultum, et venerationem Reliquiarum Sanctissimae Crucis Servatoris Nostri Iesu decreta stabilita, vel per modum, generalis regulae tradita fuere, et communiter in Ecclesiis Urbis servantur, ad mentem Sacrae ejusdem Congregationis summatim communicantur Reverendissimo Episcopo Cenomanen. ut ea prae oculis habeat in efformanda pro sua Dioecesi regula in cultu et veneratione ipsius Sanctissimae Crucis Reliquiae servanda.

Die 18. Februarii 1843.

4811. CLERICORUM REGULARIUM CONGREGATIONIS SOMASCHAE.

Etsi Generali Decreto de Anno 1834. sexto Kalendas Maii Sacrorum Rituum Congregatio certas statuerit leges quoad Breviaria, Missalia, Officia parva Beatae Mariae Virginis, Officia Hebdomadae majoris, aliaque hujus generis, quae ab anno praesertim 1788. ac deinceps praelo fuerunt commissa, quin praeseferant Ordinariorum Attestationes, queis declaretur in cusione servatas fuisse regulas in Bullis Summorum Pontificum Romanorum Sancti Pii V., Clementis VIII., et Urbani VIII. indictas et in suo robore plenissime perseverantes, atque insimul commendatum maxime fuerit iisdem Reverendissimis Locorum Ordinariis ut in posterum pro suo munere invigilarent, ut Bullae ipsa ac

subsequentia Decreta omnino servarentur in hujusmodi Librorum cusione; attamen pro parte Reverendissimi Patris Procuratoris Generalis Clericorum Regularium Congregationis Somaschae duo haec Dubia pro opportuna solutione exhibita fuere eidem Sacrae Rituum Congregationi, nimirum

1. An liceat uti Breviariis, Missalibus, aliisque hujus generis Sacris Libris, qui non praeseferunt requisitas a Pontificiis Constitutionibus Ordinariorum attestationes, perinde ac si per perscriptionem in contrarium memoratae Constitutiones censeri debeant non amplius in suo robore permanentes?

2. An enunciatis Breviariis, Missalibus, aliisque hujus generis Libris licite quis uti possit, si Ordinarii Locorum praevia revisione a se instituta declarent eosdem plene concordare cum aliis Romae cusis, et de more revisis, et adprobatis?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinario Coetu, audita relatione a me subscripto Secretario, perpendens in memorato Generali Decreto utrumque Dubium contemplatum fuisse, quin ipsis directe satisfaceret, rescribendum edixit: *Servetur Generale Decretum diei* 26. *Aprilis* 1834. Die 18. Februarii 1843.

4812. FLORENTIN.

Quum in Ecclèsia Sanctae Mariae a Jesu nuncupata in Oppido vulgo San Casciano in Val di Pesa intra fines Archidioecesis Florentin. ubi erecta reperitur Sodalitas Suffragii, dum pro defunctis in genere Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae Fidelium venerationi exponitur, ante benedictionem et *Tantum ergo* recitatur Antiphona *Exultabunt* cum Psalmo *Miserere*, et in fine *Requiem aeternam* ac Oratione *Fidelium Deus*, vel *Deus veniae largitor*: quumque hujusmodi praxis ab aliquibus non adprobatur, immo etiam contradicatur, Sacerdos Joannes Baptista Borboni nomine etiam memoratae Sodalitatis Sacrorum Rituum Congregafionem humillime rogavit, ut quatenus ipsa praxis reapse sit interdicta, ipsam tamen confirmare dignaretur, aut tolerare saltem in memorata Ecclesia, nam Sodalitas ipsa in id potissimum intendit, ut piis exercitiis levamen obveniat animabus, quae piacularibus addictae flammis in Purgatorio cremantur. Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, perpendens de Anno 1828. decimo septimo Kalendas Januarii in una Volaterrana ad Dubium quintum sancitum fuisse hanc ipsam praxim, seu consuetudinem, quatenus revera existat, tolerandam esse, referente me subscripto Secretario, respondendum censuit: *Servetur Decretum in Volaterran. diei* 16. *Decembris* 1828. *ad Dubium V.*

Die 18. Februarii 1843.

4813. PONTISCURVI.

Reverendissime Domine uti Frater.

Novissimis iu Ordinariis Comitiis Sacrorum Rituum Congregationis habitis septimo Kalendas Octobris Anno superiore, dum proponeretur quaestio orta inter Alumnos Congregationis Doctrinae Christianae Civitatis Pontiscurvi, et Sodalitatem quinque Plagarum Domini Nostri Jesu Christi quoad publicam supplicationem Beatae Mariae Virginis doloris gladio transfixae ducendam, Eminentissimi, et Reverendissimi Patres quin aliquid super re decernerent, satius duxerunt mentem Amplitudini Tuae confidenter aperire, atque ad capessendas turbas insinuare, ut pro tuo arbitrio, et prudentia in vim conciliationis statueres diem diversum pro ducenda supradicta supplicatione recensitis Alumnis et

Sodalitati. Etsi longum jam tempus effluxerit, quo commodius omnia statui jam poterant, Eminentissimi tamen Patres noverunt nihil actum esse usque in praesentem diem, proptereaque in his itidem Ordinariis Comitiis ad iteratas preces antedictae Sodalitatis communi in sententia fuerunt denuo per urgentiores scribendum esse Amplitudini Tuae, ut quaestionem omnem per methodum superioribus in Litteris expressam de medio tollas quam citissime. Quod si innotuerit controversiarum perseverantia, hoc sequentibus in Comitiis prout de jure secundum acta et probata ab ipsa Sacra Congregatione per se componentur. Et Amplitudo Tua diu felix, et incolumis vivat.

Romae 18. Februarii 1843.

Reverendissimo D. uti Fratri Episcopo Pontiscurvi, Aquinaten., et Soran.

4814. EUGUBIN.

Quum Deputati Piae Unionis Propagationis Fidei Civitatis Eugubinae Sacrorum Rituum Congregationem enixe rogarint, ut declarare dignaretur num in Ecclesia ubi memorata Sodalitas erecta reperitur, deinceps Festum Sancti Francisci Xaverii ceu Patroni ipsius Unionis institui queat sub ritu duplicis primae Classis cum Symbolo Nicaeno in Missa; Sacra Congregatio rescripsit: *Negative.* Die 18. Februarii 1843.

4815. ANAGNIN.

Precibus Sacerdotis Antonii Sibilia Canonici Cathedralis Anagninae, et in praesentiarum Vicarii Generalis in Civitate Ferentina exquirentis ut Insignia concessa Capitulo Cathedralis Anagninae gestare etiam valeat dum Choro assistit in memorata Civitate Ferentina, Sacra Congregatio rescripsit: *Juxta alias decreta incedere debere in habitu Vicariali.*

Die 18. Februarii 1843.

4816. NEAPOLITAN.

Quum Sacerdos Joseph Pignatelli Neapoli degens Sacrorum Rituum Congregationem humillime rogarit ut declarare dignaretur, an quando Missa celebratur in Altare, in quo publicae Fidelium venerationi est expositum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, et in Missa ipsa dicendum occurrit: *Flectamus genua:* genuflexio isthaec fieri debeat erga Sanctissimum Sacramentum, an vero more solito ante Missale, ut a Rubrica praescribitur? quumque Sacra Congregatio in Ordinario Coetu ad Quirinale habita octavo Kalendas Octobris superioris Anni 1842. edixerit, ut in re exquireretur Votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, iterum proposita instantia in novis Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi ad relationem mei subscripti Secretarii respondendum censuerunt: *Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, nimirum in casu nihil innovandum, ac servandas Rubricas generales titulo de Oratione num. IV.* Atque ita servandum mandarunt.

Die 18. Februarii 1843.

4817. HISPALEN.

Summa genuum debilitate ob non firmam valetudinem diu laborans Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Archiepiscopus Hispalen. ab hac Sancta Apostolica Sede speciale Indultum obtinuit Sacrum faciendi continuo sedendo. Verum maxime percupiens necessitatibus suae Archidioecesis accurrere, quae urgentiores evadunt ob frequentes vicissitudines, quae Hispaniarum Regnum modo perturbant praesertim ob Episcoporum pene omnium deficientiam

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papae XVI. humillme supplicavit pro extensione Indulti, conferendi nimirum Sacros Ordines, et conficiendi Sacra Olea Feria quinta in Coena Domini etiam pari modo sedendo. Sanctitas Sua preces ad Sacrorum Rituum Congregationem remisit, quae exquisito prius Voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, in Ordinariis Comitiis apud Vaticanas Aedes subscripta die coadunatis, ad relationem mei subscripti Secretarii, rescribendum censuit: *In casu de quo agitur, attentis peculiaribus gravissimis circumstantiis, iisdemque perdurantibus, annui potest de speciali gratia, dummodo privatim fiant Ordinationes et Benedictiones Oleorum Feria quinta in Coena Domini cum assistentia trium saltem Sacerdotum, facto verbo cum Sanctissimo.* Die 18. Februarii 1843.

Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo per me subscriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua, benigne annuit de speciali gratia nulla umquam tempore in exemplum afferenda.

Die 11. Martii ejusdem Anni 1843.

4818. ORDINIS EXCALCEATORUM SANCTISSIMAE TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIVORUM.

Non abs re, et cum quadam diligentia advertit R. P. Fr. Joannes Baptista a Conceptione, Procurator Generalis Ordinis Excalceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, inter sui Instituti Alumnos, etsi a remotissimis temporibus, nonnulla in usu esse, quae Legibus Sacrorum Rituum Congregationis adversari videntur, et quum maxime curet ut Ecclesiasticae sanctiones accurate serventur, Sacrae eidem Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum

1. I Trinitarj Scalzi avendo per regola che tutte le loro Chiese siano intitolate, e portino il titolo della Santissima Trinità, ne'suffragj communi de'Santi non fanno commemorazione di altro Santo Titolare, quantunque qualche Chiesa particolare lo abbia come questa di San Carlo alle quattro Fontane. Si desidera perciò di sapere, se debba farsi, come sembra doversi fare dal Decreto della Sacra Congregazione de'Riti dei 16. Febbraro 1781. ai Dubbj 21.22. e 23.?

2. Di più fanno commemorazione nei Suffragj dei loro Santi Fondatori, con queste Antifone, ed Orazioni: Ad Vesperas. Antiph. Laudemus viros gloriosos, et Patriarchas nostros in generationibus suis. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. ℣. Exultent justi in conspectu Dei. ℟. Et delectentur in laetitia. Ad Laudes Antiph. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando revertatur a nuptiis. ℣. Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt. ℟. Vivent nomina eorum in aeternum. Oratio. Deus qui nos per Sanctos Patres nostros Joannem et Felicem Ordinem Sanctissimae Trinitatis ad redimendum de potestate Saracenorum captivos, coelitus instituere dignatus es, praesta quaesumus, ut eorum snffragantibus meritis, a captivitate corporis et animae liberemur: E non trovano la concessione Apostolica: senza dubbio hanno ciò pratticato col solo appoggio dalla dottrina del P. Gavanto, come apparisce dalle Rubriche degli Officii dell'Ordine. Desiderano sapere se possono continuare, altrimenti ne dimandano l'Indulto.

3. Inoltre quando nella Messa si deve dire l'Orazione *A cunctis* si nominano in essa i detti Santi Patriarchi in tutte le Chiese dell'Ordine, essendo

stampata la detta Orazione con la Secreta et Postcommunio coi nomi di detti Santi invece del N. - atque beatis Patribus nostris Joanne, et Felice - E quando secondo la concessione della sa: me: d'Innocenzo XI. dei 2. Ottobre 1683. si fà l'Officio ebdomadario di uno di detti Santi, e nella Messa deve dirsi la detta Orazione: *A cunctis:* nel Messale dell'Ordine così si legge - ubi dicitur atque beatis Patribus nostris Joanne et Felice, omittuntur haec verba dum de aliquo ex eis dicitur Missa, et loco eorum dicitur in Hispania, atque beato Jacobo, extra Hispaniam vero, atque beata Agnete (è la Protettrice principale dell'Ordine) nisi forte sit alius Patronus, de quo facta fuerit commemoratio in Officio - Ciò sembra contrario al Decreto della Sacra Congregazione de' Riti dei 26. Gennaro 1793. ad Dubium 15. Onde si desiderarebbe, che almeno in quelle Chiese dell'Ordine, le quali non hanno altro Titolare, che la Santissima Trinità, o qualche altro Mistero, o la Madonna Santissima si potessero nominare i Santi Fondatori nell'Orazione: *A cunctis:* e quando si fà l'Officio ebdomadario di uno di essi, si possa fare come sopra si è accennato.

4. Finalmente nel giorno 14. di Novembre si fà la commemorazione di tutti i defonti dell'Ordine, e si canta la prima Messa, come nel giorno de'fedeli defonti coll'Orazione - Deus veniae largitor .... ut nostrae Congregationis fratres, qui ex hoc saeculo transierunt - Sembra quest'uso contrario al Decreto della Sacra Congregazione de'Riti dei 9. Decembre 1719. ad 1. Si domanda, se si può continuare, come si è pratticato finora, ovvero si debba cantare la Messa, come nell'Anniversario?

Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi, audita relatione ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinale Carolo Maria Pedicini Episcopo Portuen., Sanctae Rufinae, et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellario, et Sacrae eidem Congregationi Praefecto ac Ponente facta, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunatis, omnibus mature, accurateque consideratis, rescribendum censuere.

Ad 1. *Juxta Rubricas, et alias decreta non esse in suffragiis omittendam Sancti Titularis commemorationem.*

Ad 2. *De speciali gratia permitti posse, mutato vocabulo:* Patriarchas: in Patres: *in prima Antiphona.*

Ad 3. Quoad primam quaestionem *permitti posse, dummodo non omittatur Titularis Ecclesiae nomen:* quoad 2. *In Officio hebdomadario servandam esse consuetudinem, si constet de Indulto:* quoad 3. *Servetur Decretum in Assisien. diei* 15. *Maji* 1819.

Ad 4. *Serventur Rubricae, et alias decreta.*

Atque ita rescripserunt, ac servari mandarunt in supradicto Ordine.

Die 17. Junii 1843.

4819. SYRACUSANA.

Augustae, quae Civitas extat in Dioecesi Syracusana non sine exiguo Fidelium praesertim infirmorum dispendio, ad Annum usque 1718. unica erat Parochialis Ecclesia, ac uni eidemque Parocho Animarum cura committebatur; cui meliori modo procurandae tunc primo Sanctae Mariae Paroecia dismembrata, altera Sancti Sebastiani constituta fuit, adeout utriusque Ecclesiae Parochus in sui muneris officiis explendis, alter ab altero omnino non dependeret. Novissime, Anno nimirum 1821. Ecclesia Matrix Sanctae Mariae de benignitate hujus Sanctae Sedis Apostolicae Capitulo Collegiatae fuit cohonestata, quae

dum jure privilegiorum, et juxta invectam praxim, communemque consuetudinem debita sibi praecedentia pacifica fruebatur, restitit hodiernus Parochus Ecclesiae Sancti Sebastiani Sacerdos Sebastianus Pignato, et Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicavit, ut juxta proprium placitum, et expositum provideretur. Exquisitis propterea illius Vicarii Capitularis Sede Syracusana vacante Informatione, et Voto, et juxta adjectam legem coactis tum Collegiatae Capitulo, tum recensito Parocho ad sua jura in scriptis penes ipsam Sacram Congregationem deducenda, ad certa capita summatim singulae controversiae perstrictae sunt, atque insequentia enodanda Dubia ad utriusque preces proposita fuere, nimirum

1. An Capitulo Collegiatae Ecclesiae Civitatis Augustae aliquod jus competat in Parochiali Ecclesia Sancti Sebastiani Civitatis ipsius, adeo ut Parochus ipse Sancti Sebastiani in Ecclesiasticis Functionibus, et Parochialibus muniis explendis sit aliqua ratione eidem Capitulo subjectus?

2. An eidem Capitulo collegialiter incedenti in generalibus Processionibus praecedentia competat super Parochum Ecclesiae S. Sebastiani?

3. Cui debeatur praecedentia in incessu per vias occasione associandi Funus, an Capitulo Collegiatae collegialiter intervenienti, vel Parocho ipsius defuncti?

4. An in Funeribus et Processionibus unica est erigenda Crux Capituli Collegiatae in casu, ita ut omnes associantes funus, ac etiam Parochus Sancti Sebastiani sub hac ipsa unica Cruce incedere debeant?

Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi in Ordinario Coetu apud Vaticanas Aedes subscripta die coadunati, audita relatione ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinale Gabriele Ferretti Ponente facta, omnibus mature consideratis, riteque libratis, rescribendum censuerunt: *Juxta Votum Magistri Caeremoniarum*: nimirum

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Affirmative juxta alias decreta.*

Ad 3. *Capitulo Collegiatae dummodo sit vel a Parocho, vel ab haeredibus defuncti invitatum.*

Ad 4. *Unicam, ipsamque Collegiatae juxta Generale Decretum diei* 2. *Julii* 1661.

Atque ita rescripserunt, et in Civitate Augustae Syracusanae Dioecesis servari mandarunt.

Die 17. Junii 1843.

4820. FANEN.

Sacerdos Ignatius Rossi Cathedralis Ecclesiae Fanen. Caeremoniarum Magister Sacrorum Rituum Congregationi exposuit Episcopum quemdam de commissione proprii Ordinarii octavo Idus Novembris Anno superiore perfecisse consecrationem Ecclesiae Oppidi Sancti Georgii in eadem Dioecesi, qua in actione etiam si fuerint omnia rite peracta juxta Pontificalis Romani Rubricas, videtur tamen quamdam exceptionem pati posse Altare eodem actu consecratum, ex eo potissimum, quod ejusdem Mensa non ex integro lapide, sed ex parvis sex lapidibus ad formam unius unitis constructum est, ac insuper lignea corona Mensam hanc per gyrum devincit, et cum stipite conjungit; super qua Sacri Olei unctiones fuere peractae, sicuti, et in angulis Mensae separatorum lapidum. Hac ipsa in actione, et consecratione Ecclesiae, et Altaris iisdem cum formulis fuit etiam Altare Portatile consecratum, quod vulgo nuncupatur *Pietra Sacra*

ibidem apposito loco praeparatum , omisso omnino ritu proprio in Pontificali Romano praescripto titulo « De Altaris portatilis consecratione » Ex his itaque Caeremoniarus supradictus occasionem nactus est sequentia Dubia proponendi pro solutione, nimirum

1. An hoc Altare exposito modo constructum censendum sit consecratum?

2. Et quatenus negative quid de Ecclesiae consecratione sentiendum, quum ex Pontificali Romano nequeat sine consecratione Altaris Ecclesia consecrari?

3. Quid in posterum sit faciendum similibus in circumstantiis?

4. Utrum nec ne valida, et licita sit consecratio Altaris portatilis tali modo peracta?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitiis vertente Anno duodecimo Kalendas Martii coadunata , audita relatione a me infrascripto Secretario facta , rescribendum censuit « Ponatur in Folio , exquisito Voto Magistri Caeremoniarum.» Quo elaborato Typisque cuso, sequenti in Ordinario Coetu eodem loco coacto subscripta die , propositis supradictis Dubiis per Eminentissimum, et Reverendissimum Dominum Cardinalem Carolum Acton Relatorem , Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi , omnibus mature , riteque libratis rescribendum censuerunt : *Juxta Votum Magistri Caeremoniarum* : nimirum

Ad 1. *Reiterandam esse Altaris consecrationem , dummodo Mensa ex integro lapide constituatur alioquin si hoc commode fieri non possit , parvus lapis medius collocatus consecretur ad instar Altaris portatilis.*

Ad 2. *Ecclesiam fuisse rite consecratam.*

Ad 3. *Jam provisum in superioribus.*

Ad 4. *Affirmative pro hoc casu , dummodo una cum formulis omnia fuerint super hoc Altare peracta , sicuti praescribit Pontificale Romanum , et non afferatur in exemplum.*

Atque ita rescripserunt , ac omnino servari mandarunt.

Die 17. Junii 1843.

4821. SPOLETAN.

Collegiata in Ecclesia Sancti Aemiliani Trebii Spoletanae Archidioecesis in Divinis inservit Canonicorum Collegium una cum tribus Dignitatibus, sed diversae erectionis; nam Prior Canonicorum, qui primum inter Dignitates locum obtinet, antiquiorem, seu primam erectionem agnoscit, reliquae Dignitates Archipresbyter videlicet, et Archidiaconus ad recentiorum, seu secundam erectionem pertinent, quae Flaminium Renzi auctorem habet, qui Anno 1712. bona sua Testamento eisdem assignavit, et ideo a Fundatore suo Beneficia Renzi nomen accipiunt. Hoc ordine dum Sacris intersunt Dignitates, et Canonici praecedunt. Primum locum occupat Prior Canonicorum, secundum Archipresbyter, tertium Archidiaconus, reliqua reliqui Canonici habita ratione ad possessionis, vel erectionis antiquitatem, sicuti hac ipsa de caussa Archipresbyter et Archidiaconus alter alteri succedit, ita ut vacante Archipresbyteratu, Archidiaconus, vacante vero Archidiacono, Archiprebyter ad dignorem locum accedat. Novissime hodiernus Archipresbyter, qui primus est inter Dignitates secundae creationis, Coadjutorem obtinuit, qui actu possessionis sedit in loco Archipresbyteri Coadjuti. Paucis post diebus Coadjutor a Stallo remotus ex Decreto Reverendissimi Archiepiscopi Spoletani, eidem locus post omnes Dignitates fuit assignatus, instante Archidiacono sibi primum locum vindicante. Archipresbyter

autem Coadjutor putans praejudicium sibi illatum fuisse supplex hanc Sacram Rituum Congregationem adivit, expostulans Stalli manutentionem vi possessionis acquisiti. Preces ad Reverendissimum Archiepiscopum Spoletanum de more remissae fuere, qui Capituli suffragiis requisitis, censuit pro Archipresbytero Coadjutore informandum. Archidiaconus e contra ut cognovit ab hujusmodi precibus, et informatione damnum sibi posse parari, ad sua, suorumque Successorum jura tuenda, ab ipsa Sacra Congregatione quaesivit, ut ante solutionem Dubii, quod Archipresbyter proposuerat, exhibita a se monumenta, novaque Reverendissimi Archiepiscopi Informatio horum intuitu data examini pariter subiicerentur. Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi in Ordinario Coetu coacto apud Vaticanas Aedes nono Kalendas Octobris superiore Anno, audita relatione ab me subscripto Secretario facta, omnibus mature consideratis, rescribendum censuere: *Ponatur in Folio exquisito Voto Magistri Caeremoniarum.* Hujusmodi vero Votum summa diligentia perpensisque omnibus rationum momentis ab utraque parte oblatis elaboratum quum fuerit, praeloque cusum, ut singulis praesto esset, in altero Ordinario ejusdem Sacrae Congregationis Coetu, eodem in loco coadunato, proposito per Eminentissimum, et Reverendissimum D. Cardinalem Cosimum De Corsi Ponentem jure praecedendi in Choro Collegiatae Ecclesiae Trebii inter Archipresbyterum Coadjutorem, et Archidiaconum, Eminentissimi et Revendissimi Patres omnibus mature, riteque libratis rescribendum censuerunt: *Juxta Votum Magistri Caeremoniarum,* nimirum: *Inter Archipresbyterum et Archidiaconum Ecclesiae Collegiatae Sancti Aemiliani Trebii praecedentiam pro antiquitate possessionis servandam esse, et Coadjutores Dignitatum sedere debere post omnes Dignitates.*

Atque ita rescripserunt, ac servari mandarunt in eadem Collegiata Ecclesia. Die 17. Junii 1843.

4822. VITERBIEN.

Quum Sacerdos Bartholomaeus Bonanni hodiernus Parochus Ecclesiae Sanctae Mariae Novae Viterbien. Civitatis comperiat inter Parochos Viterbienses diversas circumferri opiniones quoad Missas de Requie in die depositionis defuncti, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia duo Dubia proposuit pro opportuna solutione, nimirum

1. An Parochus celebrare possit sine cantu Missam lectam de Requie in Dominicis, et duplicibus secundae Classis, nec non in Feriis secunda et tertia Pentecosten praesente Cadavere, et conficere possit exequias?

2. An dum legitur in Decretis Sacrorum Rituum Congregationis: Missa solemnis de Requie, intelligi debeat Missa lecta Parochi, seu potius intelligi debeat Missa cantata?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente me subscripto Secretario, omnibus mature perpensis, respondendum censuit.

Ad 1. *Negative juxta alias decreta.*

Ad 2. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Atque ita rescripsit. Die 17. Junii 1843.

4823. LUCANA.

Perill. et Reverendissime Domine uti Frater.

Fideles, qui Territorium incolunt in Plano Paroeciae Sancti Macarii istius

Archidioecesis supplicarunt, quatenus ab hac Sancta Apostolica Sede facultas sibi daretur et potestas aperiendi, et Divino Cultui idoneam reddendi Ecclesiam de novo ab ipsis cum eleemosynis excitatam a fundamentis loco alterius multis ab hinc annis devenditae, ne senes praesertim, lactentes, parvuli et adversa valetudine laborantes adigantur multam viam in montibus difficilem admodum pro diversitate temporis sustinere ad opera christiano nomini propria exercenda diebus festis. Quum vero illis innotuerit hanc facultatem sibi ab Antistite proprio esse expetendam, qui ordinario jure in similibus providere debet; Litteras ab Amplitudine Tua super re impetrarunt, quae relatae fuerunt in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis apud Vaticanas Aedes habitis subscripta die. Sacra propterea Congregatio omnibus mature consideratis, inspectaque praesertim voluntaria Parochianorum exhibitione, mediis eleemosynis posse se necessariis impensis occurrere ad necessaria pro hoc opere, sicuti constructioni Ecclesiae occurrerunt usque modo, ne in minima quidem parte laederetur legitima potestas; satius duxit rescribere: *Eidem Archiepiscopo, qui jure ordinario supradictis adhibitis cautelis providere poterit, quum designatio Dotis strictim requiratur pro consecratione Ecclesiae.* Curet itaque Amplitudo Tua expetentis Populi pia, justaque vota adimplere quae certe rem divinam augent, eique non parum dant operam. Et Amplitudini Tuae diuturnam ex animo exopto felicitatem.

Romae 17. Junii 1843.

Perill. et Reverendissimo Domino uti Fratri Archiepiscopo Lucano.

4824. LUCAN.

Percupientes quam maxime Aeditui ac Beneficiati Ecclesiae Sanctae Mariae vulgo in Foro Civitatis Lucanae, ut in eadem Ecclesia quoad Sacras Functiones singula ordinate fiant, Sacrorum Rituum Congregationem humillime rogarunt decerni, utrum in Missis solemnibus, quando vel Canonicus, vel aliqua ex Dignitatibus celebrant, praeter Diaconum, et Subdiaconum alter Sacerdos Pluviali indutus valeat assistere? Et Sacra eadem Congregatio audita relatione a me subscripto Secretario facta, omnibus mature consideratis, rescribendum censuit: *Juxta alias decreta admittitur Assistens in Missa Solemni ubi probari potest consuetudo.*

Atque ita rescripsit. Die 17. Junii 1843.

4825. LUCAN.

In aspersione Aquae benedictae, quae qualibet Dominica ex Rubricarum praescripto fit ante Missam solemnem, Celebrans omnes in Choro assistentes eadem Aqua lustrat. Accedens vero ad Chorum plerumque Cornu Epistolae petit: dubitatur modo utrum valeat ab eodem Choro recedere finita benedictione per eamdem viam, vel completo gyro per Cornu Evangelii ad Altare redire? Pro solutione hujus Dubii Sacrorum Rituum Congregationem humillime rogarunt Aeditui, et Beneficiati Ecclesiae Sanctae Mariae in Foro Civitatis Lucanae. Et Sacra eadem Congregatio, audita relatione a me subscripto Secretario facta, omnibusque consideratis, rescribendum censuit: *Serventur Rubricae, vel laudabilis consuetudo, quae Rubricis non adversatur.*

Atque ita rescripsit. Die 17. Junii 1843.

4826. ABELLINEN.

Certum exploratumque quum sit in unaquaque Dioecesi, elapso Anno a die novissimae Visitationis peractae ab ultimo Episcopo defuncto, posse Vica-

rium Capitularem legitime electum hanc ipsam Visitationem per Dioecesim instituere, Sede adhuc vacante, non abs re ab aliquibus dubitatum est quo modo, et ritu sit a Clero excipiendus hac in actione; quaeque ab eodem Clero obsequia illi sint praestanda; oportet enim ut minora sint illis, quae Episcopo exhibentur. Propterea attento Liturgicorum hoc in proposito silentio, volensque omnia ordinate instituere Reverendissimus Vicarius Capitularis Abellinensis, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum

1. Quo ritu excipiendus sit Vicarius Capitularis ad valvas uniuscujusque Ecclesiae Dioecesis?

2. An omnes de Clero, et etiam Canonici de Capitulo accedere debeant ad praestandam obedientiam?

Et in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes coadunatis die 16. mense Aprili anno 1842., Sacra eadem Congregatio, audita relatione a me subscripto Secretario facta, rescribendum censuit: *Exquiratur Votum Magistri Caeremoniarum.* Quo elaborato, praeloque cuso, iterum propositis recensitis Dubiis ab Eminentissimo, et Reverendissimo D. Cardinale Carolo Acton Relatore in altero Ordinario Sacrorum Rituum Conventu ad Quirinales Aedes subscripta die coadunato, Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi, omnibus accurate libratis, riteque consideratis, rescribendum censuere: *Dilata et ad Mentem.* Mens est *ut Eminentissimus Cardinalis Praefectus cum Sanctissimo agat de necessitate supplendi hac in re defectui Caeremonialis.* Atque ita rescripsit. Die 16. Septembris 1843.

Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papae XVI. Pontifici Maximo per Eminentissimum, et Reverendissimum D. Card. Carolum Mariam Pedicini Episcopum Portuensem, Sanctae Rufinae, et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarium, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, fideli relatione, Sanctitas Sua benigne annuit, et praedicto defectui supplendum esse mandavit juxta modum a Magistro Caeremoniarum in suo Voto propositum, videlicet: *Vicarius Capitularis procedat ad Ecclesiam Cathedralem Veste talari indutus, ubi intra portam recipietur ab universo Capitulo. Quum eo pervenerit, assumet Superpelliceum, vel alia insignia Canonicalia, si sit Canonicus, eidemque Biretum presbyterale manu tenenti dignior ex Capitulo stans aspersorium per contactum exhibebit. Praecedente Cruce Capitulari, caeterisque de Clero recta statim inter duos Digniores ex Capitulo perget ad Sacellum ubi Sanctissimum Sacramentum asservatur, atque paratis super genuflexorio pulvinaribus una cum praedictis Dignoribus in genua provolutus orabit. Assurgens inde principem petit Aram, et brevi oratione super infimo gradu peracta, sedebit in camerali sede ante latus Epistolae super Altaris suppedaneum praeparata, caeterisque in propris subselliis consedentibus, et caput bireto cooperiens, tradet, si moris est, Cancellario Visitationis Edictum legendum, et deinde proponet caussas adventus sui, ut habetur in Pontificali Romano* (Ordo ad visitandas Parrochias). *His absolutis ab Altare descendet, et in plano extra latus Epistolae stans, supra Superpelliceum, vel Rochetum, si eo utatur, Amictum, Stolam et Pluviale nigrum induat, eique duo Sacerdotes assistent. Interim sedes ab Altare amovebitur, cujus frons pallio itidem nigro obtegetur. Visitator autem adhuc stans juxta Altare in cornu Epistolae versus ad Popu-*

*lum incipit Antiphonam* - Si iniquitates - *Caetera peragantur ut in Pontificali Romano loco citato.*

Quam methodum Sanctitas Sua firmitate sua communivit. Die 8. Mense Novembri eodem Anno 1843.

4827. ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI REFORMATORUM.

Octavo Idus Septembris anno 1785. Litteris Apostolicis in forma Brevis expeditis sa: me: Pius Papa VI. peculiares Breviarii Romano-Seraphici Trium Ordinum Sancti Francisci Rubricas adprobavit, quae hactenus eorumdem Alumnis normam praescripserunt Divini Officii recitandi, Sacrique peragendi. Sed quum progressu temporis ab Sacra Rituum Congregatione nonnulla prodierint Decreta, quae aliquibus ex praefatis peculiaribus Rubricis adversantur, quaestio propterea exorta est utrum obtemperandum sit hisce novissimis Decretis. Hac super re R. P. Fr. Ioseph a Carpasio Ordinis Minorum Reformatorum Sacerdos Professus duplicis Dubii solutionem expostulavit, ut tali modo controversiis finis imponatur, et animi anxietates tollantur. Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanas Aedes die 17. mense Junio anno vertente, audita relatione a me subscripto Secretario facta, rescribendum censuit: *Ponatur in Folio exquisito Voto Magistri Caeremoniarum.* Attamen juxta morem, et consuetudinem exquisita prius fuit sententia, et Informatio R. P. Procuratoris Generalis Ordinis, qui Oratoris morem gerens, preces etiam per se commendavit, ut exaudirentur. Rebus propterea omnibus rite dispositis, praeloque cuso Voto Magistri Caeremoniarum scriptis pandito, in sequentibus Ordinariis Comitiis ad Quirinales Aedes coactis Eminentissimus, et Reverendissimum D. Cardinalis Vincentius Macchi Episcopus Praenestinus et Relator sequentia Dubia Oratoris nomine enodanda proposuit, nimirum

1. An apud Fratres Minores, et Personas utentes Breviario Romano - Seraphico trium Ordinum Sancti Francisci, Festum dedicationis Ecclesiae praelationem adhuc habeat super alia Sanctorum Festa aequalis ritus in concursu, et in occursu juxta Rubricas peculiares ejusdem Breviarii?

2. An in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum reponi queat apud eosdem Fratres Minores translatum duplex: vel adhuc servari debeant ab ipsis Rubricae peculiares, a quibus id expresso prohibetur?

Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi, Dubiis ipsis attente consideratis, riteque libratis rescribendum censuerunt.

Ad 1. *Juxta Votum Magistri Caeremoniarum videlicet ad Mentem: Mens est: Supplicandum esse Sanctissimo pro reformandis hac in parte Rubricis Breviarii Romano Seraphici trium Ordinum juxta posteriora Sacra Congregationis Decreta.*

Ad 2. *Ut ad proximum.*

Atque ita rescripserunt.

Die 16. Septembris 1843.

Super quibus omnibus facta postmodum ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinale Carolo Maria Pedicini Episcopo Portuen. Sanctae Rufinae, et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellario, eidemque Sacrae Congregationi Praefecto Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papae XVI. fideli relatione, *Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis confirmavit, ac dispensando quatenus opus sit, hac in parte dispositionis peculiaris Rubricae super expositis Dubiis, obtemperandum esse mandavit a*

*Fratribus trium Ordinum Sancti Francisci novissimis hujus Sacrae Congregationis Decretis.* Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 30. Octobris 1843.

4828. MASSILIEN.

Resolutionis Dubiorum super usu novarum Candelarum ex *Stearina* confectarum. Instantibus nonnullis Episcopis, permultisque Cereorum Fabricatoribus, cum Reverendissimo Episcopo Massilien; ac referente Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinale Cosimo de Corsi Ponente, rescriptum fuit. *Consulantur Rubricis.*

Die 16. Septembris 1843.

4829. OPPIDEN.

Quum Reverendissimus Oppiden. Episcopus praenoscat ob gravem suam aetatem non sine considerabili valetudinis dispendio perficere haud posse juxta formam in Pontificali praescriptam imminentem Consecrationem novae suae Cathedralis Ecclesiae, ac proinde Sanctissimum Dominum Nostrum Gregorium XVI. Pontificem Maximum enixe rogarit Indultum hanc ipsam sacram Caeremoniam exequendi duobus consecutivis diebus; Sanctitas Sua, referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario de speciali gratia ita annuit benigne ut uno eodemque die peracta omnino consecratione Ecclesiae, et Altaris majoris ab ipso Episcopo, poterit per alium Sacerdotem Missa celebrari, qua finita Episcopus solemniter Populum benedicet, Indulgentiam publicabit, et diem anniversariam ad recolendam consecrationem assignabit. Alia vero die quacumque consecrari poterunt caetera Altaria, strictim servatis omnibus a Pontificali Romano praescriptis. Contrariis quibuscumque disponentibus minime obstantibus.

Die 24. Maji 1844.

4830. PLATIEN.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papae XVI. humillime exposuit R. P. Abbas Petrus Franciscus Brunaccini Ordinis Monachorum Sancti Benedicti Congregationis Cassinensium se ex benignitate ejusdem Sanctitatis Suae evectum fuisse ad regendam Cathedram Platiensem; proptereaque quum ex Episcopali consecratione teneatur ad onus Divini Officii persolvendum tum juxta Kalendarium Platiensis Dioecesis, tum ritu Cleri Saecularis, perdifficile admodum hoc juxta votum evenire potest, siquidem pene ab infantia Cassinensium institutioni traditus, in praesenti aetate septuaginta et amplius annorum, vix aliquid immutare in iisdem potis est. Eapropter eumdem Sanctissimum Dominum demisse rogavit, ut licet Platiensium Episcopus consecratus sit, liceat sibi pensum Divini Officii persolvere juxta regulam huc usque servatam in regulari Instituto, additis solummodo Officiis Dioecesis quae ritu duplicis primae, et secundae Classis gaudent. Sanctitas Sua, referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, attentisque peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus, de speciali gratia benigne annuit, ut Episcopus Orator, retento ritu Monastico, iisque Officiis, quae in Ordine Monastico solemniter cum Octava peraguntur, in reliquis recitet de Sanctis suae Ecclesiae Platiensis; quae disponi poterunt a Kalendarista illius Cathedralis pro suo usu particulari: quod si contigerit ut prope Anni finem defecerint dies vacui pro traslatione Officiorum Dioecesis quae locum cedunt praedictis Ordinis Monachorum, de iis sub respectivis diebus cum IX. Lectione historica fiant com-

memoratio in utriusque Vesperis, Laudibus et Missa; servatis Rubricis. Quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus.

Die 12. Julii 1844.

4831. ALBINGANEN.

Reverendissime Domine uti Frater.

Supplex Libellus Fratrum Vassallo Oppidi cui nomen vulgo Centolupo istius Dioecesis Albinganen. quo postulabant ut a suspensione redderetur immune Altare Sanctae Catharinae eorum Familiae jurispatronatus ex eo quod prope illud, et praecise ad distantiam duorum cubitorum tumulatum fuerit Cadaver Joseph Patrui ipsorum, a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium sub die 27. Julii anno vertente ad hanc Sacram Rituum Congregationem fuit transmissus, ut super re quid de jure esset decerneretur. Sed quum nihil novi hoc in negotio statui necesse sit, preces propterea in Audientia hujus diei ab R.P.D. Secretario subscripto relatae sunt Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo. Sanctitas Sua, omnibus attente consideratis, mandavit rescribi Amplitudini Tuae, et committi ut dummodo constet praefata in Tumulatione bona fide tali modo peracta, servatas fuisse dispositiones Sacrorum Canonum in Cap. *Percipiendum* 13. *quaest*. 2., nec non Constitutionem Sancti Pii Papae V. in Bullario Novo: *Quinam in ordine* §. 6. et obtineatur finis per easdem leges intentus, ut scilicet Cadaveri Altare non immineat, et aliqua distantia inter illud ipsumque Cadaver intercedat, pro tuo arbitrio, et prudentia, si ita in Domino expedire judicaveris, declarare valeas Altare praedictum suspensioni non subjecere, etsi ornatum Sepulchri ipsius propius ad suppedaneum Altaris extendatur. Haec Sacratissimi Principis mandata dum exequor, voluntatemque designo, diuturnam Amplitudini Tuae exopto felicitatem.

Romae 9. Septembris 1844.

Reverendissimo Domino uti Fratri Episcopo Albinganensi.

4832. LUCAN.

Cappellani Beneficiati Collegiatae Ecclesiae Sancti Michaelis in Foro Civitatis Lucanae alte animo defixum habentes Apostoli monitum, ut nimirum omnia honeste, et secundum ordinem fiant in nobis, praecipue vero quoad ea, quae Sacras Caeremonias respiciunt per supplicem Libellum Sacram Congregationem legitimis cognoscendis Ritibus praepositam humillime rogarunt, ut per suum oraculum sequentia Dubia solvere dignaretur, nimirum

1. An Celebrans diebus Dominicis Chorum aditurus ad aspergendum Clerum Aqua lustrali, accedere debeat per latus Epistolae, atque circulum perficiens post aspersionem redire debeat ad Altare per latus Evangelii, seu potius ire ac redire debeat per latus Evangelii?

2. An canente Missam Canonico, seu alia Cleri Dignitate praeter Diaconum, et Subdiaconum locum habeat tertius Assistens Pluviali indutus?

3. An Magister Caeremoniarum Reverendissimi Domini Canonici Decani, eidem ad Ecclesiam Collegiatam Sancti Michaelis in Foro, in qua ipse est prima Dignitas, Canonicis sequentibus accedenti pro re Divina peragenda in Pontificalibus, seu pro assistentia Missae, ac Vesperis solemnibus, teneatur Aspersorium in pilam Aquae benedictae immergere, exhibere Canonico digniori ejusdem Collegiatae, ab eoque illud, exacta per Canonicum Decanum aspersione, recipere, seu potius ad omnia haec praestanda teneatur Magister Caeremoniarum Collegiatae?

Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunati . ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Gabrielis Ferretti Ponentis , exquisito prius Voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis pandito , praeloque cuso , omnibus attente consideratis, matureque libratis , rescribendum censuere: *Juxta Votum Magistri Caeremoniarum* : nimirum

Ad 1. *Affirmative ad primam partem : negative ad secundam.*

Ad 2. *Negative , et dentur Decreta praesertim in Cortonensi diei* 10. *Septembris* 1801.

Ad 3. *Negative ad primam partem : affirmative ad secundam.*

Atque ita rescripserunt , servarique mandarunt.

Die 7. Decembris 1844.

4833. CENOMANEN.

Summo studio et cura quum invigilet Reverendissimus Cenomanen. Episcopus , ut in omnibus quae sacras Functiones respiciunt , praesertim vero solemnem Ecclesiarum dedicationem, seu consecrationem Romani Pontificalis dispositiones sub omni respectu impleantur , propterea exorto quodam Dubio circa genuinum sensum horum Pontificalis verborum : *Celebrandaeque sunt Vigiliae ante Reliquias ipsas , et canendi Nocturni , et matutinae Laudes in honorem Sanctorum ;* dum nonnulli protuentur sententiam in hisce Vigiliis recitandum esse Officium de ipsa Dedicatione , licet Altaris solummodo peragenda sit consecratio , et incipiendum a primis Vesperis etiam in satisfactionem oneris Divini Officii , nonnulli e contra alterum defendunt consonum verbis Pontificalis , in Vigiliis scilicet Nocturni canendi in honorem Sanctorum per Psalmos et Officium de Commuui , quin tamen hi Nocturni onus Divini Officii currentis excludant ; Sacrorum Rituum Congregationem enixe rogavit pro illius solutione. Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi , in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunati , ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Joannis Serafini Ponentis , exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis piandito , praeloque cuso , omnibus attente consideratis, riteque libratis , rescrbendum censuere : *Juxta Votum Magistri Caeremoniarum* : nimirum: *Juxta alias decreta praesertim in Mechlinien. diei* 19. *Julii* 1780., *et in Gratianopolitan. diei* 23. *Maji* 1835. *Vigilias faciendas juxta Pontificale ; Officium vero Dedicationis Ecclesiae non Altaris solum inchoandum esse peracta Consecratione ab Hora Minori Tertia.*

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt.

Die 7. Decembris 1844.

4834. ALBEN.

Quum pleraque extent Decreta Sacrorum Rituum Congregationis , quibus per modum generalis regulae edicitur , ut Sacerdotes , qui celebraut in aliena Ecclesia, quoad sacrorum Indumentorum colorem conformare se debeant Ecclesiae ipsi , in qua Sacrum peragunt , Reverendissimus Alben. Episcopus pro ea, qua praestat pietate , ac in Sacris Ritibus servandis sedulitate Sacram ipsam Congregationem humillimis datis precibus rogavit , ut declarare dignaretur , num Ipse , qui ad Pastorale munus explendum , interdum adigitur privatim celebrare in aliqua Ecclesia tum propriae tum etiam alienae Dioecesis , teneatur se conformare memoratis Decretis , vel potius , attenta Episcopali dignitate ,

sequi debeat colorem in suo Dioecesano Kalendario praescriptum? Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati, audita relatione a me subscripto Secretario facta, reque mature examinata, respondendum censuerunt: *Serventur Decreta*. Die 7. Decembris 1844.

4835. ALBANEN.

Quum in Solemni supplicatione in honorem Sancti Pancratii Martyris Patroni Praecipui Civitatis Albanen. vertente Anno ibi instituta, contra invectam consuetudinem, et Decreta Sacrorum huius Rituum Congregationis concentus musicus, vulgo *la Banda* locum sumpserit Clerum Regularem inter, et Saecularem, Religiosorum Ordinum Conventualium, Carmelitarum, et Capuccinorum ibi degentium Superiores, ne scandala in Populo orirentur, cum suis Alumnis eidem supplicationi interfuerunt, sed interim Sacram ipsam Rituum Congregationem rogarunt, ut declarare dignaretur, quid aliis in circumstantiis similibus sit exequendum, ne vel in minimo laedantur Ecclesiasticae sanctiones. Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, memores nono Kalendas Octobris de Anno 1837. in una Brundusina sancitum fuisse, ut huic Concentui ab Episcopo assignaretur locus in Processionibus, verum ante utrumque Clerum, referente me subscripto Secretario, rescribendum censuerunt: *Detur Decretum in Brundusina die* 23. *Septembris* 1837.

Atque ita rescripserunt, ac in similibus servandum omnino mandarunt. Die 7. Decembris 1844.

4836. CALLIEN.

Precibus Kalendaristae Dioecesis Callien. exquirentis num in nonnullis peculiaribus Officiis praeter Lectiones, et Orationes, legi etiam debeant quae propria adprobata sunt pro aliis Dioecesibus, quamvis extensionis Indultum id non exprimat, rescriptum fuit: *Negative in omnibus, sed juxta Indultum.*

Die 7. Decembris 1844.

4837. CONSTANTIEN.

Quum Reverendissimus Constantien. Episcopus comperiat sibi commissos Christifideles non paucos abscedere ab Ecclesia expleta Missa Pontificali, etiam in duabus Solemnitatibus, queis Episcopus ipse nomine Romani Pontificis Populo benedicere debet cum Plenaria omnium peccatorum Indulgentia, ac proinde a Sacra Rituum Congregatione humillime expetierit, ut in hac ipsa Benedictione dispensetur ab onere legendi duplici vice Breve delegationis Apostolicae, ac simpliciter annunciare Plenariam Indulgentiam, ne populus abscedat, Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subscripta die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente me Secretario, rescribendum censuit: *Juxta Pontificale Romanum.*

Die 7. Decembris 1844.

4838. JANUEN.

Eminentissime, et Reverendissime Domine Domine Observantissime.

Quum nomine Sacerdotum istius Januen. Civitatis, qui Sacrum peragunt in Ecclesia Sancti Octaviani Sacrae huic Rituum Congregationi humillimae datae sint preces, queis exponitur a memoratae Ecclesiae Parocho contra invectam ubique locorum consuetudinem prohiberi Sacrae Communionis, expleto Sacrosancto Missae Sacrificio Fidelibus distributionem, ob irreventiam, quae, ut asserit, Sanctissimo Sacramento irrogatur a caeteris Fidelibus, Missa peracta

exeuntibus, dum ob hanc novitatem Presbyteri clamant, et ob incommodum Populus obloquitur. Quae singula sedulo perpendentes Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi, quin aliquid directe supplici Libello responderent in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis satius sumpsere consilium de expositis Eminentiam Vestram certiorem reddere ut veris existentibus narratis dignetur providere, ac singula componere juxta communem et universalem praxim ne dissentiones ulterius progrediantur. Hanc Sacrae Congregationis mentem dum Eminentiae Vestrae communico, manus humillime deosculor.

Romae 7. Decembris 1844.

Eminentissimo, et Reverendissimo D. Card. Archiep. Januensi.

4839. MECHLINIEN.

Redactor Kalendarii Liturgici Archidioecsis Mechlinien. de consensu, et adprobatione illius Reverendissimi Vicarii Generalis cupiditate flagrans rectae, et uniformis dispositionis Divini Officii, ac celebrationis Missarum in praefata Archidioecesi, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit.

Dubium I. Quum juxta Rubricas generales Breviarii Titul. VII. de Octavis, Officium faciendum sit de Patrono, vel Titulari Ecclesiae, et quum varia dentur Decreta Sacrorum Rituum Congregationis quoad Personas, a quibus illud Officium est recitandum, hinc diversa est praxis inter Sacerdotes Archidioecesis Mechiliensis.

Quaeritur ergo 1. An Sacerdotes saeculares, qui censentur alicui Ecclesiae adscripti, quia Missas ibidem celebrant, Confessiones excipiunt, aut aliud quodcumque sacrum Ministerium exercent, possint Officium recitare de Patrono, vel Titulari ejusdem Ecclesiae (qui non est Patronus Civitatis, vel Loci), ut habeatur uniformitas inter Sacerdotes illos, et Pastorem ac Vicepastores Ecclesiae, qui celebrant Festum Titularis ejusdem ritu duplicis primae Classis cum Octava, etiamsi nulla adsit obligatio ad Chorum?

Quaeritur 2. An illi Sacerdotes si possint recitare praedictum Officium, ad illud etiam teneantur, sicut non satisfaciant obligationi, suae sequendo Directorium Dioecesis?

Quaeritur 3. An iidem Sacerdotes recitare etiam possint, et debeant alia Officia propriae Ecclesiae, cui adscripti sint v. g. de Reliquia insigni alicujus Sancti, si vel ex speciali Indulto Apostolico, vel ex legitima consuetudine recitari ibidem soleant a Pastore, et Vicepastoribus?

Dubium II. Juxta Decretum Sacrorum Rituum Congregationis diei 12. Novembris 1831. celebrari non debet ritu duplicis primae Classis cum Credo, et Octava Festum Titularis Capellarum publicarum, quae existunt in Hospitalibus, Domibusque Regularium. Verum existunt in Dioecesi Mechliniensi plura hujusmodi Oratoria benedicta, quandoque etiam consecrata, quibus unus saltem Sacerdos, tamquam Director, seu Pastor adscriptus est, qui ex speciali commissione Ordinarii non tantum ibidem celebrat, sed et munia quaedam Pastoralia exercet v. g. instruendo Populum, aliqua Sacramenta administrando etc. Quaeritur ergo an sub Decreto supracitato comprehendantur etiam praedicta Oratoria

1. Si sint publica.

2. Si non sint publica, sed tantum inserviant determinatis personis ex.

gr. infirmis in Nosocomio, vel Monialibus, aut aliis in Monasterio, sive Conventu commorantibus?

Dubium III. Quum juxta Indultum de reductione Festorum datum Parisiis die 9. Aprilis 1802. et posteriora quaedam Decreta, Solemnitas Patroni cujuslibet Paroeciae sit transferenda in Dominicam subsequentem, in qua canitur una Missa Solemnis de Festo illo, seu solemnitate more votivo cum unica Oratione, et quum plurima Dubia circa hanc sanctionem adhuc subsistant, non obstantibus Responsis a Sacra Rituum Congregatione jam datis, hinc quaeritur

1. An haec Missa votiva solemnis de Patrono cantari etiam possit quando in illa Dominica fit Officium de Festo duplici primae Classis occurrente; dummodo illud Festum occurrens non comprehendatur sub Dominicis et Festis, quae excipiuntur in Rubricis generalibus Missalis Titulo VI. de Translatione Festorum; et dummodo non sit majoris dignitatis quam ipse Patronus?

2. Si non licet cantare Missam votivam solemnem de Patrono, quaeritur an ejus commemoratio uniri possit Orationi Festi occurrentis sub unica conclusione, vel an potius Solemnitas Patroni sit ulterius transferenda in Dominicam subsequentem juxta Decretum Sacrorum Rituum Congregationis in Mechilnien. die 12. Septembris 1840. ad IV.?

3. Quaeritur, quaenam Missa cantari debeat in Ecclesiis, quarum Titulus est Visitatio Beatae Marie Virginis, si Solemnitas Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli occurrat in ipso Festo Visitationis, quod sub ratione Tituli habet ritum duplicis primae Classis: an de Festo Deiparae, tamquam de digniori, addita commemoratione Sanctorum Apostolorum; an e contra de Sanctis Apostolis, quorum Solemnitas ea die celebratur in populo per totum Belgium, et omissa commemoratione Festi Visitationis, quod non habet solemnitatem in populo, siquidem alius datur Patronus loci?

4. In locis, ubi Patronus principalis est Sanctus Ioannes Baptista Solemnitas ejus interdum coincidit cum Solemnitate Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli. Quaeritur an ibidem istae duo Solemnitates celebrari possint per modum unius eadem die, Missam scilicet cantando de Sancto Ioanne Baptista cum commemoratione Sanctorum Apostolorum juxta responsum datum a Sacra Rituum Congregatione die 1. Septembris 1838. pro Solemnitate Sanctorum Apostolorum, et Sancti Rumoldi in Civitate Mechliniensi; vel an alterutra Solemnitas ulterius sit transferenda?

Dubium IV. Si novum aliquod Officium a Sancta Sede recitandum praescribatur, aut permittatur die aliqua determinata, etsi dies illa sit perpetuo impedita in aliqua Dioecesi, vel Ecclesia propter aliquod Festum translatum, cui dies illa assignata ibidem fuit tamquam dies, seu sedes propria, utrumque autem Officium, tam novum scilicet, quam translatum sit Officium Ecclesiae universalis.

Quaeritur 1. Utrum hoc novum Officium sit recitandum ipsa die ei a Sancta Sede assignata, altero Officio ulterius translato in illa Dioecesi, vel Ecclesia juxta responsum Sacrorum Rituum Congregationis in Mechlinien. ad Dubia I. et II.? Et quatenus affirmative

Quaeritur 2. An idem sit servandum sive novum illud Officium sit duplicis, aut altioris ritus, sive semiduplicis tantum, quum quodlibet Festum

novem Lectionum sive duplex sive semiduplex sit dies impedita pro Officio translato?

Dubium V. Vi Indulti pro reductione Festorum diei 9. Aprilis 1802. Anniversarium dedicationis omnium Ecclesiarum celebratur in Belgio in Dominica, quae Octavam Festivitatis omnium Sanctorum proxime sequitur, et quidem ritu duplicis primae Classis cum Octava juxta Rubricas.

Quaeritur quomodo ordinari debeant Vesperae quando Festum Patroni principalis Ecclesiae, vel Loci ex: gr: Sancti Martini Episcopi occurrit pridie, vel postridie Anniversarii praedicti: an scilicet integrae persolvendae sint de Festo Dedicationis cum sola commemoratione Patroni, vel an sint dimidiandae juxta Decreta Sacrorum Rituum Congregationis 13. Martii 1804. et 20. Septembris 1806?

Dubium VI. Iuxta opinionem quorumdam Rubricistarum loco horum verborum Missalis - *Pro Christianissimo Imperatore Nostro* - dici debet - *Pro Romano Imperio* - si Imperium sit vacans. Quaeritur an hodiedum ita fieri oporteat tam Feria VI. in Parasceve, quam Sabbato Sancto, vel an monitio, et Oratio pro Christianissimo Imperatore, et verba, quae ipsum concernunt circa finem benedictionis Cerei, sint penitus omittenda prout in plurimis Ecclesiis a multis annis fieri consuevit?

Dubium VII. Quando ad Matutinum duobus asteriscis est divisum Responsorium, ex: gr: post VIII. Lectionem, quando fit de Dominica per Annum, item in Festo Epiphaniae Domini, et in Festo Conceptionis Beatae Mariae Virginis prima repetitio debet fieri a primo asterisco usque ad versum, non vero usque ad secundum asteriscum tantum: secunda vero repetitio, quae fit post ℣. *Gloria Patri*, non comprehendit nisi verba, quae habentur post secundum asteriscum, ut dicitur in Commentariis Merati, et in aliis Tractatibus liturgicis. Quaeritur, an hoc quoque observandum sit quando in eodem Responsorio plures habentur Versus, ut in primo Responsorio Dominicae primae Adventus, et in ultimo Responsorio Officii Defunctorum, quando dicuntur novem Lectiones, ita ut in primo casu, post Versum *Quique terrigenae*, dici debeat - *Ite obviam ei, et dicite* * *Nuntia nobis, si tu es ipse*: * *Qui regnaturus es in populo Israel* - Et post Versum - *Qui regis Israel* - prima parte repetitionis omissa, dicatur - *Nuntia nobis si tu es ipse*, * *Qui regnaturus es in populo Israel* - in secundo autem casu post Versum - *Tremens factus sum ego etc.* - ponatur - *Quando coeli movendi sunt, et terra*: * *Dum veneris judicare saeculum per ignem* - sic ut non sufficiat repetitionem Responsorii facere usque ad secundum, vel tertium asteriscum tantum omittendo verba sequentia usque ad Versum?

Dubium VIII. Ex responso Sacrorum Rituum Congregationis in Mechlinien. die 22. Maji 1841. constat servandam esse peculiarem Rubricam Breviarii quoad secundas Vesperas in Festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, quando sequenti die fit Officium de Sancto Paulo in Ecclesia propria, etiamsi Festum Conversionis die XXV. Januarii ibidem colatur sub ratione Tituli, ritu duplicis primae Classis cum Octava. Quum autem, seu Decreto citato, qualis ritus competat Commemorationi Sancti Pauli die XXX. Junii; et quum hoc pariat difficultatem in Dioecesi Mechliniensi, praesertim pro secundis Vesperis propter sequens Festum Sancti Rumoldi Dioecesis Patroni; hinc quaeritur an in illis Ecclesiis, ubi Conversio Sancti Pauli colitur tamquam Titulus ritu du-

plicis primae Classis cum Octava, alterum Festum ejusdem Sancti Apostoli, scilicet Commemoratio ejus die XXX. Junii habeat ritum duplicis primae Classis, vel an duplicis majoris tantum tamquam Festum secundarium Patroni?

Dubium IX. Juxta Decretum Sacrorum Rituum Congregationis die 23. Junii 1736. expungi debent in Orationibus cognomina, et patriae Sanctorum: idcirco in aliquibus editionibus Breviarii Romani in Oratione Sancti Petri Coelestini die XIX. Maji ponitur tantum - *Deus, qui beatum Petrum* - in aliis vero tam antiquis, quam novis additur - *Coelestinum* - quia juxta Responsum Romanum die 6. Maji 1747. (quod creditur authenticum) excipiuntur a Decreto citato nomina Sanctorum characteristica, quae exceptio firmatur per Decretum Generale diei 8. Martii 1825. Idem est de Oratione Sancti Ioannis Gualberti die XII. Julii, in qua additur *Gualberti* in aliquibus Breviariis, in aliis vero omittitur. Quaeritur ergo

1. An in Oratione Sancti Petri Coelestini solummodo dici debeat Beatum Petrum, non addendo Coelestinum; et an in Oratione Sancti Ioannis Gualberti omitti debeat Gualberti, vel addi?

2. Juxta Decretum Sacrorum Rituum Congregationis diei 12. Novembris 1837. ad Dubium XLIX. Oratio Sancti Bernardini Senensis di XX. Maji modo solito est concludenda, quia nomen Spiritus quod in ea legitur, non indicat Spiritum Sanctum. Quum autem eadem verba - *Spiritum tuae dilectionis* - habeatur in Oratione Sancti Camilli de Lellis die XVIII. Julii, quaeritur an in conclusione etiam omitti debeat vox - *ejusdem?*

Dubium X. Datur Decretum Sacrorum Rituum Congregationis in Einseldensi diei 5. Maji 1736. juxta quod Festa a die obitus translata, quae sortita sunt aliam diem fixam, annuncianda sint in iisdem diebus, et verbis in Martyrologio Romano descriptis. Quod si eorum transferantur Officia, pridie quam celebrentur, potest nuntiari Festum illius Sancti, de quo solemnis memoria agitur sequenti die. Quaeritur quomodo legi possit Martyrologium si hujusmodi Festa translata a die obitus celebranda sint perpetuo in aliqua Dioecesi vel Ecclesia non illa die, qua celebrantur in Ecclesia universali, et annuntiantur in Martyrologio, sed alia die? Hoc locum habet v. g. in Festo Sancti Thomae a Villanova, cujus Elogium occurrit in Martyrologio sexto Idus Septembris, additis his verbis - cujus Festum decimo Kalendas Octobris celebratur - dein decimo Kalendas Octobris rursum fit mentio ejusdem Festi, tamquam a die natali translati. Porro in Dioecesi Mechliniensi Festum Sancti Thomae a Villanova perpetuo est translatum ad diem XXV. Septembris, quae est prima dies non impedita: an jam illud Festum annunciari debeat decimo Kalendas Octobris, ut in Martyrologio, vel an omissa ejus mentione illa die, annuntiari debeat septimo Kalendas Octobris, quae est dies fixa pro ejus celebratione?

2. Sanctus Petrus Damianus migravit ad Christum octavo Kalendas Martii, ut legitur in ejus Officio Lectione VI.: quum autem ea die fiat Officium de Cathedra Sancti Petri Antiochiae, Festum Sancti Petri Damiani celebratur die sequenti, sive septimo Kalendas Martii ex Decreto Urbis et Orbis diei 1. Octobris 1828. Quaeritur igitur qua die ejus Elogium inseri debeat Martyrologio an XXII. vel XXIII. Februarii, vel an bis de Sancto Petro Damiani facienda sit mentio?

Dubium XI. Legitur in Missa Festi Assumptionis Beatae Mariae Virginis, « optimam partem elegit sibi Maria, quae non auferetur ab ea in aeternum. »

Quaeritur an haec verba intelligantur de Beatissima Virgine, an de Maria, de qua in Evangelio hujus diei, et consequenter an caput sit inclinandum ad prolationem Nominis Mariae nec ne?

Dubium XII. Quum Nativitas Sancti Ioannis Baptistae, et in Belgio Festum Sancti Iosephi, qua Patroni Patriae, olim fuerint Festa in Populo; quaeritur an sublata jam obligatione abstinendi ab operibus servilibus, et audiendi Sacrum, licitum sit in praedictis Festis cantare Missam de Requiem praesente. Corpore 1. Si celebrentur haec Festa solemniter? 2. Si non solemniter?

2. An idem liceat in Festo Patroni minus principalis alicujus loci, si ex privilegio, vel ex consuetudine celebretur ritu duplicis primae Classis, etiam in Anniversario Dedicationis omnium Ecclesiarum Dominica prima post Octavam omnium Sanctorum, quum sit Festum duplex primae Classis etiam si cum minori solemnitate celebrari soleat, quam quaedam aliae Festivitates?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes hac die Ordinariis in Comitiis coadunata, audita relatione ab me subscripto Secretario facta, omnibus attente consideratis, riteque libratis, respondendum censuit.

Ad Dubii I. quaestionem 1. *Juxta alias decreta, negative; non enim censeri, sed revera esse debent adscripti stricto servitio Ecclesiae uti Parochus, et Vice-Parochus.*

Quaest. 2. et 3. *Jam provisum in praecedenti.*

Ad Dubii II. quaest. 1. et 2. *Negative juxta Decretum diei* 12. *Novembris* 1831.

Ad Dubii III. quaest. 1. et 2. *Juxta Decretum in Mechlinien.* 12. *Septembris* 1840. *ad Dubium IV.*

Quaest. 3. *Ut ad proximum, et transferatur Missa Visitationis Beatae Mariae Virginis.*

Quaest. 4. *Pariter ut ad proximum, et transferatur Missa Sanctorum Apostolorum in casu.*

Ad Dubii IV. quaest. 1. *In paritate ritus noviter concessum Officium ulterius transferatur juxta Rubricas.*

Quaest. 2. *Assignandum Officium potioris ritus, et inferioris ritus ulterius transferendum juxta Rubricas.*

Ad Dubium V. *Integras esse persolvendas de Dedicatione juxta alias Decreta.*

Ad Dubium VI. *Esse penitus omittenda.*

Ad Dubium VII. *Prima vice integrum legendum Responsorium post Versum usque ad secundum asteriscum: Post* Gloria Patri *a secundo asterisco ad finem, juxta alias decreta, et ut notatur in Breviario.*

Ad Dubium VIII. *Nisi constet de speciali Indulto quoad ritus elevationem, ritu tantum duplicis majoris gaudet.*

Ad Dubium IX. quaest. 1. *Posse addi* - Coelestinum - *deberi omitti* - Gualberti - *quum non sit nomen.*

Quest. 2. *Omittendam esse juxta citatum Decretum.*

Ad Dubii X. quaest. 1. *Martyrologium legendum esse uti jacet: pridie autem, uti ex consuetudine aliarum Ecclesiarum annunciari potest* - Festum Sancti Thomae etc. de quo agitur etc.

Quaest. 2. *Quum primo inserendum sit hoc Elogium ponendum esse die XXIII. Februarii.*

Ad Dubium XI. *Inclinationem capitis non esse faciendam.*

Ad Dubii XII. quaest. 1. et 2. *Juxta qualitatem ritus servetur Rubrica.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 7. Decembris 1844.

4840. NARNIEN.

Sacerdos Ioannes Giubilei Canonicus Cathedralis Ecclesiae Narniensis, cupiens ut in Ecclesiasticis Functionibus omnia recte peragantur, ac nonnulli abusus, si qui irrepserint, de medio tollantur, Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicavit pro solutione sequentium Dubiorum, nimirum

1. Utrum apponi valeat Sigillum in Ostiolo ubi Feria V. in Coena Domini reconditur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum?

2. Utrum, ut communiter appellatur, nominandum sit Sepulchrum?

3. Utrum nec ne recondito hoc modo Sanctissimo Sacramento, cantari possit: *Sepulto Domino etc.*?

4. Cuinam tradenda sit Clavis Ostioli supradicti?

5. Utrum Lumen Christi, expleta Sabbati Sancti functione removendum sit ab Ecclesia?

6. Utrum nec ne servandae sint antiquae consuetudines cujusque Ecclesiae quando hae non sint Rubricae contrariae?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitiis coadunata, audita relatione ab me infrascripto Secretario facta, omnibus attente consideratis, rescribendum censuit

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Juxta consuetudinem.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Juxta alias decreta Canonico, vel Sacerdoti in crastinum celebraturo.*

Ad 5. *Affirmative.*

Ad 6. *Explicet quae sint consuetudines, et recurrat in casibus particularibus.*

Atque ita rescripsit, servarique mandavit.

Die 7. Decembris 1844.

4841. NULLIUS MONTIS CASINI.

Quum Reverendissimus P. Abbas Ordinarius Nullius Montis Casini Sacrorum Rituum Congregationem enixe rogarit, ut declarare dignaretur, num Regulares acciti ad publicas Supplicationes, et Funera e Coenobiis egredientes, et illuc redeuntes possint sub hastata Cruce incedere? Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re maturo examine perpensa, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die habito, referente me Secretario, rescribendum censuerunt: *Non obstant Decreta; dummodo Crux a Religiosis in Funeris pompa non afferatur.*

Die 7. Decembris 1844.

4842. QUEBECEN.

Reverendissimus Quebecensis Archiepiscopus cupiens quam maxime ut in omnibus, quae Sacros Ritus respiciunt recto ordine procedatur, et uniformi, atque ut facilius de medio tollantur quaestiones, quae saepe saepius oriuntur ex varia Rubricarum interpretatione vel Decretorum Sacrae Rituum Congregationis, Eidem sequentia Dubia enodanda proposuit.

I. Quum ex Indulto diei 16. Novembris 1834. concessum fuerit Festum Patrocinii Sancti Ioseph celebrandum sub ritu duplicis secundae Classis, utpote primi Canadensis Regionis, et Dioecesis Patroni, quaeritur utrum recitandum sit Symbolum in Missa, quoties ad aliam diem transferre contigerit?

II. Quum saepissime transferenda sint post Pascha, etiam sine obligatione Missam audiendi, Festa Purificationis, et Annunciationis Beatae Mariae Virginis, et Sancti Ioseph primi Regionis Patroni, quaeritur quinam ordo servandus sit in dictis Festis celebrandis? attentis praesertim Decretis diei 20. Julii 1748. et diei 2. Septembris 1741. vi cujus, atque responsi dati de Anno 1820. R. P. D. Plessis Oratoris Praedecessori, jussum fuerat per publicum Edictum ut Officium Annunciationis celebraretur prima die non impedita post Dominicam in Albis, et Officium Sancti Ioseph prima die sequenti similiter non impedita?

III. Exponit etiam quod quum virtute Rescripti die 11. Decembris 1842. concessa fuert Archiepiscopo Oratori facultas declarandi privilegiata Altaria Ecclesiarum quamvis tota Mensa consecrata non sit, humillime quaeritur 1. An duo Altaria possint declarari privilegiata in eadem Ecclesia: 2. Enixeque supplicat, ut privilegium applicandi Indulgentiam sic concessam extendatur ad omnes et singulos Sacerdotes in iisdem Altaribus Sacrum peragentibus quocumque die per Annum, Dominicis tantum, et Festis primae et secundae Classis exceptis, ita tamen ut idem privilegium valeat etiam si Missa Festi occurrentis, et non Missa de Requiem celebretur.

IV. Supplicat declarari an Cappellani Monialium curae praepositi ad Missam pro iisdem Monialibus diebus Dominicis, et festivis de praecepto applicandam teneantur?

V. Item supplicat declarari 1. Utrum Cruces et Immagines pro pio exercitio Viae Crucis benedictae amoveri possint a loco, ubi primum collocatae fuerant pro earum meliori repositione, vel reparatione, vel pro Ecclesiae, aut Cappellae decoratione quin cessent Orationes pro iisdem concessae? 2. Utrum si quando eaedem Cruces, vel Immagines destructae, vel vitiatae fuerint, aliae substitui possint de concessione Episcopi singillatim benedictae absque cessatione Indulgentiarum?

VI. Quando Officium novem Lectionum transfertur ultra partem Breviarii, ad quam pertinet, petitur ut licentia detur, si dari possit, faciendi tantum commemorationem hujus Officii propter difficultatem duo Volumina portandi, praesertim in Dioecesibus Canedae, ubi Sacerdotes aliquando coguntur perlongum iter agere ad Ministerium explendum.

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes Ordinariis in comitiis coadunata, audita relatione ab me subscripto Secretario facta, omnibus attente consideratis rescribendum censuit.

Ad I. *Affirmative, si vere constat de Patronatu formiter ab hac Sancta Sede confirmato.*

Ad II. *Juxta alia Decreta Urbis et Orbis, in casu prius transferendum Officium Annunciationis tamquam in Sede propria ad Feriam secundam post Dominicam in Albis.*

Ad III. *Recurrat ad Sacram Congregationem Indulgentiarum.*

Ad IV. *Non teneri, quum non sint Parochi.*

Ad V. *Ad Sacram Congregationem Indulgentiarum.*

Ad VI. *Serventur Rubricae.*
Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.
Die 7. Decembris 1844.
4843. REATIN.
Precibus Sacerdotis Sebastiani Ricci Canonici Cathedralis Reatin. Ecclesiae, exquirentis an removere debeat Stemma gentilitium Familiae suae impressum tam Ostensorio, quam nobilibus aliis Suppellectilibus a se donatis Cathedrali ipsi Ecclesiae, ut expositio Sanctissimi Sacramenti in Cathedrali ipsa solemniori apparatu fiat, quam quidem remotionem indixit Reverendissimus Episcopus? Sacra Rituum Congregatio pro Informatione, et Voto audito eodem Episcopo, omnibus maturo examine perpensis, ad relationem mei subscripti Secretarii, respondendum censuit: *Quum non obstent Decreta, nihil esse innovandum.*
Die 7. Decembris 1844.
4844. VIVARIEN.
Pastoralem Visitationem Ecclesiarum suae Dioecesis explens Reverendissimus Vivarien. Episcopus, animadvertit non pauca reperiri Altaria portatilia, quorum Sepulchra tractu temporis confracta fuere, ac insimul reperit similia portatilia Altaria in novissimis perturbationibus per simplices Sacerdotes consecrata fuisse, Reliquiis minime appositis. Queis incommodis qua praestat vigilantia ac religione occurrere exoptans, Sacrorum Rituum Congregationem humillimis precibus adiens, enixe rogavit, ut sequentia Dubia declarare dignaretur, nimirum
I. An memorata Altaria, quorum Sepulchra confracta sunt, debeant denuo consecrari, vel an sufficiat in illis novas Sanctorum Reliquias inducere, Sigilloque muniri?
II. An Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrari queat super Altaribus secundi generis a simplicibus Sacerdotibus consecratis absque appositione Reliquiarum, vel an et ista debeant iteram consecrari Sanctorum Reliquiis appositis?
Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die habito, quum a me subscripto Secretario compererit usque ab anno 1837. nono Kalendas Octobris pro Dioecesi Rhedonensi sancitum fuisse ut similia Altaria iterum consecrentur, appositamque Instructionem Reverendissimo Rhedonensi Episcopo transmissam fuisse, propositis Dubiis a Reverendissimo Vivarien. Episcopo rescribendum censuit: *In utroque casu Altaria esse denuo consecranda ut in Rhedonen. die* 28. *Septembris* 1837.
Die 7. Decembris 1844.
4845. VENUSIN.
Quum Capitulum Cathedralis Venusinae Ecclesiae Sacrorum Rituum Congregationi sequentia duo Dubia pro opportuna solutione proposuerit, nimirum
I. An in Choro, et Processionibus, quae capitulariter aguntur, possit is, cui ob Magisterium, et Lauream, aut Licentiam in Disciplinis Theologicis, vel Sacris Canonibus obtentam, facultas conceditur deferendi Biretum cum quatuor apicibus, eodem Bireto uti?
II. An iste, contradicente Capitulo, punctationi distributionum obnoxius evadat, etiam si quadraginta ab hinc annis jam defunctus alius Sacerdos in eadem Ecclesia usus fuerit tali facultate, et nemo contradixerit?
Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die coadunata in Or-

dinario Coetu, referente me subscripto Secretario, propositis Dubiis occurrens rescribendum censuit: *Negative in omnibus, nimirum nec uti posse in Ecclesiasticis Functionibus tali Bireto, nec amittere distributiones, siquidem Biretum non est Chorale indumentum.*

Die 7. Decembris 1844.

4846. VENETIARUM.

Quum Sacerdos Angelus Marianus Cisco Civitatis Venetiarum proprii Parochi Ecclesiae Sanctorum Gervasii, et Protasii Martyrum votis obsequens detineretur in explendo variationes in Kalendario Venetiarum pro Clero memoratae Parochialis Ecclesiae servitio addicto, duplicem difficultatem reperiit, quae ambo sequentibus Dubiis pro opportuna solutione Sacrorum Rituum Congregationi ab ipso propositis locum dedere, nimirum

I. An occurrente Officio Sancti Vitalis Martyris quarto Kalendas Maji, quod a memoratae Ecclesiae Clero ex Apostolico Indulto recitatur ritu duplicis secundae Classis cum Octava Dominica tertia post Pascha, cui assignatum est Officium Patrocinii Sancti Ioseph Beatae Virginis Mariae Sponsi, eadem Dominica fieri debeat de Sancto Vitale, vel potius de Patrocinio Sancti Ioseph, translato juxta Rubricas Officio Sancti Vitalis?

II. An Officium quodcumque cum Octava incidens in Dominica, quoties in die propria praepeditur ab alio Festo majoris ritus, vel dignitatis, neque reponi possit intra Octavam, recitari valeat in die octava, scilicet in Dominica immediate sequenti?

Et Sacra eadem Congregatio subsignata die in Ordinario Coetu ad Vaticanum coadunata, referente me Secretario, re maturo examine perpensa, rescribendum censuit.

Ad I. *Faciendum esse de Festo primario, seu de Sancto Vitale.*

Ad II. *Affirmative.*

Die 7. Decembris 1844.

4847. URBEVETAN.

Urbevetanae Ecclesiae ut primum renunciatus fuit Episcopus R. P. D. Joseph Maria Archiepiscopus Vespignani, Pastoralis sui muneris partes suscipiens illud animadvertit conveniens minus, immo universali praxi, et Rubricarum sanctioni contrarium, quod in Ecclesiis, ubi Fons Baptismalis reperitur ipsius Fontis benedictio semel tantum per Annum, Sabbato nimirum ante Resurrectionem Domini peragebatur, quin eadem benedictio iteretur Sabbato etiam ante Pentecosten. Immemorabili huic in sua Dioecesi consuetudini quum suffragare compererit Synodales Leges, quin pro suo arbitrio quidquam in re decerneret memoratus Praesul, Sacrorum Rituum Congregationem humillimis datis precibus adivit, eique rem ipsam exponens enixe rogavit ut declarare dignaretur, num immemorabili huic consuetudini standum sit? Eminentissimi vero ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati, audita relatione a me subscripto Secretario facta, attentis Rubricarum sanctionibus, ac aliis Decretis, praesertim in Lucana die 12. Aprilis 1775., in quo dilucide edicitur, Parochos Fontem Baptismalem Sabbatis diebus Paschatis, et Pentecostes benedicere debere, respondendum censuerunt: *Consuetudinem velut abusum et Rubricis contrariam esse eliminandam.*

Atque ita exequendum mandarunt. Die 7. Decembris 1844.

4848. BRIXIEN.

Reverendissime Domine uti Frater

Expositum fuit Sacrorum Rituum Congregationi ex parte R. D. Sacerdotis Andrae Bonetti Parochi Oppidi Pratisvici istius Amplitudinis Tuae Dioecesis quamdam paucis ab hinc annis introductam fuisse consuetudinem eadem in Regione publicis in Supplicationibus quae ducuntur in Festo, et per Octavam Sanctissimi Corporis Christi deferendi veteris Testamenti Arcam, Mensam cum Propositionis panibus, Candelabrum cum septem luminaribus, et alia id generis, quae fuerunt per Moysen illa in Lege instituta, quae a Juvenibus instar hujus Legis indutis deferuntur. Quum autem hujusmodi novitates murmurationibus, ac disputationibus occasionem scandali praebeant, ad omnia praecavenda praedictus Parochus rationes in genere assignavit, quibus quisque pro sua parte consuetudinem tuetur, vel improbat, ut super eadem retinenda, vel eliminanda de more decernatur. Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitiis adunata, audita relatione a R. P. D. Secretario subscripto facta, omnibus attente consideratis rescribendum censuit: *Dentur Decreta jam alias edita nimirum in una Urbis die 5. Martii 1667. et in Mediolanensi die 5. Novembris eodem anno, atque in una Venetiarum die 17. Junii 1684. quibus prohibetur expresse ne Pueri illis in supplicationibus deferant, vel Instrumenta Dominicae Passionis, vel aliud repraesentans hujus Mysteria, vel Sanctorum Martyria, utpote quae ex sui natura animum avertant ab adoratione Sanctissimi Sacramenti, quod unice in iisdem intenditur, ac proinde scribendum Amplitudini Tuae, quatenus pro sua religione ac prudentia incumbat ut omnia de medio tollantur, et juxta laudabilem caeterarum Regionum consuetudinem Supplicationes hujusmodi in posterum, sine ullo accessario praedicto, et pro sola devotione ducantur.* Hanc Sacrae Congregationis sententiam, et voluntatem ut omnia recto ordine procedant, Amplitudini Tuae dum communico, diuturnam ex animo exopto felicitatem.

Romae 7. Decembris 1844.

Reverendissimo Domino uti Fratri
Episcopo Brixiensi.

4849. PLATIEN.

Sacerdos Cajetanus de Petra Canonicus Cathedralis Ecclesiae Platien. illiusque Kalendarii Director exponit sequenti Anno 1843. praepeditam esse Dominicam secundam post Epiphaniam a Dominica Septuagesimae, quo casu peculiaris Breviarii Rubrica praecipit Officium Dominicae secundae anticipandum esse Sabbato praecedenti Septuagesimae; quod si illud fuerit a Festo duplici praepeditum, tum hujus Dominicae Officium reponendum esse prima die post Octavam Epiphaniae non impedita ut supra. Quoniam vero duae sunt dies post eamdem Octavam in quas incidit Officium ritus semiduplicis XIV. scilicet, et XVI. Januarii, nonnulli opinantur hac die XVI. utpote Sabbato proximiori agendum esse de Dominica secunda, alii die XIV. ad peculiaris Rubricae sensum. Quo vero quaestio omnis de medio tollatur, et ipse securius incedat pro Officio praescribendo in eadem Cathedrali, Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicavit pro opportuna quaestionis solutione. Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem mei subscripti Secretarii, omnibus mature consideratis, rescribendum censuit: *Juxta Breviarii Romani peculiarem Rubricam agendum esse in casu de Do-*

*minica secunda post Epiphaniam prima die non impedita post ejasdem Octavam, scilicet XIV. Januarii.*

Et ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 7. Decembris 1844.

4850. RAVENNATEN.

Quum novissime aliqua ex parte reficeretur Collegiata Ecclesia Oppidi Argentiae Ravennatensis Archidioecesis permutatum fuit Altare, ubi in Custodia asservatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, et dum prius existebat a latere Evangelii Arae principis illius Ecclesiae, translatum est in praesentiarum a latere Epistolae ejusdem; quae quidem translatio efficit ut in Missa solemni Celebrans, sacrique Ministri dum sedent terga vertant Sacramento. Hac occasione nonnulli existimant Sedem hanc a suo loco removendam, et in parte altera collocandam, alii vero ex adverso pugnant retinendam esse solito in loco. Ad quaestionem omnem de medio tollendam humillime rogavit Sacrorum Rituum Congregationem Capitulum ipsum, ut Dubium derimere dignaretur. Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem mei subscripti Secretarii, omnibus attente consideratis rescribendum censuit: *Sedes teneatur a Cornu Epistolae juxta Rubricae Titulum XVII. §. VI. et aliquo modo provideatur decentiae debitae Sanctissimo Eucharistiae Sacramento.*

Atque ita rescripsit, servarique mandavit.

Die 7. Decembris 1844.

4851. SANCTI FLORI.

Sacra in Visitatione, quam per suam Dioecesim diligentissime instituit Reverendissimus Episcopus Sancti Flori in Gallia, occurrerunt illi per varias Ecclesias Altaria portatilia, de quorum consecratione olim facta certo quidem constabat, sed quorum tumulus seu Reliquiarum sepulcrum modo caret Sanctorum Lipsanis, quae casu exciderunt. Percupiens autem ut omnia recto ordine procedant, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit; nimirum.

I. Utrum Altaria illa suam consecrationem amiserint amittendo Sanctorum Reliquias ibidem reconditas?

II. Utrum sufficiat absque nova consecratione in illis tumulare alias Reliquias authenticas?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem mei subscripti Secretarii, omnibus attente consideratis, rescribendum censuit juxta alias decreta.

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative, et esse denuo consecranda.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 7. Decembris 1844.

4852. SUTRINA, ET NEPESINA.

Reverendissime Domine uti Frater.

E vivis nuper erepta quum fuerit Anna Graziani Patrizj e Burgo Sancti Sepulchri, locus factus est illius Testamentariae dispositioni, ut nimirum peracto funere Collegiata in Ecclesia Roncilionis quod est Oppidum istius Amplitudinis tuae Dioecesis, Tumulum haberet in Ecclesia Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum ejusdem loci. Absolutis Exequiis Capitulum recensitae Collegia-

tae Ecclesiae Cadaver deposuit juxta morem ad valvas Ecclesiae eorumdem Regularium, qui servatis servandis illud tumularunt. Deinde et a Parocho, et a Capitulo eodem expostularunt quod illis obvenit hac occasione, quartam nimirum funeris. Sed renuentibus Parocho Archipresbytero, et recensito Capitulo, immo asserentibus nihil Capuccinis debendum, recursum isti habuerunt ad hanc Sacram Rituum Congregationem, ut pro sua sapientia super controversia decerneret. Quum autem haec omnibus nota sint, et pluries decretum, Quartam Funerariam spectare ad Ecclesiam tumulantem; propterea Eminentissimi, et Reverendissimi Patres in Ordinariis Comitiis hodiernis ad Vaticanas Aedes coadunati, satius duxerunt Amplitudini Tuae esse scribendum, ut pro sua prudentia controversiam juxta morem, ad pacem assequendam, ac sine strepitu componat, adigetque Capitulum ad praestandum Alumnis Capuccinis, quod illis debetur a jure statutum. Hanc Sacrae Congregationis voluntatem, et Decretum dum Amplitudini Tuae communico, diuturnam ex animo exopto felicitatem. Romae 7. Decembris 1844.

Reverendissimo Domino uti Fratri Episcopo Sutrino, et Nepesino.

4853. DE OLINDA.

Franciscus Cordis Mariae Cardaso e Castro Canonicus Regularis in Pernambucensi, verius De-Olinda Dioecesi hujus Sacrae Congregationis precator humilis, ejusdem irrefragabili judicio, sequentes tres quaestiones devotissime subjicit, nec non solutionem exposcit, quae tutam agendi rationem praebeat.

I. An Parochis competat jus exigndi, quod Presbyteri in Missa Solemni ad Evangelium de licentia Episcopi praedicantes a Parocho celebrante benedictionem petant?

II. In casu affirmativo an etiam Canonicus a Parocho non Canonico praedictam benedictionem petere debeat?

III. An Canonicus, qui Abbatum insignibus utitur ex privilegio, seu concessione Apostolica, consentiente Dioecesano Episcopo in habitu praelatitio praedicans memoratam benedictionem a Celebrante Parocho non Canonico petere debeat? Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum hodierna die in Ordinario Coetu coadunata, referente me Secretario rescripsit: *Negative in omnibus et dentur Decreta.*

Die 7. Decembris 1844.

4854. PATAVINA.

Sacerdos Leopoldus Zotti in Cathedrali Patavina Ecclesia Caeremoniarum Magistri munere fungens, quum animadverterit nonnulla ibi occurrere, quae universali omnium Ecclesiarum praxi, vel hujus Sacrorum Rituum Congregationis Decretis non sunt integre conformia, eidem Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum

I. Quum usque ab Anno 1742. decimoseptimo Kalendas Octobris concessum fuerit, ut aliqua Officia ritus simplicis occurrentia in duplicibus primae Classis cum Octava, in Kalendario Patavino transferantur ad primas dies liberas, quaeritur an standum sit memoratae concessioni, etsi pro aliis Ecclesiis posterioribus temporibus sancitum fuerit a Sacra Rituum Congregatione, ut Festum simplex, quod perpetuo impeditur ob ritum duplicis primae Classis non sit ad aliam diem transferendum?

II. Duae Reliquiae in Cathedrali Patavina venerantur ut insignes, sicque enunciantur in Kalendario, quorum una Sancti Sebastiani Martyris constat ex

duabus partibus fortasse ejusdem ossis ex minoribus, quarum partes unciarum quatuor vix aequant mensuram; altera Sancti Laurentii Levitae Martyris exhibet extremam partem sinistri pedis cum quatuor prioribus digitis carne superindutis, quae quidem Reliquia quaque versus considerata, duarum unciarum non excedit mensuram. Quum enunciatae duae Reliquiae habeantur ut insignes a ducentis et ultra annis, Missis eorumdem Sanctorum additur *Credo* ratione insignium Reliquiarum: quaeritur num in invecta consuetudine perseverare liceat, etsi Reliquiae ipsae non praesefcrant conditiones a Decretis requisitas, ut earumdem ratione ponatur in Missa *Credo*?

III. In Cathedrali Patavina ex immemorabili consuetudine in publica administratione Sacramenti Poenitentiae Sacerdotes Confessarii interdicuntur ab usu Stolae a Rituali Romano praescriptae: quaeritur an standum sit hujusmodi consuetudini?

IV. An praeter casum a Rituali Romano praevisum titulo de Saramento Extremae Unctionis num. 3., in quo de Sacro Oleo adhibendo in hoc Sacramento haec habentur: *Id tamen, si forte intra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico alio non benedicto in minori quantitate superinfuso reparari potest*, liceat umquam Sacris Oleis Feria quinta in Coena Domini benedictis, aliam Olei non benedicti quantitatem addere? An haec additio saltem fieri possit eadem Feria quinta in Coena Domini, adeo ut pars tantum Olei subjiciatur benedictioni, et immediate misceatur cum Oleo non benedicto?

V. Quum in Pontificali Romano praescribatur ut in Sacris Ordinibus quisque ex Ordinandis offerat Episcopo Ordinanti Cereum post Offertorium, quaeritur an tolerari possit consuetudo, ut Cerei offerantur extincti, vel potius offerri debeant accensi, ut in ipso innuitur Pontificale?

VI. In Wratislavien. sub die 13. Augusti 1763. sancitum fuit ut Episcopo Suffraganeo praesenti in Choro etiam si non sit Dignitas Capituli, competat thurificatio terno ductu absente proprio Episcopo Dioecesano; quaeritur an haec dispositio valeat etiam pro Canonico Episcopo non Suffraganeo?

VII. Ex Apostolico Indulto sa: me: Benedicti Papae XIV. tertia Feria sexta mensis Martii in tota ditione olim Veneta sub ritu duplicis primae classis recitatur Officium Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi. Si haec Feria, uti et imminenti Anno 1845. sit Feria sexta in Parasceve quaeritur an hoc Officium omitti debeat, vel potius transferri possit post Pascha?

Eminentissimi vero ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, me infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis ejusdem Secretario referente, singulis propositis Dubiis rite de more perpensis, ac diligenti examine consideratis, rescribendum censuerunt

Ad I. *Affirmative juxta Indultum Anni* 1742.

Ad II. *Negative quum non sint Reliquiae insignes.*

Ad III, *Negative, sed standum omnino Rituali, et aliis Decretis.*

Ad IV. *Negative, sed in casu tantum necessitatis fieri potest additio, uti in Rituali praescribitur.*

Ad V. *Sufficit ut unus in quolibet Ordine accensum offerat Cereum juxta consuetudinem.*

Ad VI. *Juxta consuetudinem.*

Ad VII. *In casu omittendum, nisi impetretur Indultum transferendi.*
Atque ita rescribendum, et servandum mandarunt.
Die 7. Decembris 1844.
4855. REATINA.
Reverendissime Domine uti Frater.
Quum Sacerdos Dominicus Maroni Rector et Administrator Confraternitatis Sanctae Caeciliae, et Beatae Mariae Virginis de Succursu in Suburbiis istius Reatinae Civitatis Sacrorum Rituum Congregationi exposuerit, quod Parochus Ecclesiae Sancti Michaelis Archangeli, intra cujus Parocciae fines Sodalitatis Ecclesia erecta reperitur, praetendat sacras Functiones exercere in eadem Sodalitatis Ecclesia illam ut filialem reddere praesumens contra sancita ab hac Sancta Apostolica Sede, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum subscripta die coadunati, audita relatione ab me infrascripto Secretario fideliter facta, perpendentes alias, ac praesertim in Decreto Urbis et Orbis usque ab Anno 1703. quarto Idus Decembris sancitum fuisse, Parochis nullum jus competere in publicis Sodalitatum Ecclesiis erectis intra fines Parochialium suarum Ecclesiarum quoad Ecclesiasticas Functiones non Parochiales, quin aliquid precibus ipsis directe responderent, satius duxerunt consilium, Amplitudinem Tuam super expositis certiorem reddere, ut juxta alias decreta providens, eo vel magis quia memoratum Generale Decretum per suam Constitutionem, quae incipit: *Ad debitum*: confirmavit sa: me: Clemens Papa XI. ut dissentionibus, et jurgiis radicitus finem imponeret. Amplitudinis itaque Tuae partes erunt Parochum Sancti Michaelis ad tramites supradicti Decreti omnino adigere, ut a quavis in re praetentione abstineat. Et Amplitudo Tua diu felix, et incolumis vivat.
Romae 7. Decembris 1844.
Reverendissimo Domino uti Fratri Episcopo Reatino.
4856. JANUEN.
Quum Sacerdos Antonius Sanmichele Civitatis vulgo Chiavari in Archidioecesi Januensi Sacrorum Rituum Congregationem enixe rogarit, ut super propositum Dubium sententiam suam aperire dignaretur, nimirum: Se sia lecito al Sacerdote, che celebra in Oratorio privato di Casa particolare, o anche di Communità Religiosa interrompere l'azione della Messa immediatamente dopo la Consumazione, e perciò prima della Purificazione per portare la Santa Communione in Camera di pia Persona inferma abitante iu quella Casa, o Communità solamente per divozione, e non per Viatico, sebbene la stanza non sia vicina all'Oratorio, ma debbasi ascendere altro piano della casa, o passare in altro corridojo della Communità?: Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die in Ordinario Coetu coadunata, referente me subscripto Secretario respondit: *Non licere juxta Decretum in Florentina diei* **19. Decembris 1829.** *ad primum Dubium: sed si necessitas urgeat fiat absoluta Missa.*
Die 7. Decembris 1844.
4857. SENEN.
Reverendissimus Senen. Archiepiscopus quum Sacrorum Rituum Congregationi, sequentem supplicem Libellum dederit, nimirum,
Eminentissimi, e Reverendissimi Signori.
Giuseppe Arcivescovo di Siena riverentemente espone all'Eminenze Loro, ch'egli trovandosi nell'avanzata età di anni 68. e soffrendo varj incommodi,

che gli rendono notabilmente gravosa l'Ordinazione generale de' Chierici Maggiori, e Minori insieme, bramerebbe poter ordinare separatamente i Maggiori ne' giorni stabiliti a tale oggetto dalla Chiesa, e tutti i Minori nelle Domeniche anteriori, o posteriori a tali giorni. Che avendo riscontrato la Biblioteca del Ferraris alla parola: *Ordo; Ordinare:* all'Articolo 2. v. 2. trovò potersi dai Vescovi promnovere agli Ordini minori alcuni Chierici soltanto, ma non in tal numero, che sembrasse farsi un' Ordinazione Generale, e ciò determinarsi nel corpo del Gius Canonico *cap. de eo* 3. *de temporibus Ordinationum:* qual sentenza Canonica è convalidata pure dal sentimento di diversi Autori citati quivi dal Ferraris. Non credendosi adunque l'Oratore autorizzato a separare interamente l'Ordinazione de' Minori da quello de' Maggiori, il che l'esimerebbe dalle pene, ed incommodi, che soffre nell' ordinare tanti individui, supplica umilmente l'Eminenze Loro Reverendissime a permettergli di eseguire le due separate Ordinazioni nel modo sopraindicato tanto più che in questa Diocesi nell' Ordinazioni de' Quattro Tempi mancano talora i Chierici da promoversi a qualche Ordine o maggiore, o minore, e cosi non può dirsi in tali casi Ordinazione Generale. Che della grazia etc.

Quibus precibus fideliter de more per me subscriptum Secretarium relatis in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunato, Sacra Congregatio rescripsit: *Expositis in circumstantiis Archiepiscopus Orator servare poterit quae praescribuntur in Rubrica Pontificalis Romani*, nimirum: *Quatuor Minores Ordines dari possunt extra Missarum Solemnia diebus Dominicis, et Festis duplicibus, sed in mane tantum:* Atque ita rescripsit.

Die 7. Decembris 1844.

4858. SANCTI SEVERI.

Ne quid dissonum etiam a Rubricis Pontificalis Romani vel dispositionibus Caeremonialis Episcoporum, aut Decretorum Sacrorum Rituum Congregationis eveniat in Sacris peragendis Functionibus; immo ut omnia juxta praescriptas, receptasque Caeremonias in iisdem observentur, eidem Sacrorum Rituum Congregationi sequentia proposuit enodanda Dubia Capitulum Cathedralis Ecclesiae Sancti Severi, nimirum

I. Al Vescovo, che in qualche sacra Funzione nella Cattedrale, o nelle Chiese della Città assiste in Mozzetta, gli si deve l'assistenza di due Canonici?

II. Qualora il Vescovo in Mozzetta assiste alla Messa Conventuale nelle Domeniche, ed altre Feste meno solenni nel primo Stallo del Coro formato a modo di piccolo Trono, si domanda 1. A chi spetta ministrare l'Incenso al Vescovo o al Celebrante? 2. Il Suddiacono dopo cantata l'Epistola a chi deve baciare la mano al Vescovo, o al Celebrante? 3. Il Diacono da chi deve prendere la Benedizione dal Vescovo, e dal Celebrante? 4. L'Evangelio a chi deve portarsi a baciare al Vescoovo, o al Celebrante? 5. L' acqua chi deve benedirla il Vescovo, o il Celebrante? 6. La Benedizione in fine della Messa chi deve darla il Vescovo colla publicazione dell' Indulgenza, o il Celebrante?

III. Nella publica recita dell' Officio Divino è lecito dopo Prima recitare il: *De profundis:* coll'Orazione: *Deus qui nos patrem etc. Fidelium Deus etc*, per i Defonti, e subito dopo incominciar Terza, e ciò nelle Domeniche benanche, e nelle altre Feste solenni?

IV. Il P. Pavone nella sua Guida Liturgica parlando del rito da osservarsi nell' esposizione, e reposizione del Santissimo Sagramento al §. 503. di-

ce : « Nel caso che il Sagramento debba recarsi sul Trono da dietro l'Altare, allora l'Assistente o Diacono ricevuto sopra le spalle il Velo omerale, prende con le mani velate l'Ostensorio, e s'incammina pei gradi laterali del corno dell' Epistola, e sopra il Santissimo porterà il Chierico l'Ombrello. » Questo rito si è sempre osservato in questa Cattedrale, e nelle altre Chiese della Città. Ora il Vescovo sull' autorità di qualche altro Autore Rubricista pretende che il Sagramento si porti dall'Assistente senza Velo, e senza Ombrello. Si domanda quale de'due riti debba osservarsi ?

V. È nella libertà del Vescovo assistere a qualunque giorno nella Cattedrale con la Cappa magna, o deve far uso di questa ne' soli giorni solenni *in solemnioribus ?*

VI. Monsignor Sammantico nel 1729. fondando in questa Cattedrale cinque Cappellanie per cinque Manzionarj nel Decreto di fondazione si espresse in questi termini : *Questi non si debbono intendere, ed avere per veri Beneficiati, ma per amovibili, purchè vi sia legittima causa da esaminarsi nel Tribunale Vescovile juris ordine servato ..... Questi debbono servire nella Cattedrxle per se stessi, e si debbano da tutti stimare, avere, e riconoscere per veri membri della detta Cattedrale, ed in tutto, e per tutto uniti, e dipendenti dal Corpo del nostro Capitolo. Quindi la presente fondazione non si debba intendere fosse fatta per isgravare i quattro Mansionarj chiamati* Abbates de corpore Capituli, *dal loro debito e solito peso ma puramente per aggiungere al cennato loro numero li suddetti altri cinque, affinchè tutti nove uniti insieme potessero, e dovessero sodisfare, specialmente ne'giorni festivi, e solenni, così all' esterne assistenze, come al canto in Coro.* E poichè nello Statuto della Cattedrale del 1715. si diceva, che de'quattro Abbati, o Mansionarj Beneficiati li due Anziani dovessero essere dell' Ordine Diaconale ; nella fondazione di questi cinque Cappellani Mansionarj, dell' Ordine Suddiaconale. Si dice di più in detta fondazione : *Li sudetti cinque Cappellani Mansionarj hanno l'obbligazione di servire, ed intervenire a detta nostra Cattedrale in tutti i giorni festivi* : Da qualche tempo il Capitolo si è servito di detti cinque Mansionarj per celebrare col canto ne' giorni feriali la Messa Conventuale, stante la vecchiaja o l'impotenza di molti Capitolari. A questa prattica si oppone il Vescovo, e vuole assolutamente, che la Conventuale si canti da Capitolari in appoggio al Tridentino, il quale parlando de' Canonici dice : *Divina per se et non per subditos compellantur obire officia.* Ora si domanda se non ostante l'opposizione del Vescovo, possano i Canonici servirsi de' cinque Mansionarj sudetti per far cantare la Messa Conventuale ne' giorni feriali in vigore del Decreto della Sacra Congregazione de'Riti del 17. Luglio 1627. in Nycien. del tenore seguente : *Potest Episcopus cogere Canonicos, ut a Cappellanis in Quadragesima cantare faciant Missam Conventualem.* Ed anche perchè questi Mansionarj non sono veri Sostituti, come si rileva dalle parole del Decreto di loro fondazione, ove si dicono veri membri della Cattedrale, ed in tutto uniti, e dipendenti dal Corpo del Capitolo, perchè sono quasi equiparati agli stessi Abbati Beneficiati ; mentre hanno lo Stallo in Coro dopo gli Abbati, sono come questi benchè con insegna diversa, precedono nelle Funzioni, e Processioni a tutto il resto del Clero, non eccettuati i Parrochi, e gli Arcipreti, e nella Processione del Corpus Domini vestono di Tonicella, come gli Abbati di Dalmatica. Se ne domanda dunque la risoluzione.

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanos Aedes hac die Ordinariis in Comitiis coadunata, audita relatione ab me subscripto Secretario facta, omnibus attente, riteque libratis consideratisque Decretis alias in similibus editis, rescribendum censuit.

Ad I. *Affirmative, sed extra Cathedralem cum moderatione, ne fraudetur Chori servitium.*

Ad II. quoad quaestionem 1. *Dum in Choro, et extra Cathedralis Missae solemni assistit Episcopus, post thurificationem Altaris, et cantato Evangelio Celebrans tantum incensatur,* ad 2. quaest. *Subdiaconus cantata Epistola osculetur manum Episcopi, si adsit in Sede propria, alias Celebrantis:* quoad quaest. 3. 4. et 5. *Ut ad proximum:* quoad ad quaest. 6. *Episcopus tantum in Sede assistens Missae solemni Populo benedicit, Indulgentiasque publicare facit.*

Ad III. *Licere in Choro post Primam recitare Psalmum* De profundis, *cum Oratione pro Defunctis in Communi, exceptis tamen duplicibus primae Classis.*

Ad IV. *Juxta Episcopi sententiam in casu, nimirum sine Velo, et sine Umbella.*

Ad V. *Juxta alias decreta relinquendum arbitrio Episcopi.*

Ad VI. *Posse Canonicos diebus ferialibus substituere Mansionarios de gremio in cantu Missae Conventualis.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 7. Decembris 1844.

4859. SANCTIMONIALIUM ORDINIS CAPUCCINORUM.

Quum Sanctimoniales Ordinis Minorum Capuccinorum in Civitate Panormitana Apostolicum enixe rogarint Indultum, cujus vigore singuli Sacerdotes penes ipsas Sacrum facturi omnino adigantur ad celebrandas Missas, respondentes Officiis, quae ipsae recitant, inclusa etiam Conventuali; Sacra Rituum Congregatio ad Vaticanum hodierna die Ordinariis in Comitiis coadunata, referente me Secretario, rescribendum censuit: *Juxta alias decreta Missam Conventualem Officio diei respondentem celebrari debere per Confessarium, vel Aedituum, aut alterum ad hoc deputatum: quoad vero reliquos Sacerdotes in diebus ritus duplicis conformari debere colori Paramentorum Ecclesiae.* Die 7. Decembris 1844.

4860. MURAN.

Quum Reverendissimus Muran. Episcopus humillimis sequentibus precibus Sanctissimum Dominum Nostrum Gregorium XVI. Pontificem Maximum adierit, nimirum

Beatissimo Pàdre.

Fr. Tommaso Antonio Gigli Vescovo di Muro di anni 72. umilmente espone, che da molti anni ha sofferto in ambe le braccia, ma più nel destro una Paralisia, ossia tremore, che attualmente essendosi accresciuto, con somma difficoltà nel celebrare la Santa Messa può frangere la Sacra Ostia sul Calice, e con pericolo di versare il Calice istesso, e far svolazzare i frammenti: che perciò prega la Santità Vostra volersi benignare accordargli il permesso di franger l'Ostia sopra la Patena con le mani poggiate sopra il Corporale, come ha praticato qualche volta con meno difficoltà e minor pericolo, proseguendo poi il resto secondo il Canone, cioè di far le Croci sul Calice colla particella dell' Ostia dicendo: *Pax Domini.* Che della grazia ec.

Sanctitas Sua, referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, de speciali gratia benigne annuit ut Episcopus Orator in Incruento Sacrificio consecratam Hostiam super Patenam frangere possit juxta preces; non omittendo tamen caetera, quae fieri in actione assolent.

Die 13. Decembris 1844.

4861. ALIPHAN.

Duobus ad hinc annis Sacerdos Aloisius Ferrucci Archipresbyter Curatus Cathedralis Aliphan. Ecclesiae adeo gravi morbo in genu afflictatur, ut stare nequeat omnino, ac domo detineatur, quin Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare possit, quod inter caetera incommoda molestum admodum experitur. Ut itaque eidem levamen aliquod obveniat Reverendissimus Episcopus Aliphan. et Thelesin. Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo exposuit, ut quoniam ea in domo Indultum extat Oratorii privati, quo gaudet infirmi Patruus Sacerdos Vincentius Ferrucci, enixe rogavit ut in eodem Oratorio quotidie etiam in Solemnioribus infirmo eidem Sacerdoti liceat Sacrosanctum Missae Sacrificium litare semper sedendo. Sanctitas Sua, referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, attentis peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus, ac memorati Reverendissimi Episcopi votis, de speciali gratia nullo umquam tempore in exemplum afferenda, benigne annuit juxta petita; attamen perdurantibus enunciatis valetudinis incommodis; dummodo semper in privato praedicto Oratorio celebret, assistente a principio ad finem Missae alio Sacerdote Cotta induto, et injuncto onere ut per alium sibi benevisum Sacerdotem Missam Officio diei conformem celebrare faciat quoties pro Populo applicare tenetur. Contrariis etc.

Die 11. Aprilis 1845.

4862. MELITEN.

Reverendissime Domine uti Fr.

In Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis apud Vaticanas Aedes hac ipsa die coactis per Eminentissimum et Reverendissimum D. Cardinalem Gabrielem Ferretti Relatorem designatum proposita fuit Controversia diu vigens inter Sodalitates Beatae Mariae Virginis a Rosario, et a Consolatione nuncupatas ex una, et Sanctissimi Sacramenti ex altera parte Oppidi seu Casalis Lucae istius Meliten. Dioecesis. Illarum petitio respiciebat jus deferendi Fanalia in publica Supplicatione, quae ibidem instituitur in honorem Sancti Felicissimi Martyris, sicut in more est Sodalibus Sanctissimi Sacramenti, novamque quaerelam super attentatis ex eo potissimum, quod non obstante Decreto hujus Episcopalis Curiae, et appellatione pendente, soli tali modo incesserunt novissima in Supplicatione. Quum autem Sacra eadem Congregatio in sensu fuerit ut - Dilata - rescriberetur, et - ad Mentem - nimirum ut per modum provisionis, donec quaestiones omnes iterum ad trutinam revocentur, Fanalia interim deferantur a Clericis ad tramites supradicti Decreti; dignetur propterea Amplitudo Tua praedictis tribus Sodalitatibus hanc Sacrae Congregationis sententiam indicere, atque ad alia scandala, et dissidia praecavenda obtinere, ut omnino abstineant a Fanalibus deferendis, donec exorta Controversia definiatur. Et diu felix, ac incolumis vivat.

Romae 14. Iunii 1845.

Reverendissimo Domino uti Fratri
Episcopo Melitensi.

4863. CENONANEN.

Etsi Decreto hujus Sacrae Rituum Congregationis nuperrime lato septimo Idus Decembris anni 1844. declarata fuerint Dubia a Reverendissimo Cenomanen. Episcopo proposita quoad Consecrationem Ecclesiarum; quum tamen idem Episcopus comperiat ambiguitates adhuc oriri quoad qualitatem Officii, seu Nocturnorum cum Laudibus in Vigiliis ante sacras Reliquias in Altari reponendas persolvendis, nimirum an Officium ipsum nominatim sumendum sit ex Communi Martyrum, vel potius an celebrandae sint Vigiliae per totam Noctem, cantando, vel recitando Hymnos, Psalmos, aliasque preces; ac proinde iteratis precibus Sacram ipsam Congregationem rogarit ut dilucidam regulam in praxi servandam sibi tradere dignaretur ad omnem disputationem praecidendam, ac rite intelligendum quid strictim praecipiant Pontificalis Romani haec verba: *Celebrandae sunt Vigiliae ante Reliquias ipsas, et canendi Nocturni, ac matutinae Laudes, in honorem Sanctorum, quorum Reliquiae recondendae sunt:* Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi ad Vaticanum subsignata die coadunati in Ordinariis Comitiis, referente me Secretario, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuerunt: *Pontificalis verba in casu intelligenda esse, quod celebrentur Vigiliae cum Matutino, Laudibus, Hymnis, Canticis de Communi, cum simili Oratione de Communi sine nomine expresso, quum non sint partes Officii diei.* Atque ita rescripsere, ac servandum mandarunt.

Die 14. Iunii 1845.

4864. FLORENTIN.

Quum R. P. Rodulphus Bacci Sacerdos Congregationis Scholarum Piarum Florentiae degens Sacrorum Rituum Congregationem enixe rogarit declarationem insequentium Dubiorum, nimirum

1. In Archidioecesi Florentina quum pro Clero Saeculari tantum habeantur privilegiatae Octavae tum Sanctissimi Corporis Christi, tum Assumptionis Beatae Mariae Virginis, quaeritur an Clerici Regulares Scholarum Piarum Florentiae morantes, et Kalendario Dioecesano utentes, teneantur in memoratis Octavis ad hujusmodi privilegium?

2. Clerus Saecularis et Regularis Dioecesano Florentino Kalendario utens, gaudet privilegio recitandi Officium Conceptionis Beatae Mariae Virginis in omnibus Sabbatis per Annum, etiam in Quadragesima: quaeritur an Clerici Regulares Scholarum Piarum in Dioecesi Florentina degentes, et habentes privilegium recitandi Officium Sanctissimi Nominis Mariae semel in hebdomada, exclusa Quadragesima, possint potius recitare Officium Sanctissimi Nominis Mariae in die Sabbati etiam in Quadragesima, et Adventu?

3. Clericis Regularibus Scholarum Piarum cessat Octava Nativitatis Beatae Mariae Virginis post Nonam Sabbati ejusdem Octavae ob solemnitatem Sanctissimi Nominis ejusdem Beatae Virginis, quae occurrit Dominica infra eamdem Octavam sub ritu duplicis primae Classis cum Octava veluti Patronae praecipuae totius Ordinis Scholarum Piarum: quaeritur an non obstante hac cessatione, debeat recitari Officium Nativitatis Deiparae in die octava, aut illa die reponi aliquod Officium translatum, vel recitari potius de infra Octavam Sanctissimi Nominis Mariae?

4. Clerici Regulares Scholarum Piarum Florentiae degentes assolent Feria sexta in Parasceve ad populi venerationem exponere Reliquiam Sanctissimae

Crucis immediate post adorationem Crucis ipsius, et ante Missam Praesanctificatorum: quaeritur num sit retinenda consuetudo, seu post eamdem Missam, et consummationem Sanctissimi Sacramenti exponenda sit?

Et Sacra ipsa Congregatio ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente me Secretario, singulis propositis Dubiis maturo examine de more perpensis, respondendum censuit.

Ad 1. *Negative sicuti provisum est pro Regularibus.*

Ad 2. *In Sabbatis tantum per annum posse, exclusis semper Quadragesima, Adventu, et Sabbatis quatuor Temporum.*

Ad 3. *Ob cessationem Octavae, cessandum etiam a die octava admittendo Officium translatum.*

Ad 4. *Posse, dummodo Reliquia inclusa sit Cruci talis mensurae, ut poni queat inter Candelabra Arae majoris.*

Atque ita rescripsit, servandumque mandavit.

Die 14. Iunii 1845.

4865. LIMBURGEN.

Sacerdos Carolus Klein Sacrae Theologiae Doctor, ac Reverendissimi Episcopi Limburgen. Caeremoniarum Magister quum animadverteret in Caeremoniale Episcoporum sa: me: Benedicti XIV. jussu edito *lib.* 2. *cap.* 2. praescribi. - *Si sermo habendus erit in laudem Defuncti, pro quo Missa celebratur, tunc ea finita, ante absolutionem accedat Sermocinaturus vestibus nigris indutus sine Cotta, et facta Oratione ante medium Altaris, nulla petita benedictione ab Episcopo, sed facta ei profunda reverentia vel genuflexione pro qualitate personae ascendat Pulpitum panno nigro coopertum, ubi facta iterum Episcopo reverentia, signans se signo Crucis facit sermonem;* - ut ab hac Caeremonialis praescriptione quaecumque ambigua interpetratio amoveatur, Sacrorum Rituum Congregationem enixe rogavit, ut declarare dignaretur.

1. An praenotatis verbis Caeremonialis - *vestibus nigris* - etiam Stola comprehendatur, ita ut Sermocinaturus in laudem Defuncti ( extra Urbem ) Stola super veste talari, vel alia dignitati suae competenti, indui debeat?

2. An laudata dispositio Caeremonialis in Ecclesiis Cathedralibus tantum, an etiam in aliis omnibus, Episcopo absente, servari debeat?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subscripta die coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem mei Secretarii rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *In omnibus Ecclesiis servandam.*

Die 14. Iunii 1845.

4866. LEODIEN.

Quum Reverendissimus Leodien. Episcopus Sacrorum Rituum Congregationem enixe rogarit, ut declarare dignaretur: Utrum Calix et Patena suam omittent consecrationem per novam deaurationem, et sic indigeant nova consecratione? Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die in Ordinariis Comitiis coadunata, ad relationem mei Secretarii rescripsit: *Affirmative, amittere,* nimirum, *et indigere juxta exposita.* Die 14. Iunii 1845.

4867. MACERATEN.

Sacerdos Antonius Madugnini Canonicus in Collegiata Ecclesia Sancti Urbani loco vulgo *Apiro* in Dioecesi Maceraten. quum Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuerit, nimirum

1. An in Ecclesiis Collegiatis, ubi quotidie in Quadragesima post Nonam canitur ferialis Missa (quae Missa poenitentiae esse videtur) adhibenda sint Ceroferaria, et apponendum Incensum?

2. An Cereus Paschalis ponendus sit super Candelabrum, vel super Cornucopium?

3. An in Missa Praesanctificatorum dicenda sit Oratio pro Imperatore?

Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die in Ordinariis Comitiis coadunata, referente me Secretario, respondendum censuit.

Ad 1. *Affirmative in omnibus.*

Ad 2. *Super distincto Candelabro in plano posito a cornu Evangelii.*

Ad 3. *Juxta alias decreta omittendam.*

Die 14. Iunii 1845.

4868. CADICEN.

Sacerdos Antonius Ioachim Perez in Cathedrali Cadicen. Ecclesia Caeremoniarum Magistri munere fungens Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia proposuit enixe efflagitans ut illa declarare dignaretur, nimirum

1. Quum aliquoties occurrat in hac Dioecesi Cadicen. translatio Officii Patrocinii Beatae Mariae Virginis, quaeritur utrum simul transferatur Indulgentia Plenaria concessa Fidelibus, qui Missae Conventuali Festi Patrocinii intersunt: an vero eam lucrari possint, qui intersunt in ipsa Dominica secunda Novembris Missae Conventuali diei Octavae Festi omnium Sanctorum, vel etiam lucrari possint si celebretur alia Missa solemnis de Festo Patrocinii Beatae Mariae Virginis post decantatam Missam Conventualem illius diei?

2. An Canonici, Dignitates, et Portionarii parati, vel non parati dum accipiunt solemnem benedictionem ab Episcopo nomine Summi Pontificis impertitam, debeant se inclinare, vel genuflectere?

3. An Feria quinta in Coena Domini, in qua post Completorium fit Mandatum, vel lotio pedum, et postea concionatur Fidelibus in hac Ecclesia Cadicensi, locus Concionatoris, vulgo *Pulpito*, ornari debeat, ut moris est, colore albo, vel potius debeat esse nudus, absque ullo ornatu?

4. An nocte Feriae quintae in Coena Domini, in qua concionatur Fidelibus Sermo de Passione Domini, locus Concionatoris, vulgo *Pulpito*, ornatus esse debeat colore nigro, violaceo, an potius absque ullo ornatu?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum hodierna die in Ordinariis Comitiis coadunata, referente me Secretario, rescribendum censuit.

Ad 1. *Supplicandum in casu pro translatione Indulgentiae.*

Ad 2. *Pro qualitate Personae vel inclinare, vel genuflectere.*

Ad 3. *Sine ullo prorsus ornatu.*

Ad 4. *Ut ad proximum.*

Die 14. Iunii 1845.

4869. MONASTERIEN.

Alte cordi quum insideat Reverendissimi Episcopi Monasteriensis, ut in sacris agendis omnia recto ordine procedant, atque ad eliminandas controversias, quae passim super nonnullis insurgunt, quae Clerum ex utraque parte scindunt, pro concordia assequenda, ac discordia eliminanda Sacrorum Rituum Congregationi sequentia exposuit, ut juxta sancitas leges, quoad omnia opportune provideatur. Ita poro efflagitabat, et exponebat, nimirum

1. Parochus Heistermacen. in Keken hujus Dioecesis propter necessitatem

populi, licentiam obtinuit diebus Dominicis, et festivis bis celebrandi in Ecclesia Parochiali, et pro hoc officio suscepto a Parochianis, qui alias multo majoribus sumptibus, quod non possunt, Sacellanum sustentare tenerentur, remunerationem quamdam accipit. Quaeritur num respectu hujus remunerationis, obligetur etiam hanc Missam secundam, de cujus applicatione nihil stipulatum est pro Populo, sive Parochianis remunerationem praebentibus applicare pro futuro, uti ipsam Missam Parochialem, numquam pro praeterito, propter omissam bona fide hanc applicationem aliquid restituere teneatur?

2. Deinde saepius in hujate Dioecesi contigit propter latitudinem Parochiarum, quod in iis Sacella inveniantur, ubi Dominicis, et festivis diebus sive ex fundatione, sive ex contractu Parochi, et Parochianorum, Missa celebrari debeat pro incolarum ab Ecclesia Parochiali remotorum, imprimis seniorum, et et infirmorum necessitate, vel commoditate. Viget consuetudo, quod si per fundationem, vel contractum de applicando Sacro ad certam intentionem nihil statutum sit, in ejusmodi casibus Celebrans pro alio stipendio applicet, vel ad propriam intentionem. Quaeritur num haec consuetudo, de cujus legalitate dubitatur, pro futuro permittenda, et num pro praeterito aliquid exinde restituendum sit ab iis, qui bona fide ea usi sint?

3. Per Epistolam Encyclicam sa: me: Benedicti Papae XIV. cautum est, ut omnes et singuli, qui actu curam Animarum exercent, et non solum Parochi, et Vicarii Saeculares, verum etiam Regulares omnibus Dominicis, aliisque diebus festis de praecepto Missam Parochialem pro Populo applicare teneantur. Duplex de hujus Constitutionis sensu dubium exortum est. 1. Num non solum Parochi, et qui Parochi vices fungentes curam *primariam* exercent, sicut hic habetur consuetudo; sed etiam omnes cura *subsidiaria* fungentes ad applicandum pro Populo diebus festis obligentur? Contra hanc extensionem, quam pauci, aut nulli sequuntur, nobis vox *Missa Parochialis*, quae tamen solum unicum et ex sensu communi Sacrum solemne significat, rationem fundatam porrigere videtur. Denique dubitatur num etiam in illis diebus festis, qui jam pridem Auctoritate Sedis Apostolicae interveniente, hic locorum sunt abrogati, et hodie ut dicunt, non in Foro, sed solum in Choro celebrantur, ita ut quoque obligatio Fidelium ad audiendum Sacrum sit sublata, adhuc obligatio Parochi ad applicandum pro Populo Sacrum perseveret? Antiqua Constitutione Episcopi Monasterien. de anno 1772., quae vero in desuetudinem abiit, vel etiam numquam in praxim deducta est, statutum fuit quod antiqua obligatio applicandi pro Populo, abrogatione Festorum non tolli intendatur.

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitiis hac die coadunata, audita relatione ab me subscripto Secretario facta, omnibus attente, riteque libratis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative in casu.*

Ad 2. *Posse permitti.*

Ad 3. *Quoad primam partem solum teneri qui Animarum curam* primariam *exercent*: *quoad secundam partem juxta alias decreta, teneri etiam in Festis legitime abrogatis.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 14. Iunii 1845.

4870. MONASTERIEN.

Dum superiori anno 1843. Ioannes Henricus Afphippe ex Parochia Warandorf intra fines Dioecesis Monasterien. Apostolicum rogavit Indultum, ut in suo publico Sacello Deo in honorem Sancti Ioannis Baptistae dicato, in Dominicis etiam, aliisque festis diebus, a sibi beneviso Sacerdote Sacrosanctum Missae Sacrificium celebretur, quin in minimo Parochialia jura laedantur, Sacra Rituum Congregatio ipsius preces pro Informatione, et voto Reverendissimo Monasterien. Episcopo transmisit; nam ex ordinaria Antistitis facultate Indultum ipsum pendebat; nec sibi persuadere poterat a religiosissimo Praesule absque legitima causa hujusmodi licentiam denegari. Prudens consilium istud pergratum admodum fuit Monasteriensi Episcopo, ut in suis Litteris datis pridie Kalendas Maji vertentis anni apparet; queis quidem Literis Sacram ipsam Rituum Congregationem certiorem reddit ingenue, privilegium Oratori concessum a se ita ad Dominicas, festosque dies de praecepto non extendi, quia sine praejudicio, et detrimento Ecclesiae, Parochialis neutiquam remotae, in enunciato Sacello Missa celebrari non potest ex eo potissimum, quia Fideles in casu Concionem negligerent, ac caetera Parochialia exercitia, veluti pluries Oratori ipsi communicatum fuit, et insimul injunctum, ut singulare Ecclesiasticum Beneficium pro ipsius Sacelli Dote fundaret. Quae quidem rationum momenta ab eodem Reverendissimo Episcopo proposita adeo gravia Sacra ipsa Congregatio agnovit, ut in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis, referente me Secretario, rescripserit - *Juxta Votum Episcopi* - id est expetitum Indultum Oratorii denegandum omnino existimavit. Die 14. Iunii 1845.

4871. NETIN.

Reverendissime Domine uti Frater.

Etsi a prima institutione Collegiatae Ecclesiae Sanctissimi Crucifixi in Civitate Netina de anno 1670. facta, cautum fuerit, ut ipsa sub Cruce incederet alterius Collegiatae Ecclesiae Matricis a Sancto Nicolao nuncupatae, quam quidem conditionem fideliter admodum servavit, quamvis Collegiata ipsa Sanctissimi Crucifixi de anno 1698. formiter insignis declarata fuerit; attamen quum in praesentiarum per Apostolicas Litteras in forma Brevis superiori anno 1844. Idibus Maji expeditas, Collegiata Sancti Nicolai in Cathedralem fuerit erecta, Capitulum Sanctissimi Crucifixi anceps adhuc haeret de propriae Crucis erectione, dum novae Cathedralis Capitulum sub propria Cruce illud deinceps excipere nequit. Sacrorum proinde Rituum Congregationem humillimis precibus adeuntes Canonici Sanctissimi Crucifixi, Sacri hujus Consessus sententiam rogarunt, ac provisionem instanter efflagitarunt. Eminentissimi vero ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi ad Vaticanum hodierna die coadunati in Ordinariis Comitiis, audita a me Secretario fideli relatione, perpendentes pluries sancitum fuisse quid in casu servandum, satius sumpsere consilium, in sensu Decretorum Amplitudini Tuae opportunas tribuere facultates, ut per modum regulae deinceps omnino servandae decernas Capitulo insignis Collegiatae Ecclesiae liberum esse propriam erigere Crucem, sub qua Clerus ipsius Ecclasiae Collegiatae non minus, quam reliquus Clerus Saecularis Civitatis incedere debet per ordinem, ac proinde praecedentiam concedere Seminario Netino, cujus Alumni, caeterique in casu incedant sub Cruce Cathedralis. Quod si vero Capitulum Collegiatae Sanctissimi Crucifixi interdum

sub Cruce Cathedralis incedet, tunc etiam juxta alias Decreta Seminario Cathedralis Clero unito, praecedentiam cedere tenetur. Quae singula dum Sacrae Congregationis nomine Amplitudini Tuae communico, ut qua praestas prudentia, ac religione rem omnem componere valeas, diu felix et incolumis vivas. Die 14. Iunii 1845.

Reverendissimo Domino uti Fratri
Episcopo Netin.

4872. OPPIDEN.

Reverendissimus Oppiden. Episcopus quum id potissimum in votis habeat ut in Sacris Functionibus, et in Ecclesiastica Liturgia omnia juxta sancitas leges ordinentur, Sacrorum Rituum Congregationem enixe rogavit, ut insequentia Dubia declarare dignaretur, nimirum

1. An in Festo Sancti Francisci de Paula Confessoris, modo cum Octava in utriusque Siciliae Regno celebrando, Officium a Clero persolvendum esse debeat proprium pro Ordine Minimorum adprobatum, vel desumendum ex Breviario, et Octavario Romano?

2. An Praefatio in Missa ejusdem Sancti dici possit propria, ut in ipso Ordine?

3. Quaeritur an Episcopus assistens Missae Solemni, quae in Ecclesia celebratur cum cantu, deponere debeat Pileolum a Consecratione ad Consummationem inclusive; ac idem dicendum de Mitra dum assistit cum Pluviali; an assistens cum Cappa et Mozzetta deponere debeat Biretum tantum, retinens Pileolum?

4. Quatenus declaretus Episcopum posse cum Pileolo assistere, ut supra; an idem Pileolum retinere pariter possint Canonici in Choro, et Solio assistentes dum descendunt ad Circulum ad *Gloria*, *Credo*, *Sanctus*, et *Agnus Dei*?

5. An Canonici utcumque Episcopo ministrantes in sacris Functionibus, debeant semper id praestare capite detecto, et absque Pileolo?

6. An iidem Canonici Episcopo ministrantes dum Sacrum peragit, saltem possint retinere Pileolum usque ad Consecrationem, illudque resumere sumptione peracta?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die in Ordinariis Comitiis coadunata, referente me Secretario propositis Dubiis maturo examine de more perpensis, respondendum censuit.

Ad 1. *Officium Breviarii Romani, et per Octavam desumendum ex Octavario itidem Romano.*

Ad 2. *Negative, sed illam, quae prostat in Missali Romano.*

Ad 3. *Sine Mitra, et Bireto tantum.*

Ad 4. *Negative in omnibus expressis circumstantiis.*

Ad 5. *Semper sine Pileolo.*

Ad 6. *In Sacris functionibus numquam Pileolo uti posse.*

Atque ita rescripsit, servandumque mandavit.

Die 14. Iunii 1845.

4873. ORDINIS DISCALCEATORUM SANCTISSIMAE TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIVORUM.

Praeses Conventus Sancti Caroli ad quatuor Fontes hic in Urbe Ordinis Discalceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, advertens Sa-

cerdotes sui Instituti dum pergunt ad Aram Sacrum facturi procedere capite detecto, cupiensque ut ipsi se conforment dispositioni Rubricae Missalis Romani, quae *Part. II. Tit. II.* praecipit quod Sacerdotes capite cooperto ad Altare procedant, Alumnos praedicti Asceterii ad Capitulum congregavit, illisque rem omnem aperuit ea tamen lege, ut quacumque ex parte cujusque opinio se verteret, sensus super re Sacrorum Rituum Congregationis exquireretur. Disquisitione instituta, res cessit contra Praesidis votum, omnesque vel praesidio suppositae legis proprii Caeremonialis, vel consuetudini etiam immemorabili innixi, in voto fuere nihil esse innovandum servandamque consuetudinem procedendi ad Altare eo in casu capite operto. Sed juxta praescriptam conditionem praedictus Superior ad hanc Sacram Congregationem recursum instituit, ut super controversia de jure decerneret. Quae in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes die 7. Mense Decembri anno superiore 1844. coadunata, satius duxit rescribere: *P. Procuratori Generali Ordinis pro Voto, qui transmittat Exemplar proprii Caeremonialis.* Quae omnia quum peracta fuerint, et tum ex Voto Vice-Procuratoris Generalis scriptis pandito, tum ex Parte secunda illius Caeremonialis §§. I. II. et XII., quod tamen legitima adprobatione caret, non eruatur quae in praxi, et ex consuetudine serventur a Sacerdotibus praedicti Ordinis dum pergunt a Sacristia ad Altare Sacrum facturi; propterea Eminentissimi, et Reverendissimi Patres in Ordinariis Comitiis iterum ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunati, omnibus mature consideratis, praesertim quod juxta alias decreta nulla consuetudo praescribere valeat Rubricarum dispositioni; auditaque plena relatione a me Secretario facta rescribendum censuerunt: *Capite cooperto juxta Rubricas.*

Atque ita rescripserunt, ac servari mandarunt a Sacerdotibus Discalceatis Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum.

Die 14. Iunii 1845.

4874. MANDELEN.

Dubiis propositis a Capitulo Cathedralis Mandelen. Ecclesiae hisce terminis conceptis, nimirum

1. Utrum Missa Conventualis sit ex jure celebranda a solis Canonicis, vel a Mansionariis quoque, seu a Beneficiatis ad turnum?

2. Utrum prima Dignitas in Capitulo, seu Archipresbyter Parochus praeter Missas Conventuales celebrandas in anni curriculo, nec non applicandas solemnioribus diebus festivis, teneatur ad turnum pro Missis uti caeteri Canonici?

3. Utrum Canonici Cathedralium, in quibus nulla adhuc invecta sit consuetudo, aut particularis institutio, et ubi Praebendae Canonicales nullimode sunt distinctae in Presbyterales, Diaconales, et Subdiaconales, teneantur ex jure ministrare pro Diacono, et Subdiacono Archipresbytero, qui est prima Capituli Dignitas post Episcopalem solemniter Missam Conventualem celebranti?

Sacra Congregatio Rituum, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum coadunata per modum provisionis rescribendum censuit: *Juxta Votum Episcopi donec efformetur novum Capituli Statutum:* nimirum.

Ad 1. *A solis Canonicis.*

Ad 2. *Non teneri ad turnum.*

Ad 3. *Affirmative.*

Die 14. Iunii 1845.

4875. PLATIEN.

Canonicos inter Cathedralis Ecclesiae Platiensis controversia parvi quidem momenti orta est, quae tamen nonnullorum animos diversas in partes scindit. Quam quidem controversiam ad formam Dubii proponit pro opportuna dilucidatione R. D. Calogerus Crea recensitae Cathedralis Canonicus Theologus, nimirum - An Canonicus in Choro Diaconus, sed charactere Ordinis Presbyteralis, omnibus annuentibus Canonicis possit in Choro facere Hebdomadam? - dum ipse affirmativam protueri sententiam profiteatur. Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes hac die coadunata in Ordinariis Comitiis, audita relatione ab me infrascripto Secretario facta, inhaerendo decretis alias super re editis ac perenni consuetudini aliis in Ecclesiis laudabiliter servatae, rescribendum censuit: *Affirmative; dummodo Praebendae non sint fixae, et in Choro per antianitatem ascendatur ad Ordinem Presbyteralem.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 14. Iunii 1845.

4876. SYRACUSAN.

Etsi cautum fuerit pluries a Sacra Rituum Congregatione ut in Collegiatis Ecclesiis solemnis Benedictio Fontis perficiatur a Canonico Hebdomadario, idque servetur in Collegiata Sanctissimae Annunciationis loci vulgo *Comiso* intra fines Dioecesis Syracusanae, in qua Parochus alterius Matricis Ecclesiae curam animarum exercet, quin in Sacris Functionibus locum ullum ex inita conventione obtineat; attamen Sacra Rituum Congregatio quum iterum requisita fuerit de ulteriori in re declaratione, ut futuris quibusve temporibus ordo, et uniformitas habeatur, ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, juxta alias decreta rescripsit: *Fontis benedictionem statis diebus in Collegiata spectare ad Hebdomadarium.*

Atque ita omnino servandum in Collegiata Oppidi Comiso mandavit.

Die 14. Iunii 1845.

4877. SUTRINA.

Superiori anno a vivis erepta quum fuerit mulier Anna Graziani Patrizj e Burgo Sancti Sepulchri, locus factus est Testamentariae illius dispositionis, ut nimirum peracto funere Collegiata in Ecclesia Roncelionis, quod est Oppidum in Sutrina Dioecesi, ejus Cadaver tumularetur in Ecclesia Frarum Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum Loci ejusdem. Ad tramites praedictae dispositionis exequuta omnia quum fuerint, incassum iidem Regulares quartam funerariam sibi debitam expectarunt, licet formiter et a Capitulo Collegiatae, et Archipresbytero Parocho illam exquisivissent; quin immo requisitio isthaec tamquam indebita fuit ab iisdem rejecta. Ea propter R. P. Guardianus ejusdem Conventus ad hanc Sacrorum Rituum Congregationem recursum habuit contra repulsam Capituli et Parochi; quae in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes die 7. mense Decembris anno 1844. coadunata, ad relationem mei subscripti Secretarii satius duxit in re omnibus nota, pluriesque decreta Reverendissimo Episcopo particulariter committere, ut pro sua prudentia controversiam juxta morem ad pacem componeret assequendam, ac sine ullo strepitu judicii Capitulum adigeret ad praestandum Alumnis Ordinis Capuccinorum, quod illis debetur a jure statutum. Attamen ejusdem Reverendissimi Episcopi consilium, qui noverat postea recursum habitum fuisse a Patribus Capuccinis penes Sacram Congregationem Concilii, acceptis iis Litteris, aliisque Sacrae

Congregationis Eminentissimorum Patrum Sacri Concilii Tridentini Interpetrum super re Informationem requirentibus, in illud intendit, ut omnia Capitulo supradicto patefaceret, susceptisque allegationibus in scriptis, Sacram utramque Congregationem certiorem redderet super controversia componenda. Interim Sacra Congregatio Concilii allegata omnia a Reverendissimo Episcopo accepta, ad hanc Sacrum Rituum Congregationem praeventam trasmisit; quae denuo in Palatio Apostolico Vaticano Ordinariis in Comitiis hac die coadunata, auditaque super omnibus fideli relatione ab me subscripto Secretario facta, post maturum, accuratumque examen, prae oculis potissimum habens Legem Patribus ex Ordine Capuccinorum favere, adductamque distinctionem a Capitulo super Sepulchro stabili, seu gentilitio, vel ex testamentaria dispositione electo in jure nullibi reperiri, nec posse quemquam compelli jure suo cedere, si quis forte alias sponte cesserit, unanimi sensu rescribendum censuit: *Juxta alias decreta in casu praestandam esse quartam funerariam Ecclesiae tumulanti.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 14. Iunii 1845.

4878. **ORDINIS PRAEDICATORUM.**

Quum Reverendissimus P. Fr. Angelus Dominicus Ancarani jam Magister Generalis Ordinis Praedicatorum maxime exoptat, ut quaecumque ambiguitas excludatur, penitusque eliminatur in expleuda directione Kalendarii sui Ordinis Sacrorum Rituum Congregationem humillimis precibus adiens, sequentium Dubiorum declarationem enixe rogavit, nimirum

1. An Superior Generalis Ordinis Praedicatorum ad hoc ut a Sancta Sede obtineat pro toto Ordine novum Officium, vel elevationem Officii jam habiti, indigeat consensu Superiorum inferiorum ejusdem Ordinis, vel Capituli Generalis?

2. Obtento, et acceptato a Superiore Generali novo Officio, vel ritus elevatione, de quibus supra, an sit in facultate Superiorum inferiorum illa acceptare, vel nec ne?

3. An sequens Superior Generalis respuere possit praedictum novum Officium, vel ritus elevationem a suo Antecessore obtentam, et acceptatam?

4. Supposito quod Superior Generalis absque aliorum consensu possit a Sancta Sede novum Officium, vel elevationem ritus obtinere, et quod Successor Superior Generalis, ac Superiores inferiores nequeant praedictum novum Officium, vel ritus elevationem respuere, quaeritur an unusquisque pro adimplemento oneris Divini Officii strictim adigatur praefatae concessioni se conformare?

Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi ad Vaticanum subsignata die coadunati in Ordinariis Comitiis, audita ab infrascripto Secretario fideli relatiane, maturoque examine perpensis tam propositis Dubiis, tum peculiari adprobata Rubrica Breviarii Ordinis Praedicatorum §. *XXXI. n.* 2., tum tandem alias in similibus a Sacra Congregatione Decretis, et praesertim Idibus Ianuarii de anno 1631. in una Urbis et Orbis, respondendum censuerunt.

Ad 1. *Juxta praecitatam Rubricam* §. *XXXI. n.* 2. *non indigere.*

Ad 2. *Negative, sed teneri acceptare.*

Ad 3. *Non posse ad tramites praedicti Decreti diei* 13. *Januarii* 1631.

Ad 4. *Affirmative in omnibus.*
Atque ita declarandum, rescribendum, ac omnino in Ordine Praedicatorum servandum edixere.
Die 14. Iunii 1845.

4879. RIPANA.

In Oppido vulgo Montebrandone intra fines Dioecesis Ripanae erecta reperitur Ecclesia a Sacerdote Ioanne Sacri aedificata in honorem Beatae Mariae Virginis a Spe nuncupata, atque necessaria Dote ditata, in qua annuentibus Episcopis Ecclesiasticae Functiones, quae juris non sunt Parochialis, atque solemnes per annum Supplicationes ab Episcopis ipsis ordinariae declaratae, institutae sunt. Quum vero in praesentiarum hodiernus Praepositus jus aliquod sibi vindicet in ipsis Functionibus, et Supplicationibus; ac proinde Sacerdoti Oratori de anno 1830. injunctum fuerit ab Episcopo, ut veniam impetraret ab eodem Praeposito, ipse grave admodum hoc experitur, ex eo potissimum quia innumeris Decretis Sacrorum Rituum Congregationis praescriptio isthaec opponitur; ac proinde eamdem Congregationem humillimis precibus rogavit, ut declarare, vel potius decernere dignaretur, an deinceps in memorata sua Ecclesia Supplicationes, caeteraeque Ecclesiasticae Functiones, quae Parochialia Iura vel in minimo laedunt, exerceri, et institui valeant de venia tantum Episcopi, ut simili modo contentiones ac jurgia penitus amoveantur. Et Eminentissimi, ac Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis propositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati, rescribendum censuerunt: *Posse in casu de consensu tantum Episcopi juxta alias Decreta.*
Die 14. Iunii 1845.

4880. ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Quum R. P. Fr. Carolo Antonio ab Arce Grimalda Alumno Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Provinciae Sancti Hieronymi in Dalmatia cura demandata sit disponendi Ordinem Divini Officii persolvendi, ac Missae quotannis celebrandae in Ecclesiis sui Ordinis, et Provinciae, ne deinceps ambiguitas ulla occurrat quoad nonnulla peculiaria Officia, Sacrorum Rituum Congregationem enixe rogavit, ut sequentia Dubia declarare dignaretur, nimirum

1. An Officium Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi tertiae ex feriis sextis mensis Martii, sub ritu duplicis primae classis occurrens, dum feria sexta in Parasceve incidit, eo anno omitti debeat, vel potius transferri etiam intra tempus Paschale?

2. An idem Officium occurrens die Annunciationis Deiparae transferri possit?

3. An hoc ipsum Officium sit transferendum quoties occurrit cum Festo Patroni, vel Titularis Ecclesiae sub ritu duplicis primae classis instituendo?

4. An Officium Sacrorum quinque Vulnerum Domini Nostri Iesu Christi primae ex feriis sextis mensis Martii assignatum sub ritu duplicis majoris, incidens in duplici secundae Classis, transferri possit etiam ad tempus Paschale deficiente die libera intra Quadragesimam?

5. An enunciata duo Officia in casu impedimenti sub ritu jam concesso anticipari queant in aliis feriis sextis etiam mensis Februarii?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente me Secretario, propositis dubiis maturo examine de more perpensis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Omittendum in casu.*

Ad 2. *Transferendum intra Quadragesimam tantum si adsit Indultum.*

Ad 3. *Praeferendum Officium Patroni, vel Titularis.*

Ad 4. *Servandas regulas in Tabella occurrentiae, vel concurrentiae expositas, et Officium Sacrorum quinque Vulnerum non transferendum ad tempus Paschale, sed in casu omittendum.*

Ad 5. *Negative, sed servandum Indultum.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 14. Iunii 1845.

4881. SCOTORUM.

Sanctus Andreas Apostolus in Scotia veneratur ceu Regni Patronus, ac proinde sub ritu duplicis primae classis cum Octava natale ipsius Sancti Festum instituitur, et dies octava Sanctum Ambrosium Episcopum Confessorem Doctorem removet a propria sede; cujus quidem Sancti Doctoris Officio assignata modo reperitur dies nona Decembris. Verum quum in praesentiarum Clerus Scotiae utatur Ordine Divini Officii Cleri Saecularis Urbis, in quo quinto Idus Decembris apponitur Officium Sancti Eutychiani Papae Martyris, Sacerdos Ioannes Macpherson Missionarius, cui cura demandata est peculiarem Ordinem Divini Officii pro Clero Scotiae efformandi, Sacrorum Rituum Congregationem humillimis precibus rogavit enixe, ut declarare dignaretur sequentia duo Dubia, ne ulla in posterum supersit ambiguitas quoad utriusque Officiis stabilem designationem, nimirum

1. An Festum Sancti Ambrosii, an vero Sancti Eutychiani celebrandum sit in Scotia quinto Idus Decembris?

2. Quaenam dies assignabitur ut sedes fixa Sancto remoto, sive sit Sanctus Ambrosius, sive Sanctus Eutychianus?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die in Ordinariis Comitiis coadunata, referente me Secretario, propositis Dubiis maturo examine de more perpensis, rescripsit.

Ad 1. *Officium Sancti Ambrosii recitandum die IX. Decembris primitus assignata.*

Ad 2. *Officium Sancti Eutychiani amandandum tamquam in sedem propriam in primam diem non impeditam juxta Rubricas.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 14. Iunii 1845.

4882. ORITAN.

Reverendissime Domine uti Frater.

Per recursum apud Sacrorum Rituum Congregationem nuperrime habitum a Sacerdotibus una et Canonicis Collegiatae Ecclesiae Oppidi Francavilla numcupati istius Oritanae Dioecesis, scilicet Dominico Forleo Cantore, et Emanuele Forleo Capituli Procuratore eidem innotuit Archipresbyterum, vel ejus Substitutos in Choro tempore Divini Officii uti Stola, quod maxime vetitum est ne fiat a Decretis ejusdem Sacrae Congregationis praesertim in Generali diei 7. mense Septembri anno 1816. lato, atque a sa: me: Pio Papa VII. sua auctoritate, et confirmatione roborato, quo mandatur omnibus Hebdomadariis, Archipresbyteris, aliisque ne possint uti Stola in canendis Divinis Officiis, sed tantum in Sacramentorum confectione, et administratione, et contraria consuetudo declaratur abusus per Locorum Ordinarium omnino eliminanda: item in

una Volaterrana sub die 16. Mense Decembri anno 1828. proposito sequenti Dubio: *An decreta prohibentia delationem Stolae ab Hebdomadario assistente Horis Canonicis, comprehendat etiam Tertiam cantatam solemniter cum Ministris, et Vesperas solemnes?* Sacra Congregatio rescripsit: *Serventur Decreta, ac praesertim Generale novissimum diei* 7. *Mensis Septembris anni* 1816., *in quo comprehenditur etiam casus propositus*; ea propter Sacra Congregatio hac die Ordinariis in Comitiis apud Vaticanas Aedes coadunata, audita relatione a R. P. D. Secretario subscripto facta; satius duxit mandare, ut Amplitudini Tuae scriberetur, et significaretur hoc non licere juxta alias decreta, ac pro suo munere provideret, ne in Choro deferatur Stola ab Archipresbytero recensito, aut aliis quibuscumque; quae certe consuetudo, seu declaratus abusus viget passim in hac Oritana Dioecesi, atque etiam in Choro ipsius Cathedralis, sicut a Testibus fide dignis accepit eadem Sacra Congregatio permultis in circumstantiis. Ne ulterius itaque transgressioni legis aditus pateat in universa hoc Dioecesi, curet Amplitudo Tua, ad tramites Decreti Generalis, quod omnes indiscriminatim adstringit, mandare, ut in Choro tempore Divini Officii Stola amplius non appareat, neque ab ullo sub quovis praetextu deferatur. Et Amplitudo Tua diu felix et incolumis vivat.

Die 14. Iunii 1845.

Reverendissimo Domino uti Fratri
Episcopo Oritano.

4883. ROMANA.

Collegiata in Basilica et Parochiali Ecclesia Sancti Marci Urbis mos invaluerat Paschali tempore inter gradus ex utraque parte Arae principis positos, per quos ad Chorum, et ad Aram ipsam ascenditur, collocandi Altare portatile, et super illud Tabernaculum, in quo recondebatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pro commoditate communicantis Populi, adeo ut ex his rerum adjunctis illud inconveniens exurgeret, ut Altare ipsum Aediculam pro repositione Sanctissimi Sacramenti non efformaret ad tramites Caeremonialis Episcoporum *Lib.* 1. *cap. XII.* §. 8., nec decentiae illius satis consuleretur, ex eo potissimum, quod Mensa Altaris portatilis plano Chori plene coaequaretur, et in hujus conspectu passim celebraretur Sacrum, ac Sacra Synaxis petentibus, et accedentibus ministraretur, contra jus passim editum in Decretis Sacrorum Rituum Congregationis. Eapropter hoc advertentes Canonici moderni Sacristae, decorem Domus Dei sedulo quum provehant, ut omnia recto ordine eadem in Ecclesia serventur, atque ut offendiculum unius, vel alterius dissentientis, et pro consuetudine servanda stantis, decenti modo declinare valeant, de consensu R. P. D. Praesulis Basilicae Vicarii Eminentissimi et Reverendissimi D. Card. Titularis, eidem Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicarunt, quatenus pro sua auctoritate, ad futuras praecavendas quaestiones super expositis decerneret. Et Eminentissimi, ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, Ordinariis in Comitiis apud Vaticanas Aedes septimo Idus Decembris anno superiore coadunati, visis omnibus, rescribendum censuere: *Exquisito Voto Magistri Caeremoniarum, ponatur in Folio.* Quum autem praedicti Canonici suis in Allegatis addidissent Votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, quod ex sui natura controversiam omnem de medio tollit, propterea iterato propositae preces in altera Ordinaria Congregatione hac die apud ipsas Vaticanas Aedes coacta; Eminentissimi,

et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi , ad relationem mei subscripti Secretarii, consideratis omnibus, attenteque libratis rescribendum censuerunt: *Juxta alias Decreta, et praescriptum Caeremonialis Episcoporum, reponatur in casu Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pro commoditate communicantis Populi in alterutra ex lateralibus Aediculis, quae non sit a conspectu Chori.*

Atque ita rescripserunt, ac servari mandarunt praedicta in Collegiata Basilica. Die 14. Iunii 1845.

4884. NEAPOLITAN.

Sacerdos Petrus Aloysius De-Licteriis, Praepositus Ecclesiae Regalis Sodalitatis Peregrinorum Civitatis Neapolis, exposuit eadem in Ecclesia per annum consuetas peragi sacras Functiones peculiari illa decentia, quae rem divinam deceat; atque ab immemorabili consuetudinem illam vigere, ut post Matutinum Officium Feriae quintae in Coena Domini Clavis Capsulae, in qua reconditur Sanctissimum Sacramentum tradatur Primicerio Sodalitatis ejusdem. Percupiens vero ut consuetudo isthaec legitima firmetur auctoritate, Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicavit pro Indulto consequendo. Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitiis septimo Idus Decembris anno superiore coadunata, ad relationem mei Secretarii, rescribendum censuit: *Audiatur, Sede vacante, Ordinarius.* Quum vero ex accepta Informatione eruatur, ita se res habere recensita in Ecclesia eadem Feria quinta, expleta solemni Missa, repositoque Sanctissimo Sacramento in Capsula ad publicam venerationem, allatamque consuetudinem licet immemorabilem tradendi Capsulae Clavem vel Gubernatori cuicumque, vel alteri Laico reprobatam fuisse a pluribus Decretis, contra quae, lege pariter in iisdem lata, nulla valet regionum consuetudo; propterea Eminentissimi, et Revendissimi Patres in altera Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria ad Vaticanas Aedes pariter coacta, simili relatione super omnibus accepta a R. P. D. Secretario, caeterisque considerandis mature consideratis, rescribendum censuere: *Juxta alias decreta assertam non valere consuetudinem, et Sacri Sepulchri Clavem tradendam Sacerdoti in crastinum celebraturo.*

Atque ita rescripserunt, ac in eadem Ecclesia servari mandarunt.

Die 14. Iunii 1845.

4885. MELITEN.

Praeter Kalendarium pro Saeculari Clero, aliud Melitae in lucem editur pro Sacerdotibus Collegiatae Ecclesiae Cryptae sic nuncupatae Sancti Pauli Apostoli in Suburbio Civitatis Notabilis, et pro Sanctimonialibus, nec non Sacerdotibus Equestris Ordinis Hierosolymitani Civitatis Vallettae. Postremi hujus Kalendarii Director R. D. Ioannes Gott Said visus sibi est nonnulla reperire in primo Saecularis Cleri Kalendario edito anno vertente, super quibus ipse contrariam sequi opinionem candide fatetur. Cavens autem ne quidquam proprio marte decerneret, Sacrorum Rituum Congregationem adivit, et sequentia Dubia proposuit pro opportuna solutione, nimirum

1. An Patroni minus Principales in concursu Officii aequalis ritu, sed dignitate majoris, sint praeferendi?

2. An Festa secundaria Domini, Beatissimaeque Virginis in concurrentia cum Officio aequalis ritus debeant gaudere praecedentia?

3. In Dioecesi Melitensi, ubi celebratur Octava privilegiata Conversionis

Sancti Pauli Apostoli, cum clausula *de nullo etc.*, quodnam Officium peragendum est di XXVIII. Januarii, num de infra Octavam juxta consuetudinem, an de Sanctissimo Nomine Iesu? Et quatenus de Nomine Iesu, petitur pro gratia translatio ejusdem in diem VIII. Februarii. Et rursus quatenus negative; de quo agendum erit Officium in Ecclesia Sacrae Cryptae die XXVIII. Januarii, an de occurrente die octava Sancti Publii Episcopi Martyris, an de Sanctissimo Nomine Iesu?

4. An Ordinarius Collegiali Ecclesiae Sacrae Cryptae Sancti Pauli et Monialibus Hierosolymitanis Sanctae Ursulae, quibus unum, idemque est Kalendarium, possit aliquid praecipere in praejudicium ejusdem Kalendarii?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinales Aedes subscripta die coadunata, ad relationem Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Acton Ponentis, audita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis pandita, praeloque cusa, rescribendum censuit: *Juxta Votum Magistri Caeremoniarum*, nimirum

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Affirmative.*

Ad 3. *Negative ad primam partem: affirmative ad secundam: quoad expetitam translationem non expedire: et quoad ordinandum Officium die 28. Januarii in occursu diei octavae Sancti Publii Episcopi Martyris, et Sanctissimi Nominis Iesu servandas esse Rubricas.*

Ad 4. *Posse quando Rubricarum Breviarii Romani et vel Sacrorum Rituum Congregationis, vel Sanctae Sedis Apostolicae Decretum, seu Concessionum custodia requirat.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 6. Septembris 1845.

4886. ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI CAPUCCINORUM.

Quum inter Alumnos Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum Coenobii vulgo di Sassoferrato diversae circumferantur opiniones quoad Symbolum Nicaenum in Missis Sancti Ioseph Sponsi Beatae Mariae Virginis, ac Sancti Ioannis Baptistae Praecursoris Domini, R. P. Fr. Rogerius a Camerino alter ex Sacerdotibus memorati Ordinis et Coenobii Sacrorum Rituum Congregationem rogavit enixe, ut declarare dignaretur, quae firma regula servanda sit dum iidem Sancti alicubi ceu Patroni, et Titulares venerantur. Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente me Secretario, rescribendum censuit: *Dicendum* Credo *in omnibus Ecclesiis quando est Patronus praecipuus; in Ecclesia propria tantum quando est Titularis juxta Rubricas.*

Die 6. Septembris 1845.

4887. ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI DE OBSERVANTIA REFORMATORUM SANCTI ANGELI IN APULIA.

Quum ob temporum vicissitudines in Provincia Sancti Angeli in Apulia Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum ab illius Alumnis servatus sit Ordo Officii Neapolitanae Provinciae ejusdem Ordinis, sensim proinde ab anno 1797. usque ad annum 1839. effectum est, ut multi irrepserint errores quoad particularia Officia tum praedictae Provinciae, tum cujusque respective Coenobii. Ad hos praecavendos R. P. Fr. Ioannes Philippus a

Bolognano supradictae Provinciae Kalendarii Director, ad tramites unius Ordinis Officii impressi Typis anno 1796. novum pro sua Provincia perpetuum efformavit Kalendarium juxta sancitas tum a Rubricis proprii Breviarii, tum Decretis Sacrae Rituum Congregationis leges. Quum vero in hoc aggrediendo opere multa ipsi occurrerint Dubia, haec eidem Sacrae Congregationi proposuit pro opportuna solutione. Dubia autem sunt.

1. Nel Regno delle due Sicilie la Festa di San Francesco di Paola ora Compatrono di esso Regno si celebra la seconda Domenica dopo Pasqua, e di rito doppio di prima Classe con l'Ottava anche de' Regolari giusta l'analogo Breve del Regnante Sommo Pontefice Gregorio XVI. del dì 10. Maggio 1839. In Ariano però la seconda Domenica dopo Pasqua è già impedita da S. Ottone Patrono Principale di quella Città e Diocesi, e perciò quel Vescovo ottenne dalla Santa Sede la facoltà di assegnare a San Francesco di Paola un dì a suo piacimento, ed in seguito di questa facoltà lasciò detto Santo nel dì 2. Aprile. Ora non essendosi da quel Vescovo fatto cenno de' Regolari nella Supplica presentata in proposito a Sua Santità; quindi si cerca se i Padri Minori Osservanti Riformati dimoranti nella Diocesi di Ariano debbano celebrare anch' essi la Festa di San Francesco di Paola nel dì 2. Aprile, e se la debbano celebrare con l'Ottava?

2. Tutto l'Ordine de' Minori Osservanti e Riformati celebra la Festa del Santissimo Nome di Gesù li 14. Gennaro. Ma in Ascoli della Puglia essendo questo dì impedito dalla Festa di San Potito Martire Titolare della Chiesa di quel Convento, e della Cattedrale, e Patrono di quella Città e Diocesi, la Festa del Santissimo Nome di Gesù nel sudetto Direttorio dell' anno 1796. vedesi fissato li 14. Febbrajo con questa Parentesi (*hic in perpetuum ex* 14. *Januarii ex S. R. C. Decreto.*) Non sembrando però autentico siffatto Decreto, perchè sarebbe opposto a varii altri, che proibiscono di celebrare la sudetta Festa in Quaresima, il che avverrebbe spesso se si celebrasse li 14. Febraro; perciò si cerca se i Padri Minori Osservanti Riformati di Ascoli possono celebrarla la seconda Domenica dopo l'Epifania, come la Chiesa universale, benchè la loro Rubrica peculiare n. 112. proibisca assegnare agli Officj translati le Ferie, e Domeniche, ossia i giorni mobili? Ed in caso di affermativa, si cerca inoltre, se quando la Domenica seconda dopo l'Epifania è impedita dalla Settuagesima, possano trasferire il Santissimo Nome di Gesù al dì 28. Gennaro, benchè impedito da un doppio minore, giusta i varj Decreti di cotesta Sacra Congregazione, e se quando oltre la seconda Domenica dopo l'Epifania è anche impedito il dì 28. Gennaro, come avverrà nel 1866., possano trasferirlo al dì 29. dello stesso Mese, benchè egualmente impedito da un doppio minore?

3. In Benevento si celebra la Festa della dedicazione di quella Cattedrale nella prima Domenica dopo l'Ottava di tutti i Santi, e perciò il Clero Secolare celebra la Festa del Patrocinio di Maria Santissima nella prima Domenica di Novembre. Per la qual cosa si cerca, se anche i Padri Minori Osservanti Riformati quivi dimoranti possano conformarsi intorno al Patrocinio di Maria Santissima col Clero Secolare, ovvero la debbano perpetuamente trasportare ad altro dì libero?

4. In Lucera si celebra la Festa della dedicazione di quella Cattedrale nella Domenica prossima al dì 15. Ottobre, e perciò presso quei Padri Minori Osservanti Riformati rimane sempre impedita or l'una, or l'altra Festa della

Maternità, e Purità di Maria Santissima fissata alla seconda, e terza Domenica di Ottobre. Si cerca pertanto, se quei Religiosi debbano trasferire solo accidentalmente l'Officio della Maternità, e Purità, con la Festa della dedicazione, o se sia necessario trasferirne uno, e quale perpetuamente, ad un giorno vacante?

5. In Montecalvo Arcidiocesi di Benevento, non si conviene intorno al Santo Patrono principale di quel luogo. Dal sudetto Direttorio del 1796. costa, che in quell'epoca credevasi Patrono Principale Sant'Antonio di Padova a dì 13. Giugno, e questo dì in Montecalvo è tuttora Festa di precetto. Ma il Clero Secolare tiene per Patrono Principale San Felice Martire, e ne celebra l'Officio con la Festa popolare ai 30. Agosto, conservandosi inoltre in quella Chiesa di Montecalvo il sacro di lui Corpo. Ora si cerca se anche i Padri Minori Osservanti Riformati quivi dimoranti debbano conformarsi intorno a questo Santo col Clero Secolare, trasferendo ad un dì vacante Santa Rosa di Lima di rito doppio minore occorrente nel sudetto di 30. Agosto?

6. Alla sudetta Provincia di Sant'Angelo fu anticamente accordato l'Officio delle cinque Piaghe di Nostro Signore Gesù Cristo, di rito doppio maggiore da celebrarsi il Venerdì dopo le Ceneri, senza che possa più sapersi se sia ad libitum, o di precetto, e se quindi si debba trasferire, quando il sudetto Venerdì è impedito. Secondo le Rubriche peculiari del Breviario Romano-Serafico n. 118. siffatti Officj concessi per qualche giorno mobile, se sono di precetto, debbonsi all'uopo trasferire; altrimenti debbonsi in tal caso omettere; perciò si cerca come debbansi regolare in questo caso i Padri della Riformata Provincia di Sant'Angelo?

7. I Santi Martiri Festo, ed altri Compagni di San Gennaro ai 19. Settembre di rito semidoppio, in quella Provincia sarebbonsi dovuti trasferire fin dal 1783., in cui fu approvato dalla Santa Sede il Breviario Romano-Serafico, al giorno 5. Ottobre, il quale in quell'epoca era il primo giorno non impedito dopo li 19. di Settembre, in cui nel Regno delle due Sicilie si celebra la Festa del solo San Gennaro Patrono del Regno. Ora il dì 3. Ottobre è assegnato nel sudetto Breviario ad un Beato dell'ordine Serafico di rito doppio minore. Se questo giorno fosse il natalizio del sudetto Beato, ovvero gli fosse stato assegnato dalla Santa Sede, o da cotesta Sacra Congregazione i predetti Santi Martiri avrebbon dovuto cedere, giusta le più volte citate Rubriche peculiari n. 114.; ma il dì 5. Ottobre non essendo il Natalizio del sudetto Beato, nè sapendosi se gli sia stato assegnato dalla Santa Sede, perciò si cerca se in questo caso debbansi lasciare i predetti Santi Martiri nel dì 5. Ottobre, e se lo stesso debbasi fare in casi consimili?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinales Aedes Ordinariis in Comitiis hac die coadunata, exquisitis prius Informatione et voto R. P. Generalis Procuratoris ejusdem Ordinis per relationem a me subscripto Secretario factam, omnibus mature, diligenterque examinatis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Quoad primam partem affirmative, instar concessionis factae Episcopo Arianen: quoad 2. partem negative, nisi fuerit specialiter indultum.*

Ad 2. *In casu de quo agitur, servetur Decretum diei* 5. *Maji* 1736. *in Einsilden. ad* 1.: *et quando dies XXVIII. Januarii inciderit in privilegiatam Dominicam fiat de Sanctissimo Nomine Jesu die sequenti.*

Ad 3. *Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.*

Ad 4. *Ad tramites concessionis trasferatur in primam diem non impeditam juxta Rubricas.*

Ad 5. *Se conforment in Officio tantum illius praecipui Patroni qui fuit legitime electus, et a Sancta Sede confirmatus.*

Ad 6. *In dubio satius est Officium omittere.*

Ad 7. *Nihil innovetur, atque in similibus observentur Rubricae, et Decreta.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 6. Septembris 1845.

4888. SANCTI ANGELI IN VADO.

Legis latae per Generale Decretum editum die 31. mense Martio anno 1821. bene conscius R. D. Paulus Antonius Marchi Canonicus Cathedralis Sancti Angeli in Vado, qua interdicitur apponi vel Imagines, vel Reliquias Sanctorum super Tabernaculum, ubi reconditur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicavit, ut saltem ante ejusdem Tabernaculi Ostiolum collocari possit alicujus Sancti Reliquia die, qua ejusdem Festum recolitur maxime quum vigeat super hoc ipso immemorabilis consuetudo.

Et Sacra eadem Congregatio hac die Ordinariis in Comitiis ad Quirinales Aedes coadunata, ad relationem mei subscripti Secretarii, omnibus attente consideratis, ac praesertim Decreto in una Congregationis Montis Coronae edito die 22. mense Januario anno 1701. ad Dubium X. quo prohibetur collocare, et retinere vel vas florum, vel quid simile ante praedictum Ostiolum Tabernaculi, rescribendum censuit: *Non licere, et assertam consuetudinem tamquam abusum eliminandum.*

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 6. Septembris 1845.

4889. BAHIEN. IN BRASILIA.

In votis quum maxime habeat Reverendissimus Bahien. Episcopus in Brasilia, ut omnia accurate fiant in Ecclesiasticis Functionibus, recto ordine, rectaque disciplina, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum

1. Utrum Parochus quisque Populo enunciaturus Verbum Dei tempore Missae solemnis vel in sua Ecclesia, vel in altera intra limites suae Paroeciae, veniam, aut benedictionem a Celebrante expetere debeat, etiam si hic non esset Episcopus?

2. Utrum Praelati Regulares, qui usu Pontificalium insigniti sunt in Ecclesiis sui Instituti praedictam veniam ut in praecedenti petere debeant praedicaturi?

3. Utrum Abbates Ordinis Sancti Benedicti, vel aliarum Congregationum, qui pariter usu Pontificalium sunt insigniti, possint, annuente tamen loci Ordinario, Missam solemnem in Pontificalibus extra propriam Ecclesiam, vel caeteras ejusdem Instituti Ecclesias, praesertim quando iidem Abbates in Apostolico Indulto benedictionem receperint ad formam Pontificalis Romani?

4. Utrum Ecclesiastici, queis permittitur Pileoli usus illum gestare queant dum a Suggesto praedicant, vel alias Ecclesiasticas exercent Functiones praeter tamen in Missae Sacrificio?

5. Utrum Regulares, qui ad tramites Constitutionis Ordinis proprii assequuti sunt gradum Doctoris in Sacra Theologia, valeant, legitime dimisso Religionis habitu, Titulo doctoris honoribus adnexis gaudere?

6. Utrum Sacerdotes, qui gradus sunt assequuti in aliqua Accademia, vel Universitate facultatem tribuente gestandi annulum, hoc gestare queant in digito, sicut Praelati gestant?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes hac die Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem mei subscripti Secretarii, omnibus mature perpensis, riteque consideratis, rescribendum censuit

Ad 1. et 2. *Negative.*

Ad 3. *Negative in omnibus sine speciali Apostolico Indulto.*

Ad 4. *Negative tam in Missa, quam in Ecclesiasticis Functionibus nisi fuerit specialiter indultum.*

Ad 5. *Per Religiosos tantum.*

Ad 6. *Permittitur, praeterquam in Ecclesiasticis Functionibus juxta alias decreta.*

Et ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 23. Maji 1846.

4890. BISINIANEN.

Quum ea sit positio Parochialis Ecclesiae loci vulgo Acri in Dioecesi Bisinianen. ut ad Fideles ut plurimum per agros dissitos, ac ad plura milliaria distentos, Sacrum Viaticum, dum ipsi infirmantur, deferri nequeat nisi summa cum difficultate ob viarum asperitatem, ac ventorum, nivium, glacierumque incommoda, inde fit ut animarum dispendia necessario eveniant, et semper majora timeri debeant. Queis incommodis occurrere, quoad fieri potest exoptantes hodierni Parochus, et Oeconomi Oppidi ipsius, invectae in enunciata Paroecia consuetudini hujusmodi in casibus deferendi Sanctissimum Sacramentum capite pileo cooperto, et equitando amplius, se conformare formidant, quia nulla usque nunc intercessit Apostolica venia. Sacrorum proinde Rituum Congregationem enixis precibus adeuntes consuetudinis ipsius confirmationem instanter rogarunt, quod et ipse Reverendissimus Episcopus Sancti Marci, et Bisinianen. pro Informatione, et Voto requisitus efflagitat ex propria notione in Sacra Visitatione, quae enunciantur, incommoda expertus.

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, audita relatione ab me infrascripto Secretario facta, omnibusque rationum momentis maturo examine perpensis, rescribendum censuit: *Detur Decretum in Lauden. diei* 23. *Januarii* 1740., nimirum commisit Reverendissimo eidem Episcopo, ut pro suo arbitrio, et prudentia indulgeat, quod deinceps Parochus, et Oeconomi Acrii, hujusmodi in circumstantiis equitantes, ac capite pileo cooperto Sacrum Viaticum deferre valeant, comitante saltem uno homine, si fieri potest, accensam laternam deferente. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 23. Maji 1846.

4891. CADURCEN.

Sacerdos Layrac Reverendissimi Cadurcensis Episcopi Vicarius Generalis ad eliminandam quamcumque dubitationem in Sacrosancti Missae Sacrificii celebratione, ipsius Episcopi nomine Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum

1. Altare portatile, cujus Sepulchrum, aliis remanentibus consecrationis vestigiis, invenitur Sacris Reliquiis vacuum reputari ne debet ita penitus consecrationem suam amisisse, ut aliis repositis in Sepulchro Reliquiis, eo uti non liceat?

2. Quid si deleto tantum Episcopali Sigillo super Sepulchrum hispanica cera impresso, obseratae tamen inveniantur Sacrae Reliquiae?

3. Quid agendum a Sacerdote, qui Reliquiarum amissione recognita, alio indiget Altare ad Sacra facienda?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die in Ordinario Coetu coadunata, me subscripto Secretario referente, super expositis maturo examine instituto, rescribendum censuit.

Ad 1. *Juxta alias decreta indigere nova consecratione.*

Ad 2. *Ut ad proximum, quia non constaret de Reliquiarum identitate, et authenticitate.*

Ad 3. *Recurrendum ad Episcopum ut ab illo provideatur de novo Altare portatili.*

Atque ita rescripsit, definivitque. Die 23. Maji 1846.

4892. GERUNDEN.

Sacerdos Ioachim Bellsolell hodiernus Caeremoniarum Magister in Cathedrali Gerunden. Ecclesia quum Sacrorum Rituum Congregationem enixe rogarit, ut declarare dignaretur, num in Festo Apparitionis Sancti Iacobi Apostoli occurrente tempore Paschali nimirum decimo Kalendas Iunii, ad Horas minores Responsoria brevia assumenda sint de Communi Apostolorum tempore Paschali, vel de Communi extra idem tempus additis *Alleluja;* Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunati, audita ab me subscripto Secretario relatione, respondendum censuerunt: *Ex Decreto concessionis Officii lato usque ab anno 1740. decimo Kalendas Augusti Responsoria brevia sumi debent ex Communi Apostolorum extra tempus Paschale additis* Alleluja.

Atque ita declararunt, ac servandum mandarunt.

Die 23. Maji 1846.

4893. JANUEN.

Eminentissime, et Reverendissime Domine Domine Obsequentissime.

Capitulum, et Canonici Collegiatae Ecclesiae Beatae Mariae Virginis de Remedio istius Januen. Civitatis, quum praenoscant designatis Dominicis persolvere non posse Officia commemorationis Sacrarum Reliquiarum, quod Clero Januensi asserunt concessum ritu duplicis primae Classis absque Octava, ac Patrocinii Sancti Josephi Sponsi Beatae Mariae Virginis sub ritu duplicis minoris haec ipsa Festa, quamvis ex Decretis omittenda sint, utpote affixa certis diebus, celebrare et ipsi exoptant assignando cuilibet ipsorum sedem propriam. Quam quidem translationem, novamque assignationem quum superiori anno 1844. proposuerit hodiernus Abbas memoratae Collegiatae, Capitulum ipsum et Canonici jure dubitant an ipsam sequi tuto possint, nam nulla Apostolica venia intercessit, ac proinde Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuerunt, nimirum

1. An Abbas propria auctoritate potuerit assignare pro Clero praedictae Collegiatae Officium Sacrarum Reliquiarum die XIII. Maji, ac insequenti die XIV. Officium Patrocinii Sancti Joseph?

2. An id saltem poterit auctoritate Ordinarii? Et quatenus negative.

3. Ne haec duo Officia omittere cogatur Clerus memoratae Collegiatae enixe rogat, ut de Apostolica benignitate Officio Sacrarum Reliquiarum persolvendo ritu duplicis primae Classis assignetur feria secunda post Dominicam secundam a Paschate Resurrectionis, translato ad Rubricarum placitum quocumque alio Officio ea ipsa Feria occurrente, ac ut Officium Patrocinii Sancti Joseph tamquam in sede propria assignetur quinto Nonas Julii sub ritu duplicis majoris etiam occurrente Dominica.

Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die habito coadunati ad relationem mei subscripti Secretarii - *Negative* - respondentes tum primo, tum secundo ex propositis Dubiis, ac proinde illegitimam declarantes designationem ab Abbate factam; quoad novam designationem requisitam, nil statuendum censuerunt, quin Eminentiae Vestrae dilucidam super omnibus exquirerent Informationem. Dignetur itaque Eminentia Vestra super expositis Sacram Congregationem certiorem reddere, eique suum Votum aperire. Interim Eminentiae Vestrae Manus humillime deosculor. Romae 23. Maji 1846.

Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinali
Archiepiscopo Januen.

4894. LINGONEN.

Quum Reverendissimus Lingonen. Episcopus Liturgiam Romanam in sua Dioecesi induxerit, anceps haeret, num adhibere possit habitum violaceum cum longa cauda, scilicet Cappam magnam, quo habitu communiter utuntur Episcopi, ac de opportuna declaratione Sacrorum Rituum Congregationem enixe rogavit. Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes subscripta die in Ordinariis Comitiis coadunata, referente me Secretario, respondendum censuit: *Posse ad tramites Caeremonialis Episcoporum.*

Die 23. Maji 1846.

4895. ORITAN.

Dum sa: me: Pius Papa VII. pro Regno utriusque Siciliae sub die 10. Aprilis 1818. contraxit numerum Festorum sub utroque praecepto servandorum edixit, ut quoad Ecclesiasticum ritum, nimirum quoad Officia, Missas, et Vigilias eadem Sanctorum, et Solemnitatum Festa abrogata, ut antea servarentur, siquidem reductionis causa unica fuit exemptio Fidelium ab utroque praecepto servando. Verum quum interdum eadem abrogata Festa incidant in Dominicis per Annum privilegiatis, vel cum Festis mobilibus concurrant, ac proinde ex Rubricarum praescripto eorum Officia sint transferenda, non una est Cleri Oritani sententia circa Chorale servitium a Capitularibus praestandum, ac proinde Sacrorum Rituum Congregationi sequens quaestio proposita fuit pro opportuna declaratione, nimirum - An ob occurrentiam Dominicae privilegiatae vel alterius solemnitatis majoris ritus, vel dignitatis, translatis ad aliam diem Officiis Festorum abrogatorum, in die repositionis Clerus adigatur Choro interesse, sicut in diebus propriis, ut supra impeditis, queis reapse interest, quamvis ex alia causa? - Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes in Ordinario Coetu hodierna die coadunata, audita a me subscripto Secretario fideli relatione, ac singulis rationum momentis sedulo perpensis, declarandum censuit Clerum ad iteratam Chori assistentiam, ex solo titulo translationis Festorum abrogatorum nullatenus teneri, ac proinde rescripsit: *In die propria tantum.*

Die 23. Maji 1846.

4896. ORDINIS SANCTI BENEDICTI CONGREGATIONIS SILVESTRINAE.

Quum Reverendissimus P. Abbas Septimius Conversi Procurator Generalis Congregationis Silvestrinae in votis habeat, ut inter suos Alumnos in Divinis persolvendis Laudibus singula ad Rubricarum, et Decretorum placitum disponantur, sequentia Dubia Sacrorum Rituum Congregationi proposuit, ut super iisdem sententiam suam edere dignaretur, nimirum

1. An Regulares teneantur celebrare praeter Officium Patroni Civitatis, et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, etiam Compatroni, de quo agitur Festum cum onere audiendi Missam, et etiam alicujus Sancti specialis loci illius, in quo degunt?

2. An Regulares habitantes extra Civitatem, ubi residet Episcopus, recitato Officio Patroni, et Dedicationis Ecclesiae locorum ubi habitant, teneantur recitare quoque Officium Patroni Civitatis, et dedicationis Ecclesiae Cathedralis?

3. Regulares translati de uno Monasterio ad aliud remanente vero proprietate prioris loci apud ipsos, debent ne recitare Officia Sancti Titularis illius prioris Ecclesiae, et dedicationis sub ritu duplicis primae Classis cum Octava? Et an in Suffragiis Sanctorum debeant addere commemorationem illius Sancti Titularis?

4. Paroecia sub titulo ex: gr: Sancti Antonii Abbatis translata fuit ad Ecclesiam Sanctae Theresiae Virginis, quia Ecclesia Sancti Antonii minabatur ruinam: quaeritur an Regulares, qui nunc cum nova Domo hanc Paroeciam acceperunt, debeant pariter Officium Sancti Antonii Abbatis sub ritu duplicis primae Classis cum Octava recitare, ac Sanctae Theresiae Virginis Titularis Ecclesiae, quamvis Ecclesia Sancti Antonii jam nunc minime existat?

5. Officia Sanctorum, qui non sunt Patroni, nec Compatroni, sed per plures annos de iis celebratae sunt horae Canonicae, quaeritur an debeant, vel saltem possint omitti?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die coadunata, me subscripto Secretario referente, super expositis maturo examine instituto, rescribendum censuit

Ad 1. *Regulares teneri ad Officium tantum praecipui Patroni Dioecesis si adsit, vel Loci.*

Ad 2. *Teneri si tunc ibi morentur.*

Ad 3. *In casu non teneri.*

Ad 4. *Sine novo Indulto non posse.*

Ad 5. *Si non constat de legitima concessione deberi omitti.*

Atque ita declaravit, definivit, servarique praecepit.

Die 23. Maji 1846.

4897. SANCTI FLORI.

Reverendissime Domine uti Frater.

In Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis apud Vaticanas Aedes coactis decimo Kalendas Junii anno vertente ab R. P. D. ejusdem Sacrae Congregationis Secretario subscripto relatae fuerunt sequentes preces nomine Amplitudinis Tuae porrectas, nimirum - Plurimorum Altarium portatilium diversarum Ecclesiarum Dioecesis Sancti Flori in Gallia, exciderant, sive excidisse videbantur Sanctorum Reliquiae; timebatur quoque ne sepulchra quorumdam aliorum licet pice, seu cera obsignata, et sigillo Episcopali non munita, effossa fuissent, et Sacris Reliquiis carentia. Quum autem crederetur non ideo execrata fuisse illa Altaria, et satis esse, ut novae in illis tumularentur Sanctorum Exuviae, inde factum est ut in decursu visitationis, aliisve circumstantiis, Episcopus Sancti Flori, seu Vicarii Generales ipsius, visitatis illis praedictis Altaribus, mandaverint omnino Sepulchra Altarium omnium, de quibus supra, ibidem per novas Reliquias authenticas tumulaverint. At recens data innotuit declaratio Sacrorum Rituum Congregationis docens Altaria, quorum Se-

pulchrum effossum est, esse execrata. Quum autem difficillimum sit discernere Altaria, de quibus in precibus, quia Episcopus consecravit quaedam Altaria portatilia, et eorum Sepulchra eodem sigillo consignavit, ideo enixe supplicat Episcopus Sancti Flori ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, ut Sanctitas Vestra benigne mederi dignetur defectui supra enunciato, et concedere ut, non obstante defectu, celebrari possit super hujusmodi Altaribus, quae certo olim consecrata fuerant. Quod Deus etc. Et Sacra eadem Congregatio hisce omnibus perceptis, attenteque consideratis, in ea fuit concordi sententia, ut Amplitudini Tuae injungeretur, quatenus juxta servatum morem posset eadem Amplitudo Tua consecrare non parvo tamen numero Altaria portatilia ad supplendum necessitati in respectivo enunciato casu; atque iterum, si opus fuerit ex deficientia Altarium consecratorum, quoniam omnia praedicta ex tali defectu, consecrationem amiserunt, supplicandum Sanctissimo pro expetita facultate. Super quibus omnibus tempore habili, subsignata nimirum die ab eodem R. P. D. a Secretis facto verbo cum Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX. Sanctitas Sua probe cognoscens novum esse, et contra legis statuta locum petitioni dare, maluit ex necessitate onus potius imponere facili negotio obeundum, quam dispensationem impertiri; nimirum ut consecrato portatilium Altarium non parvo numero, ut supra, haec paulatim loco aliorum non consecratorum ponantur, ac sublata iterum consecrentur, et haec sic perperam habilitata, ad Sacrum faciendum dignosci poterunt vel ex qualitate signi noviter impressi, vel ex Diario Sacrae Visitationis, quod certe referre debet locum, et Altare tali modo noviter dispositum. Haec Sacratissimi Principis mandata dum Amplitudini Tuae communico, diuturnam Tibi ex animo exopto felicitatem. Romae 3. Maji 1846.

Reverendissimo Domino uti Fratri Episcopo Sancti Flori.

4898. SENEN.

Quum Equites Marcus, et Alexander Saracini in Oppido Castrinovi vulgo della Berardenga in Archidioecesi Senensi e fundamentis excitarint Parochialem Ecclesiam, ut Ecclesiasticas sanctiones adimplere adamussim valeant, Sacrorum Rituum Congregationem enixe rogarunt, ut declarare dignaretur, num super omni Altare, in quo Sanctissimum Sacramentum asservatur, apponi omnino debeat Baldachinum? Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunata, referente me subscripto Secretario, comperiens usque ab anno 1697. quinto Kalendas Maji in una Cortonen. sancitum fuisse, ut Baldachinum omnino apponatur super Altare, in quo augustissimum Sacramentum asservatur, rescribendum censuit: *Detur Decretum in una Cortonen. diei 27. Aprilis 1697.*

Atque ita rescripsit.

Die 23. Iulii 1846.

4899. SYRACUSAN.

Ex Apostolicis Litteris informa Brevis usque ab anno 1828. quarto Idus Aprilis expeditis super reductione Festorum in Regno utriusque Siciliae sa: me: Pius Papa VII. edixit, ut Officio ac Missae Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli tertio Kalendas Julii adderetur commemoratio omnium Sanctorum Apostolorum, et omnium Sanctorum Martyrum. Verum quum interdum hoc Sanctorum Apostolorum Festum occurrat ipsa die octava Sanctissimi Corporis Christi, Reverendissimus Syracusan. Antistes Sacrorum Rituum Congregationem enixe

rogavit, ut declarare dignaretur, num hujusmodi in occursu enunciata commemoratio Sanctorum Apostolorum, et Martyrum, utpote Festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli adnexa, fieri debeat ante commemorationem diei octavae Sanctissimi Corporis Christi? Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinario Coetu, referente me subscripto Secretario, respondendum censuit: *Quum nihil praescribatur in enunciato Apostolico Brevi, praecedere debet commemoratio Octavae Sanctissimi Corporis Christi.*

Atque ita servandum mandavit.

Die 23. Maji 1846.

4900. TIBURTIN.

Reverendissime Domine uti Frater.

Expositum fuit Sacrorum Rituum Congregationi ab Archipresbytero Terrae Poli nuncupatae istius Dioecesis Sacerdotem Iosephum Rosa ceu Patronum Aediculae Deo sub invocatione Sancti Rochi Confessoris erectae intra Ecclesiam Archipresbyteralem ibi extruxisse Sepulchrum pro se suisque, quod nimis Altari adhaeret contra leges Canonicas; atque de opportuno remedio Eminentissimorum Patrum auctoritas interpellabatur. Sacerdos vero Rosa praedictus recursus in se facti bene conscius eidem Sacrae Congregationi totius rei seriem aperiens supplicem libellum exhibuit, una cum Peritorum testificationibus, ac Sepulchri ipsius ichnographiam, ac totius Aediculae, quo facile pateret etiam posita areae angustia recensitas leges fuisse servatas, earumque dispositionem sartam tectamque manere cum accessione Sepulchri. Haec omnia in Ordinariis ejusdem Congregationis Comitiis habitis subscripta die apud Vaticanas Aedes distincte per infrascriptum R. P. D. Secretarium relata, ac rite ab Eminentissimis Patribus examinata, communi in sensu ipsi fuerunt ut Amplitudini Tuae scriberetur, quatenus super faciem loci, omnibus perspectis, ac diligenter consideratis eadem Amplitudo Tua cognoscat, utrum nec ne revera spatium trium cubitorum intercedat inter Sepulchrum, et Altare praedicta ad tramites eorum, quae sancita sunt in una Volaterrana die 17. mense Martio anno 1663., quo posito per opportunum Decretum, quaestionem componas, remque definias, ne locus amplius alicui contestationi remaneat. Curet propterea Amplitudo Tua hoc Sacrae Congregationis mandatum exequutioni dare, ac diu felix, et incolumis vivat.

Romae 23. Maji 1846.

Reverendissimo Domino uti Fratri
Episcopo Tiburtino.

4901. MAURIANEN.

Quum Capitulum Cathedralis Maurianen. Ecclesiae in condendis Statutis operam impendat, non una est sententia Canonicorum quoad onus Missae solemnis celebrandae a prima Dignitate in solemnioribus diebus, quoties Episcopus Pontificaliter non celebrat. Cui quidem opinionum varietati ut finis imponatur, ac certa, indubiaque regula constabiliatur, Reverendissimus Maurianen. Episcopus pastoralis sui muneris esse duxit Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna solutione proponere, nimirum

1. An Episcopo non celebrante in festivitatibus solemnioribus, Praepositus prima Dignitas Ecclesiae Cathedralis Maurianensis, teneatur ad celebrationem Missae, nisi sit ipse absens, vel impeditus?

2. An Capitulum condere possit Statutum, quo decernatur Praepositum primam Dignitatem teneri ad celebrationem Missae solemnis dictis diebus?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente me subscripto Secretario, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Teneri juxta alias Decreta.*

Ad 2. *Posse in omnibus.*

Die 23. Maji 1846.

4902. VITERBIEN.

Etsi in Litteris Apostolicis in forma Brevis expeditis a sa: me: Benedicto Papa XIV. usque ab anno 1740. Capitulo, seu Canonicorum Collegio Parochialis Ecclesiae Civitatis Vetrallae intra fines Dioecesis Viterbien. indultum fuerit, ut Canonici ipsi in Ecclesiasticis Functionibus intra propriam Ecclesiam, et dum collegialiter incedunt, licite ac libere gestare valeant Rochettum cum suis manicis, et Mozettam violacei coloris; attamen decursu temporis in hujusmodi Insignium usu nonnulli irrepsere abusus, queis ut occurratur aliqui ex memoratae Collegiatae Parochialis Ecclesiae Canonici Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuere, nimirum

1. An, ea stante in Bulla Benedicti XIV. verborum clausula - *dum collegialiter incedunt* - Archipresbyter Vetrallensis aut quisquam ex Canonicis sejunctus a Collegio, et separatim agens tam intra Collegiatam Ecclesiam, quam extra Rochetti, et Mozettae usu gaudeat?

2. An eo gaudere Archipresbyter unus putandus sit, ex eo quod primus est inter aequales, non obstante quod Bulla mentionem ejus rei singularis nullam faciat?

3. An Archipresbyter, vel Canonicus in genere Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae, aliaque administraturus, tam in Ecclesia Collegiata, quam extra induere sibi possit Choralia Insignia praedicta, desuper imposita Stola? et, quatenus negative an Superpelliceo, et Stola tantum in Sacramentorum, et Sacramentalium omnium perfunctione rite uti tenatur?

4. An forsan uni Archipresbytero propter personam, quam gerit Parochi, liceat Rochetto, Mozzetta, et Stola induto Sacramenta in Paroecia sua administrare?

5. An uti valeat ea Veste in benedictione domorum, quae in Sabbato Sancto?

6. An in associatione funeris sive in sua, sive in aliena Paroecia?

7. An in associatione funeris una cum toto Collegio Canonicorum?

8. An in publicis Supplicationibus, quum Archipresbyter conjunctim cum Capitulo incedit?

9. An habitus ullus sit, qui rite competat Archipresbytero, si adstat benedictioni Matrimonii, quod administrat alius Sacerdos ab eo deputatus, et in casu an sit Rochettum, Mozzetta, et Stola?

10. An Archipresbyter vel Canonicus rite adhibeat Choralia Insignia, et desuper impositam Stolam in concione, et quatenus negative, an uti possit Rochetto, Superpelliceo et Stola?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die in Ordinario Coetu coadunata, referente me subscripto Secretario, omnibus maturo examine perpensis, juxta alias Decreta respondendum censuit.

Ad I. *Posse intra Collegiatam, extra illam non posse.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative, et servandum Decretum alias editum.*

Ad IV. *Negative, sed tantum in casu cum Rochetto et Superpelliceo.*

Ad V. *Negative.*

Ad VI. *Negative.*

Ad VII. *Affirmative, si incedat sine Stola.*

Ad VIII. *Ut ad proximum.*

Ad IX. *Semper in casu sine Stola, et cum habitu Chorali in propria Ecclesia tantum,*

Ad X. *Negative ad primam partem: affirmative ad secundam, si adsit consuetudo.*

Atque ita rescripsit, servarique mandavit. Die 23. Maji 1846.

4903. GANDAVEN.

Ut in Ecclesiastica Liturgia ea habeatur certa, indubiaque regula, quae uniformitatem inducat, acp rivatis opinionibus locum adimat omnino, Sacerdos De-Mulder Cathedralis Gandavensis Ecclesiae Canonicus, ac in Episcopali Seminario Sacrae Liturgiae Professor, Sacrorum Rituum Congregationem humillimis precibus adiens enixe rogavit ut super exhibitas quaestiones mentem suam aperire, ac Dubia inde sequentia diluere, ac rite definire dignaretur, nimirum

1. Quum sa: me: Pius Papa VI. de anno 1798. decimo quinto Kalendas Junii indulserit ut in Festo Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli tertio Kalendas Julii adderetur commemoratio omnium Sanctorum Apostolorum in Vesperis Laudibus ac Missa: ac ut commemoratio omnium Sanctorum Martyrum apponeretur in Officio et Missa Sancti Stephani Protomartyris septimo Kalendas Januarii, in Belgio varia est praxis quoad memoratas Commemorationes; alii siquidem contendunt faciendas esse sub unica, alii sub diversa conclusione; proindeque quaeritur: An in praedictis Festis Oratio pro commemoratione uniri debeat in Missa Orationi Festivitatis sub unica conclusione, an potius dicenda sub distincta conclusione?

2. Vi Indulti reductionis Festorum quinto Idus Aprilis anni 1802. signati, etiam in Belgio quorumdam Festorum solemnitas ad Dominicam proxime sequentem translata est cum Missa solemni de Festo translato in omnibus Ecclesiis Parochialibus more votivo cum unica Oratione; hinc quaeritur 1. An hujusmodi Missa solemnis cantari etiam debeat, vel saltem possit in Ecclesia Regularium, et Monialium? Et quatenus affirmative, quaeritur 2. An praefata Dominica in his Communitatibus, in quibus Missa Conventualis legitur, non autem cantatur, haec Missa Conventualis legi debeat, vel possit de Solemnitate, an potius dici debeat de Officio occurrente?

3. Plures Parochi in Dioecesi Gandaven. primarium suae Ecclesiae Titularem, vel etiam Patronum praecipuum habent Sanctum Joannem Baptistam, cujus Solemnitas vi praenotati Indulti ab octavo Kalendas Julii transferri debat ad insequentem Dominicam, in qua quoties occurrit Solemnitas Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli dubitatur, de quo prius agendum sit; nam juxta alias decreta a Sacra Rituum Congregatione solemnitas inferioris dignitatis ad sequentem Dominicam transferenda est; ac proinde in casu quaeritur: Utra ex praenotatis solemnitatibus sit inferioris dignitatis, ac per consequens ad Dominicam proxime sequentem transferenda?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die in Ordinario Coetu coadunata, audita a me subscripto Secretario fideli relatione, ac serio examine singulis perpensis rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative ad primam partem: affirmative ad secundam.*

Ad 2. *Quoad primam quaestionem servetur Indultum: quoad secundam; quoties in Indulto comprehendantur Ecclesiae Regularium, et Monialium, Missa Solemnitatis semper celebranda foret cum cantu; nam Missa Conventualis semper esse debet de Officio occurrente.*

Ad 3. *Prius agendum de Sancto Joanne Baptista.*

Atque ita rescripsit, definivit, ac servandum esse mandavit.

Die 23. Maji 1846.

4904. TUDEN.

Ut in sacra Liturgia, Ecclesiasticisque Caeremoniis debitus ubique servetur ordo, ac proinde nil omnino exequatur, quod vel in minimo a praefenitis discrepet Legibus, Sacerdos Petres Reynaldo et Conde Caeremoniarum Magister in Collegiata Ecclesia Sancti Petri de Creciente intra fines Dioecesis Tuden., Sacrorum Rituum Congregationi sequentia proposuit Dubia, ut super iisdem mentem suam aperire, eaque definire dignaretur, nimirum

I. An in Ecclesiis Parochialibus, in quibus nullus extat Clerus, sed solum Parochus, possit vel debeat iste facere benedictionem Candelarum, Cinerum, Palmarum, novi ignis, Cerei Paschalis, Fontis Baptismalis, et caeterorum hujusmodi, necnon instituere Officium Feriae quintae in Coena Domini, et Feria sextae in Parasceve sine cantu, et solum privata voce, prout celebratur Missa privata?

II. Sub die 12. Novembris 1831. Sacra Rituum Congregatio decrevit: *In Ecclesiis, in quibus non solet quotidie Missa decantari, vel adest solus Parochus in Festo Sancti Marci ac in Triduo Rogationum etiamsi occurrat Festum duplex, si fiat Processio, legenda est Missa Rogationum; secus legenda est de Festo cum commemoratione earumdem.* Quaeritur ergo, si post Processionem legatur Missa Rogationum debet in ea fieri commemoratio Festi occurrentis, et fieri debent omnes aliae Commemorationes, quae dicendae essent in Missa diei? Vel his omnibus omissis dicendae sunt secunda, et tertia Orationes, quae in Missa Rogationum dicendae praescribuntur in Missali?

III. An omnes Ecclesiae Parochiales, in quibus adest solus Parochus, vel Vicarius pro servitio Parochianorum, sed subjectus Parocho in alia Ecclesia commoranti, teneantur, vel possint celebrare Officium et Missam de Festo Titulari Ecclesiae, et quidem sub ritu primae Classis, et Octava, etiam si de suo Sancto Titulari Festum celebretur alia die, vel numqnam in toto anni decursu in aliis Ecclesiis Dioecesis?

IV. Ista Ecclesia Collegiata habet quatuor alias Ecclesias sibi subjectas, et totidem Sacerdotes, unum ab alio independentem servitio harum quatuor Ecclesiarum. Sed isti Sacerdotes in suis respective Ecclesiis dumtaxat pro commoditate populi concurrentis Missam celebrant, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta administrant, Concionem habent, Cathechismum explicant, et alia Ecclesiastica munia explent. Verum nequeunt administrare Sacramentum Baptismi, Communionem Paschalem, Viaticum infirmis, Sepulturam defunctis dare, neque habent Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti. Unde Fideles his quatuor Sacerdotibus subjecti tenentur adire Ecclesiam Collegiatam, ut in Pascha satis-

faciant praecepto annuae Communionis, ut infantes baptizentur, et infirmi Sacro reficiantur Viatico, ut fiat Officium Sepulturae, et tumulentur defuncti. Quaeritur ergo an ii quatuor Sacerdotes sint veri Parochi? Et an istae Ecclesiae possint celebrare Officium cum Missa de suo respective Sancto Titulari, tamquam Ecclesiae Parochiales, et quidem sub ritu primae Classis, et cum Octava: vel potius dicendae sint Cappellae publicae, in quibus juxta Decretum Sacrorum Rituum Congregationis diei 12. Novembris 1831. - *Festum Titularis . . . non debet celebrari sub ritu duplicis primae Classis cum Octava, neque cum Credo?* -

V. Regulares utpote ejecti a suis Coenobiis in tota Hispania, et hanc ob causam tamquam Parochi, vel Vicarii variis Ecclesiis praefecti, pro Officio recitando, Missaque celebranda an possint, vel debeant recitare Officium, et Missam celebrare juxta Kalendarium Dioecesis, in qua Ecclesiis deserviunt, vel juxta Regulare Kalendarium Ordinis, ad quem per Professionem religiosam pertinent?

VI. An omnes Sacerdotes celebrantes dum in Canone Missae Papam nominant, debeant caput inclinare, prout Rubrica faciendum praescribit, quum in Oratione nominatur?

VII. Quum in Hispania nunc temporis multae sint Ecclesiae pauperes; quaeritur an saltem in eis possit permitti in celebratione Missarum tam pro Sanctis Confessoribus, quam Martyribus, ut abhibeatur unum idemque Paramentum ex duobus coloribus albo scilicet et rubro contextum? Et similiter unum idemque Paramentum aliud ex violaceo, et viridi coloribus compositum pro diebus quibus convenit color violaceus, vel viridis juxta Rubricas?

VIII. In Missa Solemni dum Chorus cantat Credo, an quoties ad verba - *Et incarnatus est* - usque ad ea - *et homo factus est* - Celebrans, et Sacri Ministri genuflectunt ante Altare, debeant simul caput inclinare, vel sufficiat sola genuflexio, sine ulla capitis inclinatione?

IX. Celebrans in Missa solemni dicto - *Agnus Dei* - et prima ex tribus Orationibus, conversus ad Diaconum, et complectens eum, dat ei Pacem sinistris genibus, sive invicem appropinquantibus. Rubrica vero nihil dicit, an Diaconus vicissim debeat Celebrantem complecti: Pater Gavantus super hanc Rubricam dicit quod Diaconus supponit brachia sua sub brachiis Celebrantis. Nihilominus aliqui Ecclesiastici, dum Diaconi officio in Missa solemni funguntur, non supponunt brachia sua brachiis Celebrantis: accipiunt Pacem ab isto tenentes manus junctas ante pectus. Quaeritur ergo an Diaconus accipiens Pacem a Celebrante debeat simul supponere brachia sua brachiis Celebrantis, uti faciendum docet Pater Gavantus, vel debeat stare manibus junctis ante pectus, ut in praxi alii contendunt? Et similiter id facere debeat Subdiaconus accipiens pacem a Diacono, qui juxta eumdem Patrem Gavantum, debeat quoque supponere brachia sua brachiis Diaconi?

X. In sepultura defunctorum dum cadaver e sua domo defertur ad Ecclesiam cum assistentia Parochi, et Ministris sacris cum Pluviali, Dalmatica, et Tunicella indutis, Ministri sacri sine amictu, neque alba, neque cingulo superimponunt Dalmaticam, et Tunicellam soli Cottae, vel Superpelliceo. Quaeritur an talis consuetudo possit sustinui, vel cogendi sint Ministri sacri, ut simul cum Dalmatica, et Tunicella, induant amictum, albam, et cingulum?

XI. Cadavera Sacerdotum in hac Dioecesi deferuntur induta Paramentis

Sacerdotalibus, atque in manibus habentia Calicem cum Patena intra cuppam elevata. Sunt qui contradicunt volentes quod Cadavera Sacerdotum perinde ac Cadavera laicorum habeant dumtaxat manus ante pectus conjunctas, interque digitos parvam Crucem cum imagine Crucifixi. Quaeritur an liceat consuetudo in hac Dioecesi servata ponendi Calicem cum Patena in manibus Cadaverum Sacerdotum, dum a domo sua deferuntur ad Ecclesiam, et in ea explentur Exequiae, vel talis consuetudo eliminanda sit?

XII. In funeribus hujusmodi Sacerdotum, finita Missa, cantantur ad Tumulum tria Responsoria, ut ter, id est in singulis Responsoriis Cadaver aspergitur Aqua benedicta, atque thurificatur a Celebrante circumeundo Tumulum, et Cadaver. Quaeritur an talis consuetudo continuari possit, vel potius abolenda cantando tantum unum Responsorium?

XIII. In die depositionis aliquorum Defunctorum, cantato Officio defunctorum, et Missa de Requie praesente Cadavere, mos invaluit in aliquibus Ecclesiis hujus Dioecesis, quod etiam in duplicibus minoribus, et etiam aliquando majoribus, adhuc praesente Cadavere, cantentur iterum duo, vel tres Nocturni defunctorum, atque totidem Missae de Requie, ita ut una, eademque die celebrentur Officium et Missa de die obitus, et de die tertia, septima, et trigesima a depositione defuncti. Quaeritur an talis consuetudo liceat in diebus duplicibus minoribus, vel majoribus, adhuc praesente Cadavere, vel sit tollenda utpote contraria pluribus Decretis Sacrorum Rituum Congregationis?

XIV. In absolutione ad Tumulum post Missam de Requie praescribit Rubrica cantandum Responsorium - *Libera me, Domine, de morte*, - et haec est praxis generalis; nihilominus aliqui volunt adhuc in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum licitum esse cantare aliud quodlibet Responsorium ex novem, quae sunt in Officio defunctorum. Quaeritur an hoc revera liceat?

XV. An in diebus duplicibus minoribus, ac majoribus liceat cantari Vigilia defunctorum, ac etiam totum Officium non quidem ex fundatione, sed ex sola, piaque voluntate petentium, quin cantetur immediate post Missa, vel si postulata cantetur, dicatur de Festo, vel de die occurrente?

XVI. Sub die 5. Maji 1736. Sacra Rituum Congregatio decrevit: *Annua Commemoratio omnium defunctorum alicujus Ordinis, seu Congregationis non est transferenda, si in die illa occurrat duplex minus etiam translatum, sed fiat Officium de duplici cum sola Missa Solemni post Tertiam. Officium vero defunctorum recitandum erit post Laudes sub ritu duplici, et omnes Missae privatae dicantur pro Defunctis in paramentis nigris.* Quaeritur nunc ergo 1. An tale Indultum extendatur ad omnes qualescumque Congregationes, sive Confraternitates etiam Saeculares utriusque sexus in aliqua Ecclesia legitima auctoritate constabilitas? et 2. An omnes Missae privatae dicendae pro Defunctis in paramentis nigris, intelligatur solummodo de Missis, quae applicantur in Suffragium defunctorum ipsiusmet Congregationis, sive Confraternitatis, vel intelligatur de omnibus omnino Missis, quae dicuntur in illa Ecclesia, etiam si non applicentur pro Defuuctis Confratribus, sed pro aliis quibuslibet Defunctis ad libitum, et intentionem Celebrantis?

XVII. Officium et Missa Desponsationis Beatae Mariae Virginis cum Sancto Ioseph recitatur in hac Dioecesi die XXVI. Novembris, et in eis fit commemoratio Sancti Ioseph ante alias omnes Commemorationes. A multis tamen non

fit talis commemoratio, quam dicunt licitum non esse facere sine speciali concessione hujus Sanctae Sedis. Quapropter quaeritur an revera omittenda sit commemoratio Sancti Ioseph in utrisque Vesperis, Laudibus, et Missa Desponsationis Beatae Mariae Virginis juxta Decretum, quod proferunt istius Sacrorum Rituum Congregationis sub die 5. Maji de anno 1736. emanatum? Et si revera omittenda est, Orator humillime postulat pro illius extensione saltem ad Dioecesim Tudensem ob specialem Fidelium pietatem erga Sanctum Ioseph Sponsum Beatae Mariae Virginis.

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, audita a me subscripto Secretario fideli relatione, propositisque Dubiis maturo examine perpensis, atque cribratis, respondendum censuit.

Ad I. *Servetur parvum Caeremoniale a sa: me: Benedicto Papa XIII. ad hoc editum.*

Ad II. *Faciendam esse commemorationem Festi occurrentis cum sola tertia Oratione, quae secundo loco praescribitur in Missa Rogationum.*

Ad III. *Ad Officium Sancti Titularis teneri Parochum tantum.*

Ad IV. *Negative ad utrumque, et servetur Decretum diei* 12. *Novembris* 1831.

Ad V. *Teneri in casu ad Officium Ordinis, sed in diebus festis Missam pro Populo celebrandam ut in Kalendario Dioecesis.*

Ad VI. *Affirmative juxta Rubricam.*

Ad VII. *Recurrat ad Ordinarium.*

Ad VIII. *Affirmative ad primam partem: negative ad secundam.*

Ad IX. *Servandam esse in casu Patris Gavanti dispositionem in omnibus.*

Ad X. *Servandam dispositionem Ritualis Romani, quod in casu excludit Sacras Vestes ibi non memoratas.*

Ad XI. *Tolerandam esse utpote antiquitati conformem.*

Ad XII. *Servandam in casu dispositionem Ritualis Romani.*

Ad XIII. *Tolerandam quoad Officium defunctorum: tollendam quoad Missas, quae unica esse debet, juxta Decreta alias edita.*

Ad XIV. *Negative, sed servandas Rubricas.*

Ad XV. *Tolerari posse.*

Ad XVI. *Quoad primam quaestionem negative, sed quibus indultum est: quoad secundam quaestionem: affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad XVII. *Etsi fieri nequeat commemoratio Sancti Joseph in Officio, et Missa Desponsationis Beatae Mariae Virginis, ubi non est concessa; attamen Sacra Congregatio Rituum de speciali gratia annuit ut deinceps a Clero Civitatis ac Dioecesis Tuden. ante omnes alias quascumque commemorationes in memorato Officio et Missa Desponsationis Deiparae, Sancti Joseph ejus Sponsi Commemoratio apponatur.*

Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit, servarique mandavit.

Die 23. Maji 1846.

4905. ORDINIS PRAEDICATORUM.

Dum Revrendissimus P. Fr. Angelus Ancarani Ordinis Praedicatorum Generalis Magistri munere fungeretur, ab Apostolica hac Sancta Sede quarto Idus Decembris de Anno 1843. impetravit pro universo sibi commisso Ordine, ut Festum Conceptionis Beatae Mariae Virginis juxta Breviarii Ordinis Rubricas

deinceps institueretur cum Octava solemni, ac insuper ut Praefationi Missae Conceptionis ipsius adderetur verbum - *Immaculata* - ac proinde tam in Ecclesiis, quam ab Alumnis Ordinis ipsius legeretur - *Et te in Conceptione Immaculata.* - Quae quidem duo Decreta apprime conformia singulari pietati, quam usque a sua institutione erga Beatissimam Virginem Mariam Praedicatorum Ordo constanter profitetur, etsi communiter exultanti animo singulae per Orbem Praedicatorum Familiae exceperint, placuit tamen eidem Reverendissimo Patri Ancarani firmitatem etiam majorem a se gestis conciliare futuris quibusvis temporibus, ne dubitatio ulla suboriretur super legitima hujusmodi Decretorum impetratione, Sacrorum Rituum Congregationi nonnulla proposuit Dubia, ex quorum accurata solutione decimo octavo Kalendas Julii superiori Anno 1845. accepta, comperuit I. Superiorem Generalem Ordinis Praedicatorum, nullimode indigere consensu Superiorum inferiorum, vel Capituli Generalis ad hoc ut a Sancta Sede obtineat pro universo Ordine novum Officium, vel elevationem ritus Officii jam concessi. II. Non esse in potestate Superiorum inferiorum non acceptare novum Officium, vel ritus elevationem a Superiore Generali impetratam. III. Sibi succedentem Superiorem in hoc munere Generalem nullo sub praetextu respuere posse, vel a Kalendario expungere novum Officium, vel ritus elevationem. IV. Unumquemque per consequens omnino teneri se conformari Apostolicis concessionibus quamvis ab unico Superiore Generali impetratis, atque obtentis. Verum quum accidere possit, ut aliquis detrectet Decretis ipsis Apostolicis se conformare, vel quia sentit Beatissimam Virginem Mariam conceptam fuisse in culpa originali, vel quia veretur religionem frangere juramenti, quo adstringitur ad sectandam doctrinam Sancti Thomae Aquinatis, quem (etsi omnino perperam) paucissimi asserunt tenuisse Beatam Virginem incurrisse in anima culpam originalem, hinc Reverendissimus ipse Pater Ancarani satius consilium assumpsit, in novis Dubiis Sacrorum Rituum Congregationi exponere, quae singula respiciunt, tum impetratam ritus elevationem in Festo Conceptionis Deiparae, tum etiam additionem Praefationi Missae Conceptionis apponendam; ut Sacrae ipsius Congregationis, ac Sanctissimi Domini Papae sententiam clarius accipiat, sicque via omnis praecludatur cuicumque ulteriori interpretationi proprio lubitu iisdem Decretis dandae. Dubia itaque ab ipso proposita sic se habent.

I. An Magister Generalis Ordinis Praedicatorum potuerit absque consensu Capituli Generalis, et Superiorum inferiorum Ordinis ejusdem legitime obtinere a Sancta Sede, et acceptare pro toto Ordine Octavam solemnem in Festo Conceptionis Beatae Mariae Virginis, et additionem particulae - *Et Te in Conceptione immaculata* - apponendam Praefationi Missae Conceptionis, non obstante quod in aliquo Capitulo Generali Ordinis antedicti (ut asseritur) praescribatur nullum novum Officium posse acceptari in Ordine, nisi a Capitulo Generali? Et quatenus possit

II. An ea facultas obtinendi, et acceptandi, de qua supra, ita conveniat Superiori Generali, ut non indigeat consensu Capituli Generalis, etiam si aliquandiu decretum fuerit a Sancta Sede (uti aliqui volunt) acceptari non debere nova Officia, nisi a Capitulo Generali, quum Magister Generalis juxta Constitutiones Apostolicas, et Ordinis Praedicatorum, possit solus facere id, quod ipse agere potest cum Definitoribus Capituli Generalis?

III. An stante acceptatione solius Magistri Generalis, sit in facultate sibi

succedentium Superiorum Generalium, vel Capituli Generalis, vel Superiorum inferiorum acceptare, vel non praefatam Octavam solemnem, et particulam - *Et Te in Conceptione immaculata* - eo quod in Decretis concessionis datis die 10. Decembris 1843. nullum imponitur debitum, sed tantum dicitur - *Sanctitas Sua .... de speciali gratia benigne annuit juxta petita*? - Et in casu negativo

IV. An omnes Fratres, et Moniales Ordinis Praedicatorum adigantur celebrare Festum Conceptionis Beatae Mariae Virginis cum Octava solemni: et omnes Sacerdotes ejusdem Ordinis ex praecepto pariter teneantur addere Praefationi Missae verbum - *Immaculata*, et dicere - *Et te in Conceptione immaculata*: - ac idem servandum sit in omnibus utriusque sexus Ordinis Ecclesiis? Et si affirmative

V. An hoc ipso praecepto adstrigantur etiam ii omnes, qui sentiunt Beatam Virginem conceptam fuisse in culpa originali, et illi, qui jurejurando adiguntur ad sectandam doctrinam Sancti Thomae Aquinatis, supposito quod Angelicus Doctor tenuerit Beatam Virginem incurrisse in anima culpam originalem?

VI. In casu affirmativae responsionis ad quartum, et quintum Dubium, quaeritur an censendi sint agere ex contemptu ii omnes, qui propriae sententiae inhaerentes, vel praetextu insectandi doctrinam Angelici Praeceptoris, renuunt se submittere responsis Sanctae Sedis ad praesentia, etiamsi tantum omittant in Praefatione Missae verbum - *Immaculata*? -

VII. An Decreta a Sacra Congregatione emanata, et responsiones quaecumque ab ipsa propositis Dubiis scripto formiter editae, eamdem habeant auctoritatem, ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suae?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, audita a me subscripto Secretario fideli relatione, expositisque rationum momentis diligenter consideratis, rescribendum censuit

Ad I. *Posse juxta Decretum diei 14. Junii 1845. et allatam Rubricam.*

Ad II. *Non indigere, ut ad proximum.*

Ad III. *Non esse amplius in facultate.*

Ad IV. *Affirmative in casu proposito.*

Ad V. *Affirmative, et quatenus opus sit consulendum Sanctissimo pro absolutione.*

Ad VI. *Ex praecedentis Dubii solutione consulant conscientiae suae.*

Ad VII. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit.

Die 23. Maji 1846.

Et facta de praemissis omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio IX. Pontifici Maximo per eumdem subscriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua rescripta a Sacra Congregatione in omnibus et singulis adprobavit, confirmavitque, ac omnes et singulos, quatenus opus sit, ab emissi jurisjurandi vinculo, uti in quinto Dubio, absolvens, et eximens, Apostolica Auctoritate sua praecepit, ut memorata duo Decreta super elevatione ritus Festi Conceptionis Deiparae, et additione verbi - *Immaculata* - in Praefatione Missae Conceptionis ipsius a sa: me: Gregorio Papa XVI. universo Praedicatorum Ordini concessa quarto Idus Decembris 1843., plenissime observentur tum ab omnibus, et singulis Alumnis Ordinis Praedicatorum, tum in omnibus pariter Ordinis

ipsius Ecclesiis. Contrariis quibuscumque disponentibus minime obstantibus.
Die 17. Julii 1848.

4906. SANCTI FLORI.

Dum Reverendissimus Episcopus Sancti Flori accepit Sacrae Rituum Congregationis, et Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX. voluntatem esse, ut loco expetitae sanationis quoad usum Altarium, de quorum consecratione dubitabatur ob Reliquiarum deperitionem, vel sigillorum deficientiam, consecrarentur Altaria portatilia non parvo numero, paulatim substituenda iis, de quorum legitima consecratione non constaret, illico animadvertit Sacratissimi Principis mentem executioni demandari non posse absque notabili detrimento, siquidem in Diario Visitationum, neque alibi mentio facta est Altarium, quae per novam repositionem Reliquiarum, vel sigillorum impressionem habilitata fuere, ut super ipsis Sacrosanctum Missae Sacrificium litari valeret, ac proinde pro conscientiae tranquillitate jure omnia iterum essent Altaria consecranda, vel quingentis Ecclesiis et Sacellis essent Arae portatiles distribuendae, quorum neutrum exequi potest absque populi admiratione, et Cleri dispendio. Eapropter iteratis precibus rogavit Sanctitatem Suam idem Episcopus Sancti Flori, ut de Apostolica benignitate concedere dignaretur Indultum, cujus vigore, quocumque sanato defectu, super iisdem Altaribus celebrari valeat; nam decursu temporis paulatim singulorum Altarium sigilla destruentur, ac tumuli effodientur, et iterum Altaria ipsa consecrabuntur. Sanctitas Sua referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, attentis expositis, aliisque peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus, de speciali gratia in exemplum non afferenda, benigne annuit pro petita sanatione, dummodo vero nullimode erui valeat, neque ex attestationibus Parochorum, Altaria non fuisse denuo consecrata. Contrariis non obstantibus quibuscumque.
Die 25. Septembris 1846.

4907. FERENTIN.

Dum Pastoralis Visitationis curis detineretur Reverendissimus Ferentini Episcopus, in Oppido vulgo Supino suae Dioecesis illud reperit minus consonum Ecclesiasticae Hierarchiae, nimirum ut in Collegiata illa Ecclesia nuperrime erecta in Ecclesia Sanctae Mariae nulla praeeminentia praestetur Canonico Archipresbytero Sancti Petri, neve Abbatibus Sanctae Mariae, ac Sancti Nicolai, queis animarum cura demandata est, quique juxta sancita in Apostolicis Litteris erectionis Collegiatae datis pridie idus Augusti de anno 1836. inter Canonicos accensiti, tenere debent in Choro, in Processionibus, aliisque Ecclesiasticis Capitularibus Functionibus possessionis suae locum, ex eo quod in Bulla ipsa praescribatur quod nulla adscita in dicto Capitulo Dignitate, omnique alia prorsus seclusa Praeeminentia, possessionis tantum ordo inter Capitulares servandus sit. Quod omne pro suo munere ingenue exponens Sanctissimo Domino Nostro Pio IX. Pontifici Maximo idem Reverendissimus Episcopus, instanter rogavit, ut Parochiali dignitati consulere de Apostolica benignitate dignaretur, ac tribus Canonicis, queis animarum cura commissa est praecedentiam in Choro, in Processionibus, aliisque Capitularibus Functionibus supra reliquos Canonicos tribuere, siquidem reliquo Clero praecedebant antequam Collegiata institueretur. Humillimas hasce preces Sanctitas Sua peramanter excipiens, ac referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, sedulo perpendens singulas circumstantias in casu, de quo agitur, locum ha-

bentes, de speciali gratia benigne in omnibus annuit juxta Episcopi Oratoris preces, illique commisit, ut non obstantibus iis, quae praescripta sunt in Apostolicis Litteris expeditis pridie Idus Augusti anno 1836. quoad ordinem sedendi in Choro, ac procedendi in Processionibus, aliisque Capitularibus functionibus a Canonicis Collegiatae Ecclesiae Oppidi Supino nuncupati in sua Dioecesi praecipiat et indulgeat, ut Archipresbyter et Abbates Canonici trium Ecclesiarum habeantur quasi Dignitates Capituli sequenti ordine, nimirum primus Archipresbyter Sancti Petri, secundus Abbas Sanctae Mariae, tertius Abbas Sancti Nicolai; deinde coeteri Canonici juxta praefixam regulam in iisdem Apostolicis Litteris, qui ordo semper servetur sequentibus futuris temporibus in perpetuum. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 18. Decembris 1846.

4908. ORDINIS MONACHORUM SANCTI BASILII.

Quae a sa: me: Alexandro Papa VII. usque ab anno 1659. quinto Kalendas Octobris in Congregatione Sacrorum Rituum coram se habita sancita fuere circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum, quaeque insequenti anno 1660. decimo tertio Kalendas Sextiles de ipsius Sacrae Congregationis consulto magis etiam declaravit in responsionibus datis Dubiis a Procuratore Generali Congregationis Cassinensium propositis confirmans, quae praescripta sunt anno superiori 1659., praeter ea, quae habentur num.V. VI. VII. VIII. ac XVII. in quibus ob peculiares rationes, in aliquibus dispensavit Alumnos Congregationis ipsius, adeo semper rata habuit Apostolica haec Sancta Sedes, ut singulis successive propositis dubiis Alexandri VII. Decretis standum esse rescripserit Sacra Rituum Congregatio. Immo sa: pariter me: Benedictus Papa XIV. praeter alia in re definita, edixit ut memorata Alexandrina Decreta iterum typis euderentur, ac eorumdem exemplar transmisit ad omnes per Orbem Episcopos et Archiepiscopos cum apposita sua Epistola data pridie Kalendas Aprilis 1744., in qua singulis commendavit eorumdem Decretorum observantiam, atque omnes monitos voluit, ut pro munere incumberent, atque urgerent, ne quidquam fiat contra ea, quae in Decretis ipsis sapienter injuncta sunt. Neque insequentibus temporibus aliquid supradictis Decretis non apprime conforme, declaravit Sacra ipsa Rituum Congregatio, vel Summi Pontifices indulsere; immo immortalis memoriae Pius Papa VII. Constitutione sua - *Decet Romanos Pontifices* - data quarto Nonas Julii anno 1823. non modo ad observationem revocavit, et quatenus opus esset, iterum adprobavit, ac sancivit, quae per Praedecessores suos, praesertim Alexandrum VII. et Benedictum XIV. decreta fuere, vel alias a Sacra Rituum Congregatione praescripta, verum ibi Decretum confirmavit, quod memorata Congregatio Rituum ediderat sexto Kalendas Septembris anno 1822. super declaratione Privilegiorum circa usum Insignium Pontificalium, quibus ex Sedis Apostolicae Indulto nonnullae gaudent Dignitates etc. Haec singula prae oculis habens Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX., ac serio perpendens, quae in supplici libello suo exponebat Reverendissimus P. Visitator Generalis Monachorum Sancti Basilii, requirens num sui Ordinis Abbates revocare debeat ad observantiam Decretorum Alexandri VII. circa usum Pontificalium, quum ex iisdem aliquis arbitretur Decreta ipsa forsan modificata, vel decursu temporis iis derogatum, vel dispensatum saltem in parte fuisse, referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, eidem Visitatori Generali Ordinis Sancti Basilii, attentis expo-

sitis potestatem fecit revocandi Abbates quoque ad observantiam omnium Decretorum, quae super re edita fuere, praesertim ut non liceat eis Pontificalia exercere nisi in propria Ecclesia, et si ex speciali Indulto hujus Sanctae Apostolicae Sedis ex eis quisquam agere possit Pontificalia etiam extra propriam Ecclesiam, nullatenus liceat hoc privilegio uti, nisi de expresso Raverendissimi Ordinarii consensu. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 18. Decembris 1846.

4909. CONVERSANEN.

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA ET CAPUCCINORUM.

Praecedentiae jus publicis in supplicationibus licet saepe Apostolicis temperatum Constitutionibus, et crebris Sacrorum Rituum Decretis praefinitum, sicuti semper uberem controversiis suppeditavit, sic novam in praesentiarum praebet disceptandi materiam Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum degentibus in Pago Rutiliani Conversanensis Dioecesis, et Fratribus Minoribus de Observantia duobus passuum millibus inde dissitis. Capuccini jus praecedendi sibi asserunt tum quod antiquiores ibi sint Coenobii fundatione, tum quod publicis in supplicationibus, ad quas tenentur accedere semper obtinuerint priorem a Capitulo locum. Observantes autem lege ob distantiam non adstricti intervenire; quando vero illis supplicationibus se jungere velint, sicuti accidit piaculari anno 1825. ac novissimo anno 1843. idem jus sibi vindicant, tum quod absonum videatur filialem Ordinem anteire illum, a quo originem duxit, tum quod dignior locus Capuccinis assignatus, dum Observantes aberant, nullam ipsorum juri noxam valeat irrogare. Controversia isthaec ad Episcopalem Curiam primitus ventilata, quum per Decretum emissum; jus fuerit Observantibus attributum, ab hac sententia appellationem ad Sanctam Sedem Capuccini interposuere, datisque precibus penes Sacrorum Rituum Congregationem, citata dein parte coram R. P. D. ejusdem a Secretis, sequens fuit Dubium per deputatos Defensores concordatum - *An, et cui competat praecedentia in supplicationibus, et in casu praesenti* - Proposito propterea eodem dubio in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Quirinales Aedes subscripta die ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinale Carolo Acton Relatore designato; Sacra Congregatio visis, matureque libratis juribus hinc inde deductis, utraque parte plenius informante, ac respondente, omnibusque videndis rite consideratis, rescribendum censuit - *Praecedentiam in casu competere Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia.* -

Atque ita decrevit, ac servari mandavit. Die 27. Februarii 1847.

4910. ARETIN.

Sacerdos Aloisius Paci Caeremoniarum Magister Cathedralis Aretinae Ecclesiae summopere exoptans ut in Ecclesiasticis Functionibus, Sacrisque Ritibus explendis omnia juxta praefinitas regulas procedant Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum

1. An Missa, quae in Ecclesiis Cathedralibus juxta generales Rubricas celebranda est pro defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus, et aliis qualibet prima die, vel feria secunda non impedita cujuslibet mensis sit praeceptiva? Et quatenus affirmative

2. An praedicta Missa quotidiana possit applicari particulariter pro defunctis Episcopis et Canonicis illius Ecclesiae, in qua celebratur, pro satisfactione generalis Praebendae illius, qui Missam celebrat?

3. An praedicta Missa quotidiana dici possit cum unica tantum Oratione, quin in iisdem Rubricis generalibus habeatur, quod una tantum Oratio dicenda sit quandocumque pro Defunctis solemniter celebratur, vel dicenda sit cum tribus Orationibus uti habetur in Missali in Missis quotidianis, ut notat Merati de praedictis Missis mensualibus?

4. An praedicta Missa occurrens temporibus Adventus, Quadragesimae, et Paschae a Rubricis exceptis, sit remittenda?

5. An in Vesperis celebratis coram Sanctissimo Sacramento exposito Celebrans ad Canticum – *Magnificat* – dum incensat Sacramentum, ante incensationem Altaris genuflectere debeat in infimo gradu Altaris, vel in Suppedaneo?

6. An in expositione Sanctissimi Sacramenti, praesente Episcopo genuflexo, Celebrans dum pervenit ad Altare, debeat ei reverentiam praestare, et dum ascendit ad impertiendam Fidelibus benedictionem, facultatem cum actu obsequii ab eodem postulare?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinario Coetu, referente me subscripto Secretario, propositis Dubiis diligenter de more examinatis, iisdem respondendum censuit

Ad 1. *Affirmative.*

Ad 2. *Negative, sed pro Benefactoribus in genere.*

Ad 3. *Juxta peculiarem Rubricam, nimirum pro lubitu.*

Ad 4. *Negative.*

Ad 5. *In Suppedaneo.*

Ad 6. *Negative ad utrumque.*

Atque ita rescribere Sacra Congregatio rata est, et declarare.

Die 27. Februarii 1847.

4911. AURIEN.

Ne in explendis Ecclesiasticis Caeremoniis, Divinisque Laudibus persolvendis aliquid perperam agatur, sed Rubricae adamussim serventur Sacerdos Joannes Emmanuel Bedoya Canonicus Decanus Cathedralis Aurien. Ecclesiae, ac in praesentiarum totius Dioecesis Vicarius Capitularis, Sede illa vacante, Sacrorum Rituum Congregationis sententiam humiliter expetiit super sequentibus Dubiis pro debita solutione propositis nimirum

1. An in Officio proprio Sanctae Agnetis Virginis Martyris, quod est in Breviario Romano sub die XXI. Januarii in prima Antiphona ad Vesperas, et Laudes liceat addere claritatis gratia, et ut plenior sensus habeatur – *in sui custodiam* – ita ut sic integre legatur – *Ingressa Agnes turpitudinis locum, Angelum Domini in sui custodiam praeparatum invenit?* –

2. An in omni Officio semiduplici, et duplici minore Lectiones primi Nocturni desumendae sunt de Scriptura occurrente in Proprio de tempore secundum regulam generalem Breviarii, et ut plus per annum legatur de Scriptura, omissis Lectionibus, quae interdum assignantur de Communi, quin dicant specialem congruitatem cum Festo, vel quia extensum est Officium ad alias Ecclesias, ex his ubi gaudebunt elevatiore ritu, aut majori solemnitate?

3. An in Octava Sancti Joannis Baptistae repetendae sint Lectiones tertii Nocturni ex die festi, ut Rubrica Breviarii observat, etiam quando non recitatae fuerint Lectiones, quae in Breviario habentur secunda, et quarta die infra Octavam?

4. Similiter an in Officio octavae dedicationis Ecclesiae Lectiones repeten-

dae sint ex die festi , etiam quando lectae non fuerunt quae habentur intra Octavam ?

Et Sacra eadem Congregatio , audita a me subscripto Secretario fideli relatione , attenteque consideratis propositis Dubiis , in Ordinario Coetu ad Quirinale hodierna die habito respondendum censuit

Ad 1. *Nihil immutandum , vel innovandum.*

Ad 2. *Standum concessionis verbis.*

Ad 3. *Servetur peculiaris Rubrica.*

Ad 4. *Ut ad proximum.*

Atque ita rescribere , ac proposita Dubia declarare existimavit.

Die 27. Februarii 1847.

4912. BENEVENTANA.

Abbas Venerabilis Ecclesiae Collegiatae Sancti Spiritus in Civitate Beneventana , qui primum illius Collegii Dignitatem obtinet , inter alios honores , quibus decoratur , gaudet etiam privilegiis , quae a sa: me: Benedicto Papa XIII, per suas Apostolicas Litteras in forma Brevis datas septimo Kalendas Octobris de anno 1721. concessa fuerunt Abbati pro tempore Collegiatae ipsius Ecclesiae, ac proinde tam intra propriam Ecclesiam , quam in Civitate , et Dioecesi Beneventana in Processionibus , aliisque Ecclesiasticis Functionibus , et Divinis Officiis utitur Mitra , Baculo , Annulo Pastorali , aliisque Pontificalibus Insigniis. Quae singula dum advertit Eminentissimus , et Reverendissimus Dominus Cardinalis Dominicus Carafa-Trajetto Archiepiscopus Beneventanus , illico deprehendit haec singula memorato Abbati competere vigore earumdem litterarum , ac licite , et libere ipsum exercuisse , et gestasse quae ab Apostolica hac Sancta Sede donata fuere, verum quum dubitet decursu temporis hujusmodi concessiones , vel revocatas , vel saltem coarctatas fuisse , hinc pastoralis sui muneris esse duxit sequentia Dubia proponere Sacrorum Rituum Congregationi , ut singula juxta praeferitas regulas procedant.

1. An Abbas memoratae Collegiatae Ecclesiae gaudens usu Mitrae , Baculi Pastoralis , aliorumque Pontificalium insignium , uti possit Mitra auriphrygiata , et Baculo Episcopali , vel potius alterius formae , et ab illo distincto ?

2. An frui possit hujusmodi privilegio Pontificalium intra suam Ecclesiam tantum , vel potius in omnibus Ecclesiis Civitatis , et Dioecesis ?

3. An induere possit , deferre , et gestare Mitram , Baculum Pastoralem , aliaque insignia Pontificalia interveniens Processionibus aliisque Divinis Officiis , et Functionibus Ecclesiasticis , queis Archiepiscopus intervenit ?

4. An absente Archiepiscopo , sed interveniente Capitulo Metropolitanae , quod privilegio Pontificalium gaudet , Processionibus , aliisque Ecclesiasticis Functionibus , ac Divinis Officiis possit Abbas Sancti Spiritus gestare Mitram , et Pastoralem , an Mitram tantum ?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata , audita relatione a me subscripto Secretario , propositisque Dubiis maturo examine perpensis , iisdem rescribendum censuit

Ad 1. *Negative , sed Mitra tantum ex tela simplici , et Baculo Abbatiali cum Velo.*

Ad 2. *In propria Ecclesia tantum assignatisque diebus juxta Constitutionem sa: me: Pii Papae VII.* - Decet Romanos Pontifices. -

Ad 3. *Negative in omnibus.*

Ad 4. *Negative.*
Atque ita servandum mandavit.
Die 27. Februarii 1847.

4913. BRIXIEN.

Quum Sacerdos Hieronymus Bambosio Brixiensis Civitatis animadvertat ut plurimum non servari Constitutiones Apostolicas positas in Missalibus, et Breviariis, queis injungitur hujusmodi volumina, aliaque Divinam Psalmodiam respicientia typis mandari non posse, quin praeseferant Ordinariorum attestationes, ac indubie constet concordare cum aliis regulariter jam cusis, idque sub Excomunicationis majoris poena; neque saltem exequi quae per Generale Decretum Sacra Rituum Congregatio praescripsit de anno 1834. sexto Kalendas Maii, humillimis datis precibus Sacram eamdem Congregationem enixe rogavit, ut super sequentibus Dubiis suam aperire dignaretur sententiam, nimirum

1. An hujusmodi Breviariis, Missalibus, aliisque Ecclesiasticis Libris, memoratis in Apostolicis Litteris, et Decreto anni 1834., debita attestatione destitutis, uti quis possit absque peccati, et incurrendae Excomunicationis periculo?

2. An in casu negativo excusari saltem possint ii de Clero, qui hujusmodi libris utuntur ex eo quod adprobatis conformes illos arbitrantur, vel quia communiter adhibentur quocumque secluso metu?

3. An idem dicendum de Missalibus etiam de Requiem, quorum nullum praesefert, quod sciatur, requisitam attestationem?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Quirinale subscripta die coadunata, referente me Secretario propositis Dubiis diligenti, accuratoque examine perpensis, respondendum censuit - *Episcopo Brixiensi, qui ad tramites Decreti editi die* 26. *Aprilis* 1834. *omnino provideat.* -
Die 27. Februarii 1847.

4914. CORISOPITEN.

Quum Reverendissimus Corisopiten. Episcopus Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuerit, nimirum

1. An lectio Litterarum Apostolicarum, queis Episcopo conceditur facultas impertiendi solemniter Benedictionem cum Indulgentia Plenaria in Cathedrali Corisopiten. quae est etiam Parochialis fieri possit post decantatum Evangelium, non vero in fine Missae, uti injungitur in scripto, cui titulus - *Ritus et formula Benedictionis Apostolicae?*

2. Utrum Apostolicae hujusmodi Litterae legi debeant latino, et vernaculo, seu patrio sermone? Et quatenus affirmative, idem Episcopus supplicat ut saltem latinam lectionem omittere possit, ne Populus gravetur.

3. An lectio versionis hujusmodi Litterarum debeat esse integra, vel sufficiat exprimere Pontificem concedentem, Episcopum, cui facultas impertitur, et naturam gratiae, seu Indulgentiae concessae?

Quae singula Dubia dum Sacra Rituum Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata ad relationem infrascripti Secretarii sedulo perpenderet, satius sumpsit consilium ut ad Ecclesiam Corisopitensem extenderet Indultum Ecclesiae Rhedonensi hac ipsa die concessum, nimirum ut Apostolicae Litterae, quibus facultas conceditur impertiendi Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia Plenaria legantur integrae, sed tantum vulgari, seu patrio sermone, attamen expleta Missa, et ad me Secretarium cum Sanctissimo. Die 27. Februarii 1847.

Facta autem de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio IX. Pontifici Maximo, per me Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Rescriptum adprobavit, atque Apostolica Auctoritate sua in omnibus confirmavit.

Die 5. Martii 1847.

4915. CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM SANCTISSIMAE CRUCIS, ET PASSIONIS D. N. JESU CHRISTI.

Quum R. P. Bernardus a Virgine Maria ex Recessu Reatino Congregationis Clericorum Regularium Sanctissimae Crucis et Passionis Domini Nostri Jesu Christi a Beata Maria Virgine de Succursu nuncupato Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione sequentia dederit Dubia, nimirum

1. An semper adhibenda sit Bursa cum Corporale, supra quod reponenda sit Sacra Pixis toties quoties administratur Communio Christifidelibus extra Missam, uti innuitur in Ritualis Romani Rubrica, et clare docetur a Gavanto aliisque Sacrorum Rituum expositoribus?

2. An Rituale Romanum prout in casu, intelligendum sit, quod assumi debeat Bursa cum Corporali tantum quando Sacrum Viaticum defertur ad Infirmos, an toties quoties extra Missam Sacra praebetur Synaxis?

3. An Rubrica Ritualis Romani, sit prout in casu praeceptiva, vel tantum directiva, et ad libitum?

4. Quum expletur Communio extra Missam, quaeritur an tolerari debeat consuetudo utendi Palla, qua Calix tegitur in Missae Sacrificio, semper super Altaris mensa ante Tabernaculum manente?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinario Coetu, referente me Secretario, rescribendum censuit

Ad 1. *Affirmative juxta Rituale.*

Ad 2. *In administranda Eucharistia intelligendum.*

Ad 3. *Praeceptivam esse.*

Ad 4. *Jam provisum in superioribus.*

Atque ita rescripsit, et declaravit. Die 27. Februarii 1847.

4916. COTRONEN.

Etsi usque ab anno 1629. pridie Kalendas Aprilis Sacra haec Rituum Congregatio sancivit Canonicos Cathedralis Cotronen. Ecclesiae teneri ad inserviendum pro Diacono, et Subdiacono non solum Dignitati solemniter celebranti, sed etiam cuicumque alio Canonico pariter celebranti; in praesentiarum memoratae Ecclesiae Capitulum et Canonici iteratis humillimis precibus Sacram ipsam Rituum Congregationem rogarunt enixe, ut assignare dignaretur solemniores dies, quibus celebrante Dignitate, Canonici hujusmodi servitium praestare teneretur, ac insimul declarare, num in singulis per annum Dominicis, celebrante Dignitate vel Canonico, in Diaconi et Subdiaconi officio Canonici inservire debeant? Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente me Secretario, omnibus mature perpensis, rescribendum censuit - *Teneri omnibus diebus, quando solemniter celebrat Dignitas, vel Canonicus, et ad formam Constitutionum Capitularium.* -

Atque ita servandum omnino mandavit.

Die 27. Februarii 1847.

4917. DREPANITAN.

In Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis superiori anno 1846. decimo Ka-

lendas Junii habitis, relatae quum fuerint preces Archipresbyteri, et Canonicorum Collegiatae Ecclesiae Sancti Petri in Civitate Drepanitana erectae, queis exponebant ex immemorabili consuetudine Collegiata ipsa in Ecclesia Archipresbyterum, vel alterum Canonicum solemniter celebrantem, praeter Diaconum, et Subdiaconum adhibere solere Presbyterum assistentem Pluviali indutum, ac proinde enixe rogabant, ut consuetudinem hujusmodi confirmare dignaretur: placuit Eminentissimis et Reverendissimis Patribus Sacris tuendis Ritibus praepositis nil in re decernere, quin Reverendissimi Episcopi Votum exquireretur, ac proinde rescriptum fuit - *Episcopo pro informatione, qui audito Capitulo in scriptis, doceat super asserta consuetudine* - Sacrae Congregationis mandatis religiosissime obsequens Episcopus in scriptis, et voce audito Capitulo, ac rebus mature perpensis, Sacram Congregationem certiorem reddidit, se numquam de tali formalem, vel utcumque protulisse sententiam, verum ad calcem Directorii Divini Officii ipsius anni 1846. apposuisse aliqua Decreta Sacrorum Rituum Congregationis, quae ad abusus ubicumqne existentes radicitus evellendos condita fuerant, inter quae illa etiam accensebantur, quae Presbyterum assistentem prohibent, ut legum facta facili cognitione, quisque ad leges ipsas apprime servandas prompto, docilique animo excitaretur. Neque destitit idem Antistes curam omnem, diligentiamque impendere in perquirendo Capituli Archivo, ac etiam requirendo Reverendissimo Mazarien. Episcopo, intra cujus Dioecesis limites hodierna Depranitana Dioecesis includebatur, si forte aliquod monumentum extaret Indulti Capitulo Collegiatae Sancti Petri concessi pro Presbytero assistente in Missis solemnibus; sed incassa cessit quaecumque diligentia, ac proinde dilucide apparet omnino abusive consuetudinem hujusmodi fuisse inductam, atque ad superiorem usque annum servatam; eo vel magis quia in Synodo Dioecesana Mazarii celebrata de anno 1735. saltem implicite fuit abrogata. In illa siquidem Synodo statutum fuit, ut tam in Cathedrali Mazariensi, quam in caeteris respective Ecclesiis (tunc temporis Drepanitanae hodiernae Dioecesis Ecclesiae includebantur in Dioecesi Mazariensi) omnimode servetur Caeremoniale Romanum, omnem et quamcumque in contrarium consuetudinem abrogantes, ac in Titulo *de Sacrificio Missae* indictum fuit, ut Sacerdotes nullos alias ritus, aut Caeremonias in Missae celebratione adhiberent praeter eas, quae in Missali Romano praescribuntur. Quae singula a Reverendissimo Antistite exposita una cum Precibus Capituli Collegiatae Sancti Petri Ecclesiae in novo Ordinario Coetu Sacrorum Rituum Congregationis ad Quirinale hodierna die habito quum fideliter de more retulerit R. P. D. subscriptus Secretarius, Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, dilucide comperuere abusive omnino, ut contra alias Decreta servatam fuisse consuetudinem Presbyteri assistentis in Collegiata Sancti Petri Ecclesia Civitatis Drepani, ac proinde merito commendantes Reverendissimi Episcopi pastoralem vigilantiam ad convellendos quoscumque abusus, rescribendum censuernnt. - *Servetur Decretum Episcopi, si adsit: alias serventur Decreta jam lata in Voto ejusdem Episcopi.* -

Die 27. Februarii 1847.

4918. MECHLINIEN.

Hodiernus Superior Abbatiae Sancti Bernardi in Bomhem inter fines Archidioecesis Mechliniensis Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum

I. In praedicta Abbatia olim Ordinis Praedicatorum, ac in praesentiarum Ordinis Cistercensium extabat Ecclesia consecrata sub titulo Sanctissimae Crucis, quae anno 1840. penitus destructa fuit, eique alia nova substituta sub titulo Beatae Mariae Virginis in Coelum assumptae, nulla facta mentione Sanctissimae Crucis. Unde

Quaeritur 1. Utrum adhuc teneantur Monachi Cistercienses quotannis die tertia Maji recitare Officium Sanctissimae Crucis sub ritu duplicis primae Classis cum Octava, tamquam de titulo Ecclesiae, et quatenus affirmative supplicavit pro gratia redigendi illud Officium ad ritum Breviarii sine Octava.

Quaeritur 2. Utrum quotanis debeant adhuc celebrare Festum dedicationis Ecclesiae destructae in pristina sua die, quae est Dominica tertia Septembris, an vero die XXVII. ejusdem mensis Septembris, qua novae Ecclesiae dedicatio peracta fuit? Et quatenus affirmative ad primam hujus quaesiti partem supplicant pro gratia transferendi in perpetunm Festum dedicationis ad diem XXVII. Septembris, tanquam in diem propriam?

II. Abbatia Sancti Bernardi sita est intra limites Paroeciae ruralis de Bomhem, cujus Ecclesiae titulus est Beatae Mariae Virginis ad Sanctum Leodegarium. Quotannis feria secunda post Festum Sacratissimi Rosarii celebratur Festum Sancti Leodogarii a Clero cum Officio ritus duplicis primae Classis, et Octava a populo tamquam Festum in devotione, sed non sub praecepto ducitur; unde quaeritur an Monachi Abbatiae Sancti Bernardi teneantur in dicta Feria secunda recitare Officium de Sancto Leodegario?

III. Quando Festum Sancti Marci Evangelistae occurrit intra hebdomadam Paschae, in Dioecesi Mechliniensi transfertur ad Feriam quartam post Dominicam in Albis, tamquam ad diem propriam: unde quaeritur utrum Regularibus proprio Kalendario utentibus, adhuc licitum sit huic translationi sese conformare ob antiquam consuetudinem, quum nunc Festum Sancti Marci non amplius servetur in populo, sicuti quondam fiebat in Belgio?

Hujusmodi Dubia quum R. P. D. infrascriptus Secretarius fideliter de more proposuerit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Quirinale subsignata die habitis, Sacra eadem Congregatio omnibus maturo examine perpensis, rescribere censuit

Ad I. *Negative ad utrumque.*

Ad II. *Negative, sed teneri ad Officium Patroni Dioecesis.*

Ad III. *Servetur particularis Rubrica.*

Atque ita rescripsit.

Die 27. Februarii 1847.

4919. MASSEN.

Quum superiori anno 1846. a Sacra Congregatione Reverendissimorum Patrum Sacri Concilii Tridentini Interpretum ad hanc Sacrorum Rituum Congregationem transmissae fuerint preces Reverendissimi Massen. Episcopi, queis exponebat quod in Principatu Carrariensi mos vigeat ut Clerus universus, ne exceptis quidem parvulis Clericis, Rochetto utatur, et hoc fortasse quia olim jurisdictioni Canonicorum Regularium Sancti Frigdiani subjectae erant Ecclesiae omnes Principatus ipsius; ac proinde hujus Sanctae Apostolicae Sedis oraculum exquirebat, num adhuc sibi super hoc usu silentio insistendum sibi sit, ne turbas excitet, siquidem admodum antiqua consuetudo isthaec perhibetur; vel potius teneatur hunc usum tollere, deficiente privilegio? De praemissis a R.

P. D. subscripto Secretario fideli instituta relatione in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis, Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in voto fuere: *Non esse inquietandos.*

Atque ita rescribendum mandarunt.

Die 27. Februarii 1847.

4920. ROMANA.

Dum superiori anno 1846. Dominica secunda post Pascha Resurrectionis ad proprii Beneficii possessionem in insigni Basilica Sanctae Mariae in Cosmedin Urbis immittendi erant duo novi Beneficiati, non una fuit Canonicorum in Capitulo congregatorum sententia in designanda persona, cui juxta Eminentissimi, et Reverendissimi Cardinalis in Urbe Vicarii, Diaconali illo titulo vacante, Litteras pro Canonica immissione expeditas committebatur dandae possessionis actus; nam tantum in iis legebatur - *Dignior ex Canonicis.* - Siquidem opinantibus nonnullis per hujusmodi verba designari seniorem inter praesentes Canonicos, contendebant nullimode spectare ad Archipresbyterum juxta veterem praxim, quam de facto excludere non dubitarunt. Ne vero hodiernus Archipresbyter laederetur in juribus sibi competentibus, se abstinuit ab interventu ad hujusmodi possessionem, atque Sacrorum Rituum Congregationi rem omnem exponens, institit, ut formiter declararetur utrum - *Dignior ex Canonicis* - intelligatur Archipresbyter? ac proinde an hujusmodi in casibus Archipresbytero omnino competat exequutioni demandare possessionum ad Praebendas Litteras, quoties in ipsis non designatur, seu nominatur Canonicus aliquis particulariter, sicuti semper actum est. Interim quum ad memoratae Basilicae Diaconalem Titulum assumptus fuerit Eminentissimus et Reverendissimus D. Cardinalis Joannes Serafini, Archipresbyteri preces eidem Eminentissimo Viro transmissae fuerunt pro Informatione, et Voto, ut praesertim doceret de Capituli Statuto, ac de consuetudine in casu proposito. Injuncti muneris partes explens ipse Eminentissimus Titularis, ingenue exposuit post aditum Capitulum, quod etsi in Constitutionibus Capitularibus nil enuncietur de Possessionibus, attamen ex iisdem dilucide evincitur Archipresbyterum usque a Capituli erectione, uti ex Apostolicis Litteris Leonis Papae X. datis Kalendis Maii 1513. esse unicam Capituli Dignitatem, adeoque semper, et in omnibus praecedere debere Canonicos, praeter Canonicum Hebdomadarium; imo uni Archipresbytero inhaerere Praesbyteralem Ordinem siquidem novem alii Canonici ex eodem Pontifice debent saltem esse in Ordine Clericali, et in aetate annorum quindecim constituti; ad Archipresbyterum insuper spectare privative celebrationem Missarum cum cantu, ac Vesperarum in Solemnioribus, et in aliis Festis per turnum cum aliis Canonicis, quibus una quotidianas percipit distributiones, ac ad Punctaturas adigitur. Quoad vero consuetudinem ipse Reverendissimus Titularis adnotat usque ad collationem Beneficiorum, de quibus in casu agitur, semper in Bullis collationis Praebendarum adhibita fuisse verba, ex quibus erui posset Archipresbyterum potissimum designari ad hujusmodi possessiones dandas, quod jus nullimode controversum fuit, uti apparet etiam ex recentioribus collationibus. Quae singula R. P. D. subscriptus Secretarius inter caetera fideliter referens in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis, Sacra eadem Congregatio omnibus maturo, diligentique examine perpensis, ab expositis indubie comparuit in

Basilica Sanctae Mariae in Cosmedin Urbis ex institutione, et Statuto Digniorem inter Canonicos esse Archipresbyterum, ac proinde decrevit juxta Votum Eminentissimi Cardinalis Titularis ad ipsum praesentem spectare executionem Litterarum pro immittendis novis Capitularibus ad Praebendarum cujuscumque gradus, et generis possessionem, quoties ipsarnm Litterarum exequutio Canonicis in genere, et non nominatim comittitur. Atque ita rescripsit, servarique mandavit.

Die 27. Februarii 1847.

4921. RHEDONEN.

Etsi Reverendissimus Rhedonen. Episcopus usque adhuc curavit, ut in die solemni Paschae, et in Festivitate Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, quibus diebus solemniter Benedictio Apostolica Populo elargitur, Apostolicae Litterae, quibus Indulgentia Plenaria conceditur, legerentur tum latina lingua, uti conscriptae sunt, tum vulgari idiomate gallico; attamen comperuit latinam huiusmodi lectionem adeo gravem Fideles experiri, utpote illam non intelligentes. Hinc Sacrorum Rituum Congregationem humillimis precibus adiens idem Reverendissimus Antistes, efflagitavit, utrum deinceps hanc latinam lectionem earumdem Litterarum omittere possit, atque unicam retinere gallicam versionem, et quatenus negative, Apostolicum dispensationis Indultum enixe rogavit. Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata, referente me Secretario, rescribendum censuit - *Affirmative ex gratia speciali. et ad D. Secretarium cum Sanctissimo.* - Die 27. Februarii 1847.

Facta autem hodierna die Sanctissimo Domino Nostro Pio IX. Pontifici Maximo per me Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis adprobavit, confirmavitque.

Die 5. Martii 1847.

4922. RHEMEN.

Reverendissime Domine uti Frater.

Quum Sacerdos Joannes Petrus Cadot Vice-Parochus Ecclesiae Sancti Jacobi Civitatis Rhemensis Sacrorum Rituum Congregationi exposuerit plures Sacerdotes in Civitate non minus, quam Dioecesi Rhemensi. annuente Amplitudine Tua, in Divinis Laudibus persolvendis se conformare Breviario, ac Missali Romano, eosque ut plurimum dubios haerere quoad colorem Paramentorum in Missae Sacrificio, nimirum an sequi debeant qnoad colorem Rubricas Kalendarii Rhemensis, vel potius adigantur adhibere colorem indictum in Kalendario Romano? Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subsignata die in Ordinariis Comitiis coadunata, audita relatione a R. P. D. infrascripto Secretario facta, quin aliquid memorato Sacerdoti responderet, satius duxit ad Amplitudinem Tuam scribere, eique communicare, ut qua praestat prudentia, Sacerdotes ipsos commoneat vetitum omnino esse se conformare colori convenienti Officio, quod recitant juxta Breviarium Romanum, dum in publicis Ecclesiis diversus est color, quia in Kalendario Rhemensi Officium ritus duplicis occurrit; ac proinde tunc solum teneri ad expetendum colorem Officio Romano respondentem quum Semiduplicia occurrunt in Kalendario Rhemensi. Dum Amplitudini Tuae mentem Sacrae Congregationis aperio, diu felix et incolumis vivat.

Romae 27. Februarii 1847.

Reverendissimo Domino uti Fratri,
Episcopo Rhemensi.

4923. TRANEN.

Quum in suis Apostolicis Litteris in forma Brevis sa: me: Gregorius Papa XVI. commiserit Reverendissimo Anidren. Episcopo administrationem Archidioecesis Tranensis, cum adjecta Ecclesia Vigiliensi; ibi Vicarium Generalem utpote suum Locumtenentem constituit, cui interdum ad Chorum accedenti praecedentia denegatur quoad Stallum ab Archidiacono, prima Capituli Tranensis Dignitate. Quod Sacrorum Rituum Congregationi exponens idem Vicarius Generalis, enixe rogavit ut formiter declaretur, an Vicarius Generalis in Choro occupare debeat primum Stallum, ac proinde praecedere omnibus Dignitatibus? Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente me subscripto Secnetario, maturo examine perpensis expositis, ac aliis iu similibus Decretis, respondendum censuit: *Juxta alias Decreta Vicarius Generalis in Choro, et in habitu Vicariali omnibus etiam Dignitatibus non paratis praecedit, excluso tamen Hebdomadario.*

Atque ita rescripsit, ac in Metropolitana Tranensi Ecclesia servari mandavit.

Die 27. Februarii 1847.

4924. TOLENTIN.

Quum Sacerdos Petrus Bonelli Canonicus Poenitentiarius Cathedralis Tolentinae Sacrorum Rituum Congregationem humillime rogarit, ut declarare dignaretur: Num Ecclesia consecrata, quae militaribus stationibus et excubiis per biduum inservivit, censenda sit profanata, ac propterea indigeat reconciliatione a Pontificale Romano praescripta? Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente me Secretario, respondendum censuit: *Ad cautelam esse reconciliandam.*

Die 27. Februarii 1847.

4925. TARENTIN.

Ad omnem ambiguitatem aliminandam in ordinando Kalendario Civitatis ac Archidioecis Tarentin. Magister Caeremoniarum Metropolitanae illius Ecclesiae anceps haeret quodnam Decretum Sacrorum Rituum Congregationis potissimum sequi debeat in assignandis commemorationibus Patronorum in Laudibus ac Vesperis dum Loca particularia praeter Patronum Dioecesis, alium suum praecipuum venerantur Sanctum Patronum. Etsi enim usque ab anno 1683. duodecimo Kalendas Decembris sancitum fuerit de principaliori tantum Patrono instituendam commemorationem in Locis gaudentibus duobus, vel pluribus Patronis; attamen de anno 1721. septimo Idus Iunii praecipitur: *Commemorationem fieri debere de utroque, primo scilicet de Patrono Dioecesis, secundo de Patrono Loci*; eamdem Sacram Congregationem Rituum enixe rogavit, ut declarare dignaretur quid in casu exequendum? Quae in Ordinariis Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis coadunata, referente me subscripto Secretario, probe intelligens Decretum diei 20. Novembris 1683. loqui tantum de pluribus Patronis ipsius Loci, ac aliud praecipere observantiam Rubricarum, quae praeter Patronum integrae Dioecesis, cujus Commemoratio institui debet in ipsa Dioecesi, admittunt Patronum praecipuum cujusque Loci, rescribendum censuit ad propositam quaestionem: *Servandum in casu Decretum diei 7. Junii* 1721.

Atque ita rescripsit.

Die 27. Februarii 1847.

4926. VICARIATUS RUREMONDENSIS IN HOLLANDIA.

Sacerdos Hollandus Henricus Oomen Praeses Seminarii Ruremondensis quum a Sacra Rituum Congregatione enixe exquisierit solutionem insequentium Dubiorum, nimirum

1. Utrum post Missam depositionis extra diem tertium, septimum, et trigesimum cantari possit Missa in ritu duplicis majoris, ut in die obitus cum unica Oratione modo Consanguinei defuncti ad eam conveniant?

2. Utrum Parochus debeat facere Octavam de Sancto Titulari alicujus Capellae, in qua hic et nunc celebratur Missae Sacrificium?

3. Utrum Professores, nec non Seminaristae in majoribus constituti Ordinibus teneantur ad Octavam Patroni Ecclesiae Seminarii, quae omnibus patet fidelibus, vel potius retinere Patronum Civitatis, in qua Seminarium situm est?

4. Parochus hic et nunc aliquem substituit, qui die Dominica cantat summum Sacrum (quod hic posse censetur per consuetudinem): An Parochus privatim celebrans possit applicare pro suis, vel teneatur applicare facere pro Populo summum Sacrum?

5. Ecclesia Seminarii Ruremundensis, quae quamvis Parochialis non sit, tamen omnibus patet fidelibus, quaeque Titularem Patronum habet Sanctum Carolum Borromaeum; petitur num Festum hujus Sancti quarta Novembris die, per modum Festi Patronalis sub ritu duplicis primae Classis cum Octava a Praeside, Professoribus, atque Alumnis Seminarium inhabitantibus celebrari possit, ac valeat, et inter suffragia ad Vesperas, et Laudes de eodem Sancto Carolo, ut in Breviario, commemoratio fieri debeat?

Sacra eadem Congregatio ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinario Coetu, omnibus maturo examine perpensis, auditaque a me Secretario fideli relatione rescribendum censuit.

Ad 1. *Sine speciali Indulto non posse.*

Ad 2. *Negative juxta Rubricas.*

Ad 3. *Teneri ad Octavam Titularis Ecclesiae adnexae.*

Ad 4. *Posse, vel per se, vel per alium quin requiratur Missa solemnis.*

Ad 5. *Jam provisum in tertio Dubio. Fieri autem debere commemorationem in Suffragiis ad tramites Rubricae.*

Atque ita rescribere rata est.

Die 27. Februarii 1847.

4927. CAMERINEN.

Canonici Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini in oppido Sanctae Anatoliae intra fines Archidioecesis Camerinen. etsi ab anno 1645. decimosexto Kalendas Octobris ab hac Sacra Rituum Congregatione Decretum impetrarint, ut in Sabbato Sancto primi, etiam ante Matricem Sanctae Anatoliae pulsarent Campanas, quod quidem jus privative ad Collegiatam ipsam spectare tunc definitum fuit; attamen in praesentiarum iteratis precibus Sacram ipsam Congregationem rogarunt enixe, ut declarare dignaretur, an titulus Matricis, non obstante hujusmodi definitione, possit usurpari a praedicta Ecclesia Parochiali Sanctae Anatoliae? Quas quidem preces quum R. P. D. Secretarius subscriptus retulerit in Ordinario Coetu Sacrorum Rituum Congregationis hodierna die ad Quirinale habito, Sacra ipsa Congregatio rescribendum censuit: *Etiamsi Parochiali Ecclesiae Sanctae Anataliae titulus Matricis; juxta tamen Consti-*

*tutionem sa: me: Leonis Papae X. et alias decreta jus pulsandi Campanas Sabato Sancto competere ad Ecclesiam digniorem nempe Collegiatam.*
Atque ita rescripsit.
Die 27. Februarii 1847.

4928. LIMBURGEN.

Sibi commissae Dioecesis Visitationem instituens Reverendissimus Limburgen. Episcopus, quamplurium invenit Altarium Sepulchra, in quibus Sacrae Reliquiae vel aperte jacebant, adeo ut de earum authenticitate ob defectum tum Sigillorum, tum Litterarum Testimonialium non constat, vel nullae erant Reliquiae Sanctorum, ac proinde ex Ecclesiasticis Legibus super iisdem Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrari nequit. Cui quidem malo pro viribus occurrere exoptans idem Reverendissimus Episcopus, jam pro Sacrarum Reliquiarum impetratione supplicavit enixe, sed interim Sacram Rituum Congrégationem rogavit, ut indulgere dignaretur, quod super iisdem celebretur. Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente me Secretario, benigne annuit pro extensione Indulti Episcopo Nannetensi concessi sub die 15. Januarii vertentis anni, nimirum quemcumque sanans defectum, concessit ut super hujusmodi Aris celebretur donec novae apponantur Sanctorum Reliquiae.
Die 27. Februarii 1847.

4929. LIMBURGEN.

Quum praesenti anno 1847. Festum Sancti Marci occurrat Dominica tertia post Pascha Resurrectionis, in qua reponi debet Festum ad Populum cum Missa Sancti Georgii Martyris Patroni integrae Limburgen. Dioecesis, hodiernus Cathedralis illius Vicarius, et Kalendarii Director Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia proposuit, ut in hujusmodi occurrentia certa praescribatur Regula pro celebratione Sacrosancti Missae Sacrificii. Dubia autem sunt ut infra, nimirum

1. Quaenam Missa, num de Rogationibus, num de Sancto Georgio, an de Sancto Marco hac Dominica celebranda sit in iis Ecclesiis, in quibus uno vel duo tantum sunt Sacerdotes celebrantes?

2. Quaenam in iis Ecclesiis, quarum Patronus Sanctus Marcus existit?

3. Quomodo in utroque casu Missa quoad commemorationes ordinanda sit?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente me Secretario rescribendum censuit.

Ad 1. *Juxta alias Decreta Missa de Titulari, cum commemoratione Rogationum.*

Ad 2. *Ut ad primum.*

Ad 3. *Commemoratio de Rogationibus fit cum Oratione diei sub unica conclusione.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.
Die 27. Februarii 1847.

4930. VERULAN.

Sacerdos Antonius Colantonj, qui in Cathedrali Verulana Ecclesia in praesentiarum Canonici Sacristae munere fungitur, quum adverterit in Cathedrali ipsa consuetudinem vigere ut in Missis de Requiem, quae celebrantur cum cantu, omittatur in Choro Sequentia - *Dies irae dies illa* - et ejus loco decantatur Versus - *Absolve* - Sacrorum Rituum Congregationem supplex adivit,

enixeque rogavit ut declarare dignaretur num servare adhuc liceat invectam hujusmodi consuetudinem, quamvis praxi, et Decretis alias editis ipsa opponatur? Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente me subscripto Secretario, respondendum censuit: *Juxta alias Decreta in casu canendum Versum* - Absolve - *et Sequentiam* - Dies irae dies illa. -

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 27. Februarii 1847.

4931. SANCTIMONIALIUM CONGREGATIONIS SANCTISSIMAE CRUCIS, ET PASSIONIS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI.

Sanctimoniales Congregationis Sanctissimae Crucis, et Passionis Domini Nostri Iesu Christi in Asceterio Corneti erecto degentes, quum Sacrorum Rituum Congregationem enixe rogarint ut super sequentibus Dubiis sententiam suam aperire dignaretur, ne in ordinandis Divinis Officiis quidquam perperam agant, nimirum

1. Occurrente Officio Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi die XIX. Martii sacra Sancto Josepho Beatae Mariae Virginis Sponso, de quo tenentur Sanctimoniales recitare, nam utrumque Officium gaudet ritu duplicis primae Classis?

2. Occurrente in Solemnitate Ascensionis Domini aliquo Officio ritus duplicis, vel semiduplicis, quod ad anni exitum reponi nequeat, an de hoc Officio praeter commemorationem in utrisque Vesperis Laudibus et Missa, apponi etiam debeat IX. Lectio historica ex duobus, vel tribus una?

3. An ad ritum simplicem cum commemoratione in utrisque Vesperis, Laudibus, ac Missa et cum IX. Lectione historica, quoties ex Rubricis locum habere potest, in diebus propriis redigenda omnino sint duplicia, vel semiduplicia Officia, quae ad anni exitum reponi nequeunt?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente me subscripto Secretario, rescribendum censuit

Ad 1. *Juxta alias decreta agendum in casu de Sancto Josepho, translato altero Officio ad primam non impeditam diem, sed intra Quadragesimam.*

Ad 2. *Affirmative juxta alias decreta.*

Ad 3. *Affirmative, ut ad proximum.*

Atque ita servari mandavit.

Die 27. Februarii 1847.

4932. SENEN.

Quum Sacerdos Galganus Giuliotti Metropolitanae Ecclesiae Senensis Canonicus Sacrorum Rituum Congregationis sententiam requisierit super sequentibus Dubiis, nimirum

1. Se una volta che sia accordato ai Canonici della Metropolitana l' uso della Mitra senza restrizione possano questi Canonici far uso della Mitra istessa, e portarla nelle Processioni, ed allorchè uno di essi fà la funzione, ed ha indossato il Pluviale, ancorchè porti la Reliquia di qualche Santo?

2. Se alla solenne Processione del *Corpus Domini* essendo tutti i Canonici vestiti pontificalmente o con Pluviale, o con Pianeta, o con Dalmatica precedendo il Baldacchino sotto il quale vi sono i Ministri, ed il Celebrante portante il Santissimo Sacramento, possano e debbano i Canonici Mitrati, che

precedano il Baldacchino portare in capo la Mitra, ovvero la Mitra la debba portare in mano un Chierico, che gli stia a fianco?

3. S'essendo accordato ai Canonici il privilegio della Bugia, anche nelle Messe lette possano far tenere la stessa Bugia o al Ceremoniere, o ad un Chierico con Cotta, oltre al Chierico, che serve la Messa, quando l'altro Chierico destinato a tener la Bugia sia addetto esclusivamente ad essa senza che s'interessi del servizio della Messa, al quale l'altro Chierico è destinato, così che uno serva esclusivamente la Messa, e l'altro la Bugia, in caso che tener non la possa il Cameriere, conforme pare che si rilevi da una risposta data su tal proposito da Benedetto XIV., e conforme un Ceremoniere di Palazzo assicurò nel 1839. rispondendo ad un Canonico, che avevalo sù ciò consultato?

4. Se nei giorni in cui la Rubrica vuole che la Messa Conventuale dopo Nona, si possa, o si debba lasciare l'Antifona finale della Madonna *pro tempore*, e cantare immediatamente l'Introito, ovvero si debba prima dire il *Pater noster secreto*, l'Antifona corrente, e dopo l'Orazione di essa ch'è il compimento della Divina Salmodia, e quindi si debba incominciare a cantare la Messa?

Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, audita relatione a me subscripto Secretario facta, rescribendum censuit

Ad 1. *Mitrae usum in casu cohibendum ad tramites Constitutionis sa: me: Pii Papae VII. - Decet Romanos Pontifices. -*

Ad 2. *Posse per se deferre manu sine ullo Ministro.*

Ad 3. *Posse a solo Clerico Superpelliceo induto.*

Ad 4. *Nihil dicendum, sed immediate post Versum* - Benedicamus Domino - *Missam inchoandam.*

Atque ita rescripsit.

Die 27. Februarii 1847.

4933. PISTORIEN.

In Cathedralis Pistoriensi Ecclesia alia extat Ecclesia subterranea in Apside, ad quam accessus patet ex ipsa Cathedrali. Quum vero in hoc subterranea Ecclesia, quae est prima Civitatis Paroecia bis in anno solemni Expositio Sanctissimi Sacramenti in forma Quadraginta Horarum locum habeat Sacerdos Aloysius Agostini Sacrorum Rituum Congregationem enixe rogavit, ut formiter declarare dignaretur

1. An perdurante memorata Expositione Sanctissimi Sacramenti in praedicta Ecclesia subterranea, ad Cathedralem associari possint Cadavera Defunctorum, pro ipsis Exequiae institui cum Missa de Requiem, ac tandem in semiduplicibus institui Anniversaria cum eadem Missa de Requiem?

2. An Missis Officii occurrentis, quae in Cathedrali celebrantur, addi possit commemoratio Sanctissimi Sacramenti, etsi Capitulum in Choro ob nimiam distantiam ab Expositione Sanctissimi Sacramenti sedeat capite cooperto?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, audita relatione a me Secretario facta, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit: *In casu utrumque fieri posse, attamen servatis Rubricis.*

Die 27. Februarii 1847.

4934. PISTORIEN.

Quum pridie Nonas Januarii Anniversarium occurrat dedicationis Parochialis Ecclesiae Deo in honorem Sancti Andreae Apostoli Pistoriensi in Civitate dicata, Sacerdos Aloysius Petrocchi Sacrorum Rituum Congregationem humillime rogavit ut declarare dignaretur num ratione solemnitatis, qua istud dedicationis Festum instituitur, in utrisque Vesperis, Laudibus, et Missa omitti possit commemoratio diei octavae Sanctorum Innocentium Martyrum?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Quirinales Aedes hodierna die coadunata, me subscripto Secretario referente, respondendum censuit: *Juxta Rubricas et alia Decreta faciendam esse expressam Commemorationem.*

Atque ita rescribere rata est, ac declarare.

Die 27. Februarii 1847.

4935. COLLEN.

Quum usque ab anno 1671. duodecimo Kalendas Julii sa: me: Clemens Papa X. Capitulo Cathedralis Ecclesiae Collensi indulserit, ut singulis intra annum Feriis sextis non impeditis persolveretur extra Quadragesimam, Adventum, Feriasque privilegiatas Officium votivum Sanctissimae Crucis in honorem unius ex Clavis, quibus humani generis Redemptor Iesus fuit Cruci affixus, qui in Cathedrali ipsa uti fertur, asservatur; non eadem semper servata fuit uniformis praxis quoad hujusmodi votivi Officii designationem; interdum enim actum est de Sanctissima Cruce in omnibus Feriis sextis, queis nullum occurrebat Officium novum Lectionum, interdum etiam translatis cessit duplicibus, et semiduplicibus, quamquam Sacra Rituum Congregatio decimoquinto Kalendas Inlii 1684. declararit hujusmodi translatis duplicibus, et semiduplicibus praeferendum Officium istud votivum. Verum quum dubitetur adhuc an posteriora generalia Decreta, ac praesertim illud latum decimo tertio Kalendas Aprilis anni 1706. abrogarit particulares concessiones, et declarationes; hinc pro parte ipsius Cathedralis Ecclesiae Capituli iteratis precibus Sacrorum Ritum Congregationi supplicatum est, ut super duobus sequentibus Dubiis mentem suam aperire dignaretur, nimirum

1. Utrum baec posteriora Decreta abrogarint, atque deleverint omnes particulares concessiones aliquibus Dioecesibus, vel Ecclesiis antea factas? Et quatenus affirmative.

2. An Officium votivum Sanctissimae Crucis in praedicta Cathedrali Ecclesia Collensi locum habere debeat extra Adventum, Quadragesimam, Ferias, Vigilias, Octavasque privilegiatas in omnibus Feriis sextis tantum non impeditis Festo novem Lectionem occurrente, non vero translato, ut antea moris erat, vel in utroque casu, ut in praesenti tempore agitur?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, maturo, diligentique examine omnibus de more perpensis, auditaque ab R. P. D. infrascripto Secretario fideli relatione, respondendum censuit

Ad 1. *Affirmative.*

Ad 2. *Locum habere non posse, quando reponendum est Officium translatum juxta Generalia Decreta.*

Atque ita rescribere rata est, ac declarare.

Die 27. Februarii 1847.

4936. VIGLEVANEN.

Sacerdos Marcellinus Nebbia Episcopalis Curiae Viglevanen. Cancellarius quum rogatus fuerit a quodam illius Dioecesis ut super sequentibus Dubiis Sacrorum Rituum Congregationis sententiam exquireret, Dubia ipsa proposuit pro opportuna declaratione, nimirum

1. An in forma absolutionis ante verba - *Ego te absolvo a peccatis tuis* - dicendum sit, vel omittendum verbum - *Deinde* -

2. Quum in Rituali Romano in eadem absolutionis forma legatur - *In confessionibus autem frequentioribus et brevioribus omitti potest* - Misereatur - *et satis erit dicere* - Dominus noster Iesus Christus - *usque ad illud* - Passio Domini - quaeritur an sit intelligendum exclusive, vel inclusive?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subscripta die coadunata in Ordinario Coetu audita relatione a me subscripto Secretario facta, ac memor usque ab anno 1837. sub die 11. Martii in una Veronen. ad Dubium propositum hisce sub terminis - *Utrum in forma absolutionis verbum* - Deinde - *in nonnullis editionibus rubro charactere impressum, omittendum sit?* - post auditam etiam Sacrae Universalis Inquisitionis Congregationem sancitum fuisse - *Nihil innovandum* - rescribendum censuit

Ad 1. *Detur Decretum in Veronen. diei* 11. *Martii* 1837.

Ad 2. *Intelligendum exclusive.*

Atque ita rescribere rata est, et declarare.

Die 27. Februarii 1847.

4937. URBIS ET ORBIS.

Inclytus Patriarcha Joseph, quem Omnipotens Pater singularibus gratiis auxit, ac charismatibus coelestibus abunde cumulavit, ut Unigeniti Filii sui putativus Pater esset, ac verus Sponsus Reginae Mundi et Dominae Angelorum, tam sublimis electionis partes omnes, muniaque adeo perfecte explevit, ut boni, fidelisque Servi encomium meruerit, et praemia. Etenim memor semper praecellentis dignitatis suae, ac sanctitatis nobilium officiorum, queis a Divina Sapientia praeficiebatur, ipsius Dei consiliis et voluntati alacritate propemodum inenarrabili in omnibus indesinenter paruit, placensque Deo factus est dilectus, donec gloria et honore coronatus in Coelis, novum susciperet officium, nimirum ut copiosis meritis, et orationis suffragio miserrimae subveniret hominum conditioni, atque validissima intercessione, quae possibilitas humana obtinere nequit, Mundo impetraret. Hinc passim misericors veneratur ad Deum Mediator, efficaxque Patronus, ejusque Patrocinii Festum cum Officio ac Missa longe lateque instituitur Dominica tertia, quae a Paschalibus gaudiis occurrit. Verum quod unum adhuc exoptandum supererat, nimirum ut Officium Patrocinii Sancti Joseph de praecepto ad universalem extenderetur Ecclesiam, id Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Constantinus Patrizj a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX. humillimis precibus proprio, et aliorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, ac quamplurium, etiam exterorum Fidelium nomine porrectis, enixe imploravit. Quas quidem preces apprime conformes singulari pietati suae erga Sanctum Josephum, Apostolica Benignitate excipiens Sanctissimus idem Dominus, referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, benigne in omnibus annuit, praecepitque ut deinceps ab utroque Clero Urbis et Orbis sub ritu duplicis secundae Classis persolvatur Officium proprium cum Missa Patrocinii

Sancti Joseph Dominica tertia post Pascha, qua impedita alio Officio potioris ritus, vel majoris dignitatis, indulsit, ut Officium Patrocinii Sancti Joseph transferatur ad primam diem liberam juxta Rubricas. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 10. Septembris 1847.

4938. ATREBATEN.

Paucis ab hinc annis mos invaluit in Gallis telas sericas vitreas texendi, quibus Vestes Ecclesiasticae Sacrificio Missae aliisque Divinis Officiis inservientes conficiuntur. Earum textura ex gossypio, aut simili materia solida componitur, cui superimposita sunt filamenta serica, et vitrea, quae aurea certe dici valerent, si ex vitro lux auro simillima produci posset: vitrum enim in filamenta subtilissima redactum inseritur filis sericis eodem ferme pacto, quo filamenta aurea, vel argentea inseruntur telis aureis, vel argenteis nuncupatis, vel etiam ad modum operis phrygii disponuntur super telam eadem filamenta. Quum autem haec facili negotio in minutissimas partes frangi possint, et delabi in Calicem cum probabili periculo valetudinis illius Sacerdotis, qui has partes cum Iesu Christi Sanguine deglutiat, Eminentissimus et Reverendissimus Dominis Cardinalius Hugo Robertus De-la Tour d'Auvergne Lauraguais Episcopus Atrabatensis Sacrorum Rituum Congregationi humillime sequens proposuit Dubium enodandum, nimirum - An licitum sit ad celebrandam Missam, ornamentis uti, quorum textura vitrea est mixta auro, vel argento? - Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinales Aedes subscripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, audita relatione ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinale Constantino Patrizj Urbis Vicario facta, riteque consideratis iis, quae ab exquisito Voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris praelo cuso exponuntur rescribendum censuit: *In Voto Magistri Caeremoniarum,* seu *Negative* ad propositum Dubium, propterea que praedictis ornamentis uti non licet.

Die 11. Septembris 1847.

4939. RAVENNATEN.

Simulac R. D. Sanctes Valli Metropolitanae Ecclesia Ravennatensis Archipresbyter illius Paroeciae curam animarum exercere assumpsit, quaestiones circa praecedentiam sustinuit, et privilegia nonnulla super caeteros Parochos illius Civitatis sibi assumebat dum aliqua in Ecclesia conveniebant ad Funera, aliasque Functiones sacras pro instituto adimplendas, Sacrorumque Rituum Congregationem super re praemonuit, exhibito etiam alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris Voto. In controversiis vero quum necesse sit, ut utraque Pars sua asserat jura, atque una, dum inter Ecclesiae Ministros malo fato excitantur, necessarium ducunt Reverendissimum Antistitem audire; idcirco prima propositio sine propositione haesit in eodem statu, locumque haec omnia habuere Archipresbytero praemortuo, qui Successorem Parochum R. D. Joachim Bezzi reliquit suarum controversiarum assertorem, praesertim quum ex Indulto sa: me: Gregorii Papae XVI. inter Canonicos ejusdem Metropolitanae Ecclesiae adlectus est. Impetrata propterea Informatione Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Archiepiscopi Ravennatensis, qui in scriptis Parochos super iisdem controversiis audivit, prolato Voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris; quae in Ordinario Coetu ad Quirinales Aedes coacto tertio Kalendas Martii anno vertente, audita relatione ab Eminentissi-

mo, et Reverendissimo Domino Cardinale Josepho Mezzofanti Ponente, quum probe animadverteret non satis convenire sententias ab utroque Caeremoniarum Magistro expositas, satius duxit rescribere: - *Dilata, et scribat alter Caeremoniarum Magister communicato utroque Voto.* - Dubia autem super exortis controversiis inter Canonicum Parochum Metropolitanae, caeterosque Civitatis Parochos concordata haec sunt, nimirum

1. An Canonicus Parochus Ecclesiae Metropolitanae Ravennatensis quum Conventui Parochorum interest, jus habeat sedendi in distincto subsellio, seu potius sedere debeat in alio loco juxta ordinem antianitatis?

2. Quibus vestibus ipse uti debeat in casu?

Super hisce itaque Dubiis tertia jam vice exquisito Magistri Caeremoniarum Voto, Sacra Congregatio ad relationem ejusdem Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Josephi Mezzofanti in Ordinariis Comitiis ad easdem Quirinales Aedes subscripta die coadunata, omnibus rite examinatis, riteque perpensis, quum certo nosceret a Saeculis Conventum hunc Parochorum jure existere, suasque Constitutiones a sa: me: Julio Papa II. debito modo fuisse firmatas, neque ad praedictum Conventum associari quisquis Parochus actu existit, sed necessarium esse, ut per preces admissionem assequatur, discussis, libratisque omnibus ex utraque Parte allegatis exhibitis, rescribendum censuit

Ad 1. *Negative quoad primam partem: affirmative quoad secundam.*

Ad 2. *Servandas esse Constitutiones.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 11. Septembris 1847.

4940. ALBEN.

Quum Reverendissimus Alben. Episcopus in sua Dioecesi repererit consuetudinem ut in Missa Praesanctificatorum Feria sexta in Parasceve inter caeteras Orationes decantetur peculiaris Oratio pro Episcopo, et alia particularis Oratio pro Rege, substituatur illi pro Imperatore in Missali apposita, quarum exemplar proposuit pro opportuna adprobatione, ac Apostolica venia, de qua nulla reperitur vestigium nec penes alias Pedomontanas Dioeceses, in quibus eamdem consuetudinem vigere arbitratur. Memorati Episcopi preces quum propositae fuerint in Ordinariis Comitiis Sacrorum Rituum Congregationis ad Quirinale habitis die 27. Februarii hoc ipso vertente anno rescriptum fuit - *Dilata, et interim scribatur Apostolico Nuncio ad Mentem.* - Mentem itaque Sacrae Congregationis exequens Reverendissimus Tarsen. Archiepiscopus Apostolicus Nuncius in Pedemonte, curam omnem impendere solemne habuit, ut investigaret num revera in Dioecesibus Pedemontanis hujusmodi consuetudo vigeat, ac ingenue Sacram Congregationem certiorem reddidit in nulla prorsus Pedemontana Dioecesi assertam consuetudinem locum habere, quae si in aliquibus ruralibus Ecclesiis Parochialibus invaluit, nulla quidem neque Apostolica, neque Episcopalis intercessit concessio. Iterum quocirca per me infrascriptum Secretarium super omnibus instituta relatione in novis Ordinariis Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis; Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, rescribendum censuerunt: *Nihil innovetur in Oratione pro Rege; quoad vero Orationem pro Episcopo negative.*

Atque ita rescripserunt, ac servandum omnino mandarunt.

Die 11. Septembris 1847.

4941. ANGELOPOLITAN.

Quum Sacerdos Florentius Ruiz Magistri Caeremoniarum in Cathedrali Angelopolitan. Ecclesia munere fungens, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuerit, nimirum

1. Per Decretum Sacrorum Rituum Congregationis datum die 27. Maji de anno 1826. prohibitum fuit deferre sub Baldachino Reliquias et Imagines Sanctorum, quia usus Baldachini debetur tantum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento: quaeritur an in enunciata prohibitione comprehendatur etiam Episcopus dum Paroecias visitat, et Monasteria?

2. In Cathedrali Angelopolitana Ecclesia interdum in Dominicis solemniter Matutinum persolvitur, et ad occasum solis, et ultra perducitur, ac recitata Antiphona finali temporis, Canonici et reliqui de Choro ex antiqua consuetudine remanent genuflexi recitantes Orationes noctis, scilicet - *Angelus Domini* - quaeritur an sic manere debeant, vel potius stando eamdem Orationem recitare?

3. An assumenda omnino sit Stola ad private dicendum Responsum pro defunctis?

4. An sit omnino necessarium assumere Stolam dum in Dominicis Aspersio Aquae benedictae fit sine Pluviali?

5. Dum a Celebrante legitur Oratio Communio dicta, Canonici, ac reliqui de Choro ex antiqua consuetudine stant: quaeritur, an stare debeant, vel potius sedere?

6. An retinenda, vel potius eliminanda sit consuetudo pulsandi tantum Organum ad respondendum dum in Missa cantatur - *Ite Missa est?* -

7. An in Processionibus, quae intra Ecclesiam cum Sanctissimo Sacramento fieri assolent, liceat erigere Altare portatile, quamvis super Sepulchris sistat, ut in eo reponi tantisper valeat Sanctissimum Sacramentum dum aliqua Stropha, vel Oratio canitur?

8. An Sacerdos caecutiens, vel visus tenuitate laborans, habensque facultatem celebrandi Missam Votivam Beatae Mariae Virginis teneatur in Festis ipsius Deiparae celebrare Missam de Festo occurrente, vel potius Votivam sine Gloria, exceptis Sabbatis, et sine Credo?

9. An Episcopus assistens Missae solemni, dum Subdiaconus ei porrigit Ampullam aquae, debeat omnino recitare Orationem - *Deus, qui humanae substantiae* - vel satis sit, ut efformet signum crucis super oblatam Ampullam?

10. A Rituali Mexicano praescribitur quod Parochus Sacrum Viaticum infirmo collaturus, prius quam illud conferat, de fide aegroti sciscitetur per quamdam Fidei professionem, quae ibi sicut in Toletano, continetur: quaestio est, an sumpta semel Eucharistia per modum Viatici, si aegrotus diutino letali morbo laborans rursus et iterum poscat Sanctissimo Sacramento refici, teneatur Parochus singulis vicibus praedictam Fidei professionem expetere vel possit illam omittere, conferendo tantum per verba - *Accipe, frater, Viaticum?* -

11. An in expositione Sanctissimi Sacramenti extra Missam Diaconus solus possit vicem gerere Sacerdotis in exponendo, et recondendo, cumque Sanctissimo Sacramento benedicere Populo antequam Ostensorium in Sacrario reponat?

12. An Diaconus cum Pluviali possit cadavera comitari, ac de licentia Parochi benedicere Sepulturam?

13. An in Ecclesiis minoribus, ubi extra Octavam celebratur Festum Sanctissimi Corporis Christi, Missa esse debeat de Festo occurrente cum commemoratione Sanctissimi Sacramenti, vel Missa de infra Octavam Sanctissimi Corporis Christi cum unica Oratione, *Gloria*, *Credo*, et Praefatione de Nativitate?

14. An Sacerdotes uti possint omnibus privilegiis etiam si nunc usque non usitatis, prout habentur in Bulla - *Ad hoc nos Deus* - Sancti Pii Quinti diei 17. Decembris 1570. inserta ad caput Missalis Romani, ita ut ex: gr: possint Calicem cum Vino, et Aqua praeparare in Altare ante initium Missae?

15. An Festum Sancti Patroni, quod ex dispositione sa: me: Gregorii Papae XVI. transferri debet ad Dominicam proxime sequentem, si haec Dominica praepedita sit, amandari possit ad aliam insequentem Dominicam, vel die propria celebrandum?

16. An Decreta Sacrorum Rituum Congregationis dum eduntur derogent cuicumque contrariae invectae consuetudini etiam immemorabili, et in casu affirmativo obligent etiam quoad conscientiam?

17. Quum Sacrista Presbyter Superpelliceo, et Stola indutus adstet Canonico solemniter celebranti, dum in Ostensorio reponitur Hostia pro renovatione et expositione Sanctissimi Sacramenti, poterit ne Diaconus hoc in casu manere ad sinistram Celebrantis, eo quod idem Sacrista eo tempore ejus vices gerat, aut necesse est ut veniat ad cornu Epistolae nil ibi facturus?

18. An in diebus semiduplicibus possint cum cantu celebrari duae Missae votivae de eodem Sancto?

Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, post diligens cujuscumque Dubii examen, ad relationem mei subscripti Secretarii respondendum censuit

Ad 1. *Intelligendum de Reliquiis: quoad Episcopum servetur Caeremoniale.*

Ad 2. *Juxta concessionem pro lucrandis Indulgentiis.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Affirmative.*

Ad 5. *In casu esse sedendum.*

Ad 6. *Servari posse.*

Ad 7. *Cavendum ne Altare portatile Sepulchro immineat.*

Ad 8. *Non teneri ad Missam Festi.*

Ad 9. *Dicendam esse orationem.*

Ad 10. *Standum esse peculiari dispositioni.*

Ad 11. *In exponendo tantum, et recondendo Sanctissimo Sacramento.*

Ad 12. *Negative.*

Ad 13. *De Festo occurrente, nisi habeatur Indultum.*

Ad 14. *Negative, sed quoad illa servandam consuetudinem.*

Ad 15. *Transferendum cum Missa tantum ad alteram Dominicam non impeditam.*

Ad 16. *Affirmative, sed recurrendum in particulari.*

Ad 17. *Esse officium Diaconi, et non Sacristae.*

Ad 18. *Negative juxta alias decreta.*

Atque ita rescribere rata est, et declarare. Die 11. Septembris 1847.

4942. BLESEN.

Quum Reverendissimus Blesen. Episcopus Sacrorum Rituum Congregationi exposuerit quod in sua Blesensi Dioecesi, sicut in quibusdam aliis Galliarum Dioecesibus consuetudo invaluit ubi desunt Diaconi, et Subdiaconi pro Caeremoniis Missarum Solemnium duos Laicos sive juvenes sive uxoratos induendi Vestibus sacris, nimirum Amictu, Alba, Cingulo, Tunica, vel Dalmatica, numquam tamen Stola, et Manipulo per Missam majorem, quorum alter Diaconi munere fungi, alter Subdiaconi ministerium adimplere censetur, quin tamen aliquam functionem ad hos Sacros Ordines pertinentem obeant; nam Celebranti tantum assistunt, ut inde major sit Missae majoris solemnitas; ac proinde idem Episcopus Sacram ipsam Congregationem requisierit, an invectam hanc consuetudinem conservare, vel potius de medio tollere debeat? Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi ad Quirinale subsignata die coadunati in Ordinariis Comitiis, post auditam a me Secretario fidelem relationem, rescribendum censuerunt: *Consuetudo tamquam abusum omnino eliminanda, et in casu Missa cantetur per solum Presbyterum.*

Atque ita servandum mandarunt.

Die 11. Settembris 1847.

4943. EUGUBIN.

In Oppido vulgo Fratta intra fines Dioecesis Eugubinae duae erectae sunt Sodalitates, altera a bona Morte dicta, altera in ipsa Parochiali Ecclesia instituta Sanctorum Crispini, et Crispiniani Martyrum nuncupata, ac utraque mense Novembri Octiduum in levamen Animarum, quae piacularibus addictae flammis in Purgatorio cremantur, instituere assolet. Verum ne in una eademque Functione peragenda convenirent, antiquitus erat in more positum, ut Sodalitas bonae Mortis proprium memoratum Octiduum institueret a die prima ad diem octavam Novembris, et die nona Mensis ipsius inciperet illud Sodalitatis Sanctorum Martyrum Crispini, et Crispiniani utpote recentioris erectionis. Ast quum novissimis temporibus Sodalitas Sanctorum Crispini, et Crispiniani inceperit iisdem diebus, queis a Sodalitate bonae mortis Octiduum ducitur, proprias pro defunctis preces instituere; attamen summo mane; Reverendissimus Episcopus renuit immutationem hujusmodi confirmare, ac permittere; proindeque praescripsit ut juxta pristinum morem Sodalitas Sanctorum Crispini, et Crispiniani quinto Idus Novembris proprio Octiduo initium daret, ac per Parochum enunciatae Ecclesiae Functiones exercerentur, vel saltem per alio Sacerdotes ab ipso Parocho deligendos. Utrumque praeceptum a Reverendissimo Eugubino Episcopo injunctum aegre adeo tulerunt Director et Priores Sodalitatis Sanctorum Crispini, et Crispiniani, ut Sacrae hujus Rituum Congregationis sententiam pariter, et auctoritatem implorarint. Eorum vero preces pro opportuna Informatione cum Voto transmissae fuerunt eidem Reverendissimo Episcopo, qui iteratis Litteris ingenue fatetur se justissimis de caussis inhibuisse simultaneam quoad dies utriusque Octidui celebrationem, ac insimul exposuit quod etsi interdum reapse Functiones Sodalitatis expleverint Aeditui, id tamen factum est ex Parochi annuentia, ac venia; nam quum in Parochiali Ecclesia instituta sit Sodalitas Sanctorum Crispini, et Crispiniani, aequum videtur ut Parochus per se, vel per delectos a se Sacerdotes etiam Sodalitatis Functiones expleat. Super quibus omnibus per me subscriptum Secretarium fideli instituta relatione in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Quirinale hodierna die

habitis, Eminentissimi et Reverendissimi Patres eidem Congregationi praepositi, omnibus maturo, diligentique examine perpensis rescribendum censuerunt: *Servetur Decretum Episcopi, et praecedens Sodalitatis consuetudo, quoad celebrationem Octidui: quoad vero Functiones, juxta alias decreta hac peragantur vel a Capellano, vel ab aliis Sacerdotibus a Confratribus Sodalitatis electis.*

Atque ita rescripserunt, ac servandum omnino mandarunt.

Die 11. Septembris 1847.

4944. ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Quum non una sit Auctorum sententia, nec eadem Ecclesiae praxis quoad incensationem Sanctissimi Sacramenti dum Populo cum ipso impertitur benedictio, R. P. Fr. Paschalis a Platea Branculi Sacerdos Ordinis Minorum de Observantia in Ferrariensi Coenobio Caeremoniarum Magister Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum

1. Num utraque Auctorum sententia, videlicet eorum qui affirmant, et eorum, qui denegant talem thurificationem adhibendam, tuto teneri possit?

2. Num, quatenus respondeatur in sensu eorum, qui affirmant, incensatio isthaec fieri possit per simplicem Clericum, vel per Laicum veste talari, et superpelliceo indutum, vel absque memoratis indumentis?

3. Quatenus respondeatur in casu denegantium, an usus, sive consuetudo incensandi, ubi viget, sit a medio tollendus?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis post auditam a me Secretario fidelem relationem, quin quidquam directe propositis Dubiis responderet, rescribendum censuit: *Servetur Rituale Romanum.*

Die 11. Septembris 1847.

4945. PAMPILONEN.

Quum Reverendissimus Pampilonen. Episcopus in praesentiarum etiam Apostolicus Administrator Archidioecesis Burgensis, compererit inter Directores sacrarum Functionum in Hispania diversas vigere opiniones circa continuationem Octavarum, quae alicubi locum habent, dum supervenit Solemnitas Sanctissimi Corporis Christi, ac aliis pro viribus sustinentibus cessandum omnino ab aliis Octavis superveniente Festo cum Octava Sanctissimi Corporis Christi, contradicant qui protuentur sententiam intra eamdem Octavam Sanctissimi Corporis Christi locum habere debere inchoatas alias Octavas, pastoralis sui muneris esse duxit Sacrorum Rituum Congregationem rogare ut super proposita controversia definitivam sententiam suam producere dignaretur ad exoptatam uniformitatem assequendam, eo vel magis quia utraque pars suam communiat sententiam Decretis alias datis a Sacra ipsa Rituum Congregatione, non attendentes Decreta ipsa justissimis de causis data fuisse prout necessitas, vel particulares circumstantiae exigere videbantur. Religiosissimi memorati Pampilonensis Antistitis pium studium quammaxime commendantes Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, post auditam ab R. P. D. infrascripto Secretario fidelem relationem eorum omnium, quae ab eodem Episcopo enunciabantur, ac diligens de more examen singularum rationum, quae Sacram Congregationem alias adduxere ad edendas diversas in casu responsiones, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunati rescribendum

censuerunt: *Serventur Rubricae, et Decreta, seu abrumpendas esse Octavas solum quando Festum Sanctissimi Corporis Christi privilegio gaudet ad instar Epiphaniae.*

Atque ita rescripsere, ac servandum mandarunt.

Die 11. Septembris 1847.

4946. PATAVIN.

Reverendissimus Patavin. Episcopus quum ab aliquibus Dioecesis suae Sacerdotibus de sententia requisitus fuerit quoad aliquas consuetudines in sibi commissa Dioecesi vigentes, noluit mentem suam aperire antequam hujus Sacrae Rituum Congregationis declarationem exciperet super sequentibus a se propositis Dubiis, nimirum

1. Quaeritur an Confessarii in Ecclesia Cathedrali in actu Confessionum assumere debeant Stolam, qua non utuntur?

2. An in funerum associatione Mansionarii Curati, vel alii pro iis, Stolam deferre debeant, quam non gestant?

3. Quum a sa: me: Benedicto Papa XIII. olim Episcopo Patavino istius Cathedralis Canonici electi fuerit in honorem Participantium, quaeritur an iisdem liceat perseverare in extraordinario privilegio ante Missae celebrationem sumendi ex mensa Altaris Paramenta Sacra, queis induantur?

4. An Cadavera Canonicorum, qui domicilium habebant in aliis Paroeciis extra Cathedralem, ad ipsam Cathedralem transferenda sint?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis post auditam a R. P. D. subscripto Secretario fidelem relationem, propositis Dubiis diligenti de more examine perpensis rescribendum censuit

Ad 1. *Affirmative juxta alias decreta.*

Ad 2. *Affirmative ad formam Ritualis, sed unus tantum, qui vices Parochi gerat.*

Ad 3. *Afferatur Breve Benedicti Papae XIII.*

Ad 4. *Eidem Episcopo, qui doceat de consuetudine hucusque servata.*

Atque ita rescribere rata est, et respondere.

Die 11. Septembris 1847.

4947. SENEN.

Dum tertio Kalendas Martii hoc ipso vertente anno in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis expendebantur preces Sacerdotis Aloisii Ballati Decani, ac primae Dignitatis Capituli Metropolitan. Senensis Ecclesiae, queis exquirebat, num ipse qui ex Apostolicis Litteris erectionis Decanatus sa: me: Julii Papae II. datis Kalendis Novembris 1510. peculiarem Vestem gestat, nimirum Cappam, seu Capputium more Praelatorum, solus dum Processionibus interest incedere debeat post Capitulum ac alias Dignitates, placuit Eminentissimis, et Reverendissimis Patribus Sacris tuendis Ritibus praepositis nil in re definire quin prius exquireretur Reverendissimi Senen. Archiepiscopi dilucida Informatio cum Voto praesertim super consuetudine praecedentium Dignitatum. Mentem itaque Sacrae Congregationis, qua praestat diligentia, ac religione exequens Senen. Archiepiscopus pastoralis sui muneris esse duxit ingenue enunciare memoratum Decretum suae Metropolitanae ad Dubii tantum solutionem preces suas proposuisse, ac deinceps Sacram Congregationem certiorem reddere consuetudinem semper ibi viguisse ut Decanus sequenti ordine incedat in

quibuscumque supplicationibus. Si binae Dignitates ( quae praeter Decanum numero quinque in Metropolitana ipsa existunt ) vel duo ex antiquioribus Canonicis ob Dignitatum absentiam, postremae sunt, medius inter eas procedit Decanus, si una Dignitas, vel unus antiquior Canonicus supersit, hic sinistram. Decanus vero dexteram tenet. His expositis Votum etiam suum prodere quum ipse Reverendissimus Archiepiscopus adigeretur, minus congruum ac decens evasurum opinatur, quod solus in Processionibus Decanus incedat contra immemorabilem consuetudinem, quae haud perperam introducta censeri debet. Insuper adnotare operae pretium ducit, quod aliquoties Archiepiscopus Processionibus interest post Canonicos Sacris Paramentis indutos, vel si breviores intra Ecclesiam Processiones fiant, post ipsos Chorales Vestes gestantes, ac in utrisque solus semper incedit. Jam vero si in hujusmodi Processionibus postremae lineae trium Dignitatum solus, et absque comite Decanus succedat, et post hunc solus Archiepiscopus, absque dubio admirationi non exiguae locus pateret, neque amplius haberetur praeeminentia illa, quae ex jure Episcopis tribuenda est. Tam dilucidam, ac numeris omnibus absolutam rerum expositionem, cum enunciatis Decani precibus iterato fideliter referens in novo Ordinario Coetu Sacrorum Rituum ad Quirinales Aedes subsignata die coadunato R. P. D. Secretarius subscriptus, Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi in voto fuere. - *Negative, attenta praesertim consuetudine juxta Informationem et Votum Archiepiscopi.* –

Atque ita rescripsere, ac servandum mandarunt.

Die 11. Septembris 1847.

4948. VALENTIN.

Reverendissime D. uti Frater

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. preces Amplitudinis Tuae ad hanc Sacram Rituum Congregationem de more remisit, ut de jure super expositis decerneretur. Expositum vero fuit in Gallia Episcopos nonnullis Sacerdotibus optime meritis indulgere facultatem gestandi eadem insignia, quibus Canonici Cathedralium decorantur, eosque Canonicos Honorarios decernere: Hi autem Sacerdotes etsi Praebendam non consequantur, nec Actis Capitularibus interveniant, jus tamen habent personaliter Choro interessendi quoties illis arriserit, et sedendi post Canonicos Titulares. Post haec Amplitudo Tua expostulabat utrum nec ne sola voluntas Episcopi satis esset ad interdicenda praelaudata Insignia, quando gravis ratio adesset judicio ipsius relinquenda, an potius quaestio ad Forum esset trahenda? Sacra eadem Congregatio ad Quirinales Aedes subscripta die coadunata Ordinariis in Comitiis, audita super expositis plena relatione a R. P. D. Secretario facta, maturo ac diligenti examine adhibito, satius duxit rescribere - *Scribatur particulariter Episcopo juxta Mentem*, - quam quaestionem de jure dirimere. Quamvis enim, et haec fuit Sacrae Congregationis Mens, nulli dubium sit, atque in ipso jure fundatum Episcopos ex se indignos posse ab honoribus, quos contulerint, repellere; quum tamen expoliatio hujusmodi quasi mortem civilem importet, et quamdam infamiae notam Sacerdoti inurat cum non minori certe Populi scandalo, propterea Amplitudo Tua curet ad haec non devenire, nisi quando Sacerdotis indigna conversatio exigat, ut contra illam de more procedere necesse sit ad majora scandala praevenienda. Hanc Sacrae Congregatio-

nis Mentem dum Amplitudini Tuae communico, diuturnam ex animo exopto felicitatem. Romae 11. Septembris 1847.

Reverendissimo D. uti Fr. Episcopo Valentinen.

4949. URBIS

Patriarchalis Basilicae Lateranensis.

Tertio Nonas Februarii hoc ipso vertente anno quum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. indulserit, ut ab utroque Clero Italiae, et Insularum adjacentium sub ritu duplicis minoris Idibus Novembris cum Officio et Missa institueretur Festum Sancti Stanislai Kostka Confessoris, translato ad primam insequentem diem liberam juxta Rubricas, quocumque alio Officio aequalis, vel inferioris ritus, pro Clero Patriarchalis Basilicae Lateranensis, ac pro Clero Urbis removendum foret Officium cum Missa Sancti Nicolai I. Papae Confessoris, quod in Kalendario Lateranensi locum habere non posset, nisi decimo septimo kalendas Januarii, qua quidem die incipiunt Antiphonae majores, ac proinde eo tempore post reformationem Breviarii Romani, nullum assignari assolet, tamquam in sede fixa Officium ritus duplicis, vel semiduplicis. Caeremoniarum itaque Magister memoratae Patriarchalis Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, ut super re certa, indubiaque methodus constituatur, nimirum

1. Utrum in Kalendario Lateranensi, ac etiam in Kalendario Cleri Saecularis Urbis removendum sit Idibus Novembris Officium Sancti Nicolai I. Papae Confessoris, ut collocari valeat Officium Sancti Stanislai Kostka Confessoris?

2. An alterutri ex enunciatis Officiis, tamquam sedes fixa ab Ordinario Lateranensi assignari debeat dies XVII. Decembris? vel utrum Officium Sancti Stanislai in Kalendario Lateranensi anticipari possit Idibus Septembris, quae dies vacua reperitur? vel potius omitti omnino debeat in eodem Kalendario Officium Sancti Stanislai Kostka Confessoris?

Super quibus omnibus quum fidelem instituerit relationem R. P. D. Secretarius infrascriptus in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis, Sacra eadem Congregatio quin propositis Dubiis directe satisfaceret, rescribendum potius censuit - *Pro Clero Patriarchalium ex gratia Officium Sancti Stanislai Kostka Confessoris ponatur in prima die non impedita post Idus Novembris.*

4950. VERONEN.

Sacerdos Ioannes Baptista Biadego Cancellarius Ecclesiae Veronensis Reverendissimi etiam sui Veronensis Episcopi nomine Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia elucidanda proposuit, ut ex germana eorumdem solutione, Sacrae Functiones ac Caeremoniae uniformiter juxta Rubricas procedant. Dubia autem haec sunt

1. Quum in multis Breviariis, et Ritualibus in Litaniis Sanctorum desiderentur preces pro arcendo flagello terraemotus, peste, fame, et bello, quaeritur utrum recitari debeant, et quo loco apponendae?

2. Quum in Sacra Ordinatione Episcopus imponat Ordinando ad Subdiaconatum Amictum in capite, quaeritur utrum illud in capite tenere debeat usque ad finem Orationis, vel super scapulas dimittere, et quando?

3. Quaeritur an preces cum tribus Orationibus praescriptae a Rituali Romano post Processionem pro gratiarum actione, recitari etiam debeant quando cantatur - *Te Deum* - sine processione pro beneficio obtento, vel conclusione

Exercitiorum, vel post Processionem Sanctissimi Corporis Christi, vel sufficiat unica Oratio - *Deus, cujus misericordiae* – omissis precibus, et duabus Orationibus? Et quatenus affirmative, utrum sufficiat Oratio - *Deus, qui in nobis sub Sacramento* - si fiat occasione repositionis Sanctissimi Sacramenti?

4. Utrum in Vesperis Paschae Antiphona - *Haec dies* - cantari debeat ab Hebdomadario, vel ab eo tantum intonari, Choro, vel Cantoribus prosequentibus, stantibus hinc inde Assistentibus, et Ceroferariis cum Cereis, ut ad Capitulum?

5. Num Celebrans, ubi non est obligatio Chori, in Vesperis festivis, vel votivis possit Stolam induere, quum sit veluti praeeminentiae signum in Choro, maxime in Ecclesiis ruralibus?

6. Utrum in secunda, et tertia Missa cantata in die Nativitatis Domini Subdiaconus debeat sustinere Patenam quum ipsa prius superposita fuerit Calici nondum purificato, et reservato in Tabernaculo post primam Missam, vel potius eam relinquere super Corporale, et agere, ut in Missa pro Defunctis?

7. Utrum in Missa Solemni tam de Festo, quam de Requie dum Sequentia cantatur in Choro, eadem submissa voce recitari debeat a solo Celebrante, vel alternatim a Celebrante cum Sacris Ministris?

8. Quoties in Rogationibus, Processio in aliquam ingreditur Ecclesiam, quin ibi Missa celebretur canitur Antiphona de Sancto Titulari: quaeritur cujus coloris debeat esse pallium Altaris, et Conopaeum Sanctissimi Sacramenti, de Festo scilicet, de Rogationibus, vel de Sancto, cujus Antiphona decantatur cum Oratione?

9. Utrum conveniens sit, quod Caeremoniarus, vel Thuriferarius incenset Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum quum Populo benedictio impertitur, uti fit in elevatione Sanctissimi Sacramenti in Missa solemni?

10. Ex consuetudine, vel ex Statuto quaedam Societates Laicales quotannis celebrant Anniversarium pro Defunctis Societatis albo accensitis cum Missa cantata, et Officio: possunt ne celebrare cum cantu Missam de Requiem cum unica Oratione - *Deus veniae largitor?* -

11. Si Missa de Requiem celebretur in Paramentis violaceis, potest ne ministrari Sanctissima Eucharistia per modum Sacramenti, idest cum Particulis praeconsecratis?

12. Num in Missa de Requiem quamvis non osculatur Evangelium, recitari debeant verba - *Per Evangelica dicta?* –

Quae quidem Dubia a R. P. D. Secretario proposita diligenter de more expendens Sacra eadem Congregatio Rituum ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, respondendum censuit

Ad 1. *Affirmative, et ponendas esse post versum* A fulgure, et tempestate.

Ad 2. *Dimittendum super scapulas post impositionem.*

Ad 3. *Extra casum Processionis sufficere Versus* Benedicamus Patrem... Benedictus es..... Domine exaudi, *cum unica Oratione* – Deus, cujus misericordiae.

Ad 4. *Esse ab Hebdomadaro intonandam.*

Ad 5. *Negative juxta alias decreta.*

Ad 6. *Sustinendam esse de more Patenam.*

Ad 7. *A solo Celebrante.*

Ad 8. *Juxta Ecclesiae Officium.*
Ad 9. *Non praescribi.*
Ad 10. *Posse si habeatur Indultum.*
Ad 11. *Serventur Decreta.*
Ad 12. *Negative.*
Atque ita rescribere rata est, et declarare.
Die 11. Septembris 1847.

4951. ARIMINEN.

Reverendissime Domine uti Frater

Amplitudinis Tuae consilium exequens Sacerdos Marianus Cerri Parochus Ecclesiae Sanctae Mariae in Corte istius Ariminen. Civitatis, Sacram hanc Rituum Congregationem supplex adivit, enixeque rogavit, ut declarare dignaretur: Num servanda sit immemorabilis consuetudo, in eadem Ecclesia, olim Ordinis Praedicatorum, summo mane cujuslibet dici recitandi Sacratissimum Rosarium Beatae Mariae Virginis, et post ipsum dimittendi Populum fidelem cum benedictione Sanctissimi Sacramenti in Sacra Pixide acclusi, ac in Festis cum Ostensorio, quod in summitate non habeat Crucem a Rubricis requisitam, quin neutro in casu Sacramentum ipsum tam in Pixide reclusum, quam in Ostensorio apparens, thurificetur? Quae singula dum fideliter de more referebat in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Quirinale hodie habitis R. P. D. subscriptus Secretarius, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, quamvis praenosceret haec singula ab Ordinaria Facultate Amplitudinis Tuae pendere, attamen satius duxerunt respondere - *Scribatur Episcopo ad Mentem* - Mens itaque Sacrae Congregationis est, ut Amplitudo Tua quoties nil inconveniens deprehendat quoad horam praesertim hyemali tempore, permittat continuationem hujusmodi piorum Exercitiorum in Deiparae honorem, nam omissio incensationis conformior est Ecclesiae praxi in benedictione cum Sacra Pixide, requiritur tamen omnino quum impertitur benedictio cum Ostensorio, ac proinde illam hoc in casu exigat; ac pariter exigat ut in summitate Ostensorii Crux visibilis apponatur, quod requirunt Ecclesiasticae Leges, non obstante consuetudine Ordinis Praedicatorum, cui peculiaris est ritus in explendis Sacris Caeremoniis. Quae singula dum nomine Sacrae Congregationis Amplitudini Tuae communico, diu felix, et incolumis vivat. Romae 11. Septembris 1847.

Reverendissimo Domino uti Fratri - Episcopo Ariminen.

4952. PAPIEN.

Quum Sacerdos Angelus Rolla Magister Caeremoniarum Cathedralis Papien. Sacrorum Rituum Congregationis sententiam exquisierit super sequentibus Dubiis, nimirum

1. Occurrente septima Kalendas Maji Dominica tertia post Pascha, in qua assignatum reperitur Officium Patrocinii Sancti Joseph Sponsi Beatae Mariae Virginis, quaeritur an fieri debeat de Sancto Joseph, vel potius locum dandum occurrenti Officio Sancti Marci Evangelistae?

2. An Officia semiduplicia translata reponi queant inter Octavas non privilegiatas, puta Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Sancti Laurentii Martyris, Assumptionis, aliarumque, diebus quibus fit de intra Octavam, vel omnino trasferenda extra hujusmodi Octavas?

Sacra eadem Congregatio ad Quirinale hodierna die Ordinariis in Comi-

tiis coadunata post auditam a me subscripto Secretario fidelem relationem, ac institutum maturum examen propositorum Dubiorum, respondendum censuit

Ad 1. *Servandum in casu Decretum die 15. Februarii 1781. et locum dandum Officio Sancti Marci.*

Ad 2. *Semiduplicia in casu trasferenda esse post Octavas.*

Atque ita rescribere rata est, et declarare.

Die 11. Septembris 1847.

4953. PLURIUM DIOECESUUM.

Quum diversae ut plurimum circumferantur opiniones quoad translationem Officiorum mobilium, quae intra annum occurrunt, ac proinde plura undique proponantur Dubia super re opportunum visum est haec ipsa Dubia quoad fieri potest in unum colligere, ut super iisdem vel confirmentur responsa alias particulariter in similibus data, vel novae edantur Decisiones, quae hujusmodi sint ut anxietatibus viam praecludant, ac certam indubiamque methodum deinceps servandum constituant. Dubia autem haec sunt.

1. An Officia Mysteriorum, et Instrumentorum Dominicae Passionis, ubi concessa sunt ritu duplicis majoris pro quibusdam determinatiis Feriis, in iisdem semper locum habere debeant, etiam si in iis aliud Officium aequalis ritus duplicis majoris occurrat?

2. An haec ipsa praecedentia iisdem omnino competat quoties in concessionis Decreto apponitur clausula, quod non transferantur, nisi occurrente alio Officio potioris ritus?

3. An memorata Officia transferri possint de jure, etiam si in concessionis Decreto non appareat transferendi facultas?

4. An concessa etiam hac transferendi facultate, Officia Dominicae Passionis reponi umquam possint ultra Quadragesimam, dum nulla reperitur ad Quadragesimae exitum dies libera?

5. An occurrente Feria sexta post Octavam Sanctissimi Corporis Christi quocumque Officio ritus duplicis majoris, fieri debeat de hoc Officio, vel potius de Sacratissimo Corde Jesu, ubi est concessum ritu duplicis majoris, ratione dignitatis?

6. An quoties fieri debeat de duplici majori occurrente, Officium Sacratissimi Cordis Jesu transferri possit ad primam insequentem diem liberam, ac eidem praecedentia competat ratione dignitatis super alia Officia ritus dup. maj. translata?

7. An occurrente Officio Sacratissimi Cordis Jesu sub ritu duplicis majoris pridie Kalendas Julii, fieri de ipso debeat, vel potius de Commemoratione Sancti Pauli Apostoli, quae quamvis gaudeat tantum ritu duplicis, attamen habetur tamquam continuatio praecedentis Solemnitatis Sanctorum Apostolorum?

8. An in casu affirmativo ad primam partem, Commemoratio Sancti Pauli reponi debeat intra Octavam Sanctorum Apostolorum quamvis reponendum sit aliud praecedens Officium translatum, quod gaudeat ritu duplicis majoris?

9. An Officium Commemorationis Sancti Pauli gaudeat praecedentia supra alia Officia translata ritu duplicis minoris dum reponitur vel infra Octavam Sanctorum Apostolorum, vel etiam extra ipsam, adeo ut ratione dignitatis reponi debeat ante aliud quodcumque translatum ritu duplicis minoris?

10. An in casu translationis Officii Commemorationis Sancti Pauli sequen-

da sit peculiaris Rubrica in Vesperis apposita in Breviario pro iis locis ubi est Titularis Ecclesiae ?

11. An Officia Maternitatis et Puritatis Beatae Mariae Virginis assignata ut plurimum Dominicis secundae, et tertiae Octobris, occurrente alio Officio potioris ritus, vel majoris dignitatis transferri possint ad primas insequentes dies liberas, quamvis haec facultas non appareat in concessionis Decreto hac tantum de causa, quia ampliationem cultus important Beatissimae Virginis ?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subscripta die coadunata in Ordinariis Comitiis, post auditam a R. P. D. Secretario fidelem relationem, accuratumque examen cujuslibet ex propositis Dubiis, rescribere rata est

Ad 1. *Standum peculiaribus Indultis, et si satis non sit, in casibus particularibus recursus habeatur ad Sacram Congregationem.*

Ad 2. *Ut ad proximum.*

Ad 3. *Negative juxta alias decreta.*

Ad 4. *Negative sine speciali Indulto.*

Ad 5. *Negative ad secundum.*

Ad 6. *Affirmative.*

Ad 7. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad 8. *Negative.*

Ad 9. *Affirmative quoad utrumque.*

Ad 10. *Affirmative.*

Ad 11. *Juxta alias decreta negative in casu.*

Atque ita rescripsit, servarique ubique mandavit. Die 11. Septembris 1847.

4954. BRUGEN.

In Decreto Concilii secundi Provincialis Mechliniensis a Sede Apostolica tit. 13. cap. 6. habetur – *Si Festum Sancti Marci transferendum sit post Pascha, fit de eo cum Litaniis et abstinentia a carnibus Feria quarta post Dominicam in Albis. Quod si in dictam Feriam quartam incidat Festum vel Sanctorum Apostolorum Philippi et Jacobi, vel Sanctissimae Crucis transferatur in Feriam quintam immediate sequentem.* – Hisce positis Reverendissimus Brugen. Episcopus humillime declarari efflagitat.

1. Si alicubi in praefata Feria quinta occurrat Festum Patroni, an Officium Sancti Marci cum Processione, et Abstinentia a carnibus transferri ulterius possit, nimirum ad sequentem Feriam sextam, quamvis in illa occurrat aliud Officium inferioris ritus, vel dignitatis ?

2. In Rubrica Breviarii Romani die XXX. Junii legitur – *Si Commemoratio Sancti Pauli venerit in die octava Corporis Christi, extra propriam Ecclesiam transferatur in primam diem infra Octavam Dominica, vel Festo non impeditam.* – Quaeritur 1. An haec Rubrica ita intelligenda sit, quod Commemoratio Sancti Pauli in primam diem infra Octavam Dominica, vel Festo non impeditam sit transferenda, quamvis supersint Festa etiam altioris ritus, quae prius forent transferenda ? Et quatenus negative : quaeritur 2. an in translatione Commemoratio Sancti Pauli praeferri debeat saltem aliis duplicibus minoribus, quae prius transferri debeant ?

3. An idem servari debeat si Commemoratio Sancti Pauli transferenda sit ob Festum Sacratissimi Cordis Jesu, quod cum illa coincidat, vel ob quamcumque aliam causam, quum praefata Rubrica non agat nisi de casu, ubi haec Commemoratio coincidit cum Octava Corporis Christi ?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinales Aedes subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente me Secretario post accuratum cujusque Dubii examen respondendum censuit

Ad 1. *Affirmative sed quoad Processionem, et Abstinentiam.*

Ad 2. *Negative quoad primum: affirmative quoad secundum.*

Ad 3. *Affirmative.*

Atque ita rescribere rata est, et declarare.

Die 11. Septembris 1847.

4955. LUGDUNEN.

Sacerdos Petrus Favier Alumnus Societatis Mariae in Civitate Lugdunensi Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia ponit eorumdem solutionem demisse efflagitans pro tranquillitate conscientiarum inter suae Societatis Alumnos, qui omnes Romanum Ritum sequuntur.

1. Quum Officium Sancti Raymundi de Pennafort Confessoris in proprio Kalendario fixe assignatum sit diei XXVIII. Januarii quid agendum dum, ob occurrentiam Septuagesimae, Festum Sanctissimi Nominis Jesu reponendum est ea ipsa die?

2. In occurrentia Officii ritus duplicis majoris cum die octava alicujus Sancti, quomodo ordinandae sunt Vesperae?

3. Quum Sacra Rituum Congregatio sub die 16. Aprilis de anno 1834. sapientissime decreverit quod Sacerdos celebrans in Ecclesia ubi color albus adhibetur, celebrare nequeat Missam de Sancto Martyre, cujus persolvit Officium, quaeritur quomodo se gerere debeant Sacerdotes Societatis Mariae, qui extra propriam celebrant Ecclesiam, ac praesertim Sacrum immolant in Ecclesia vulgo a Fowriux, in qua pene semper color albus occurrit, dum ipsi de Sancto Martyre recitant? Poterit ne hoc in casu quilibet Societatis Sacerdos celebrare Missam Votivam, ut se conformet colori albo in Ecclesia ipsa adhibito?

4. Occurrente pridie Kalendas Julii Officio ritus duplicis majoris, an peculiaris Rubrica in Breviario apposita – *Transferatur in primam diem infra Octavam Dominica, vel Festo non impeditam* - respiciat Commemorationem Sancti Pauli, quae ritu tantum gaudet duplicis minoris, vel potius intelligenda sit de duplici majori translato?

5. Regulares solemniter adprobati, nimirum qui Ordinem efformant, tenentur ad Officia Sanctorum Patronorum Locorum, non vero Titularium Ecclesiarum, sub ritu dupl. 1. Cl. absque Octava; dummodo juxta Decreta sa: me: Urbani Papae VIII. die 23. Martii 1630., eorum electio confirmata sit a Sancta Sede; quum autem in Gallia haec canonica Lex non servetur, quaeritur an Sacerdotes Societatis Mariae teneantur ad Officia Sanctorum Patronorum, quos Episcopalis tantum Auctoritas proponit, quum ipsi proprie dictum Ordinem constituant?

Quae quidem Dubia quum R. P. D. subscriptus Secretarius fideliter de more retulerit in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Quirinales Aedes hodierna die coadunatis, Sacra eadem Congregatio post accuratum omnium examen, rescribendum censuit

Ad 1. *Transferendum esse ulterius Officium Sancti Raymundi.*

Ad 2. *Totum de duplici majori cum commemoratione diei octavae.*

Ad 3. *In casu tantum, quo ritus Ecclesiae id permittat.*

Ad 4. *De occurrente tantum esse intelligendam.*

Ad 5. *Servanda esse Decreta.*

Atque ita rescribere rata est, et declarare.

Die 11. Septembris 1847.

4956. NEAPOLITAN.

Dum Eminentissimus et Reverendissimus D. Cardinalis Xystus Riario-Sforza Archiepiscopus Neapolitanus inter sibi commissum Clerum non unam deprehendit sententiam in designatione Officii Divini quando Dominica tertia post Pascha, cui sub ritu duplicis secundae Classis affixum est Officium Patrocinii Sancti Josephi Sponsi Beatae Mariae Virginis, incidit sicuti anno vertente, septimo Kalendas Maji Sancti Marci Evangelistae natali die sub ritu pariter duplicis secundae Classis recurrente, ac alii innixi Decretis Sacrorum Rituum Congregationis quinto Idus Julii 1743. in Senen. et septimo Kalendas Februarii 1793. in Santandariensi praecedentiam concedant Officio Patrocinii Sancti Joseph; ac alii e contra juxta sancita de anno 1781. decimoquarto Kalendas Martii asserant persolvendum de Sancto Marco Evangelista, pastoralis sui muneris esse duxit Sacrae eidem Rituum Congregationi sequentia duo Dubia proponere, ut cuicumque ulteriori opinionum varietati via penitus praecludatur, nimirum

1. Cuinam ex praefatis Decretis in simili occurrentia sit inhaerendum, seu quodnam ex enunciatis Festis simul occurrentibus sit praeferendum?

2. An in casu, quod standum sit Decreto de anno 1781. edito, an novissimum Decretum anni 1793. saltem de sola concurrentia intelligendum sit?

Super quibus Dubiis ab R. P. D. Secretario subscripto fideliter de more relatis in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Quirinales Aedes hodierna die habitis, diligenti instituto examine Sacra ipsa Congregatio rescribere rata est

Ad 1. *Standum esse Decreto diei* 16. *Februarii* 1781.

Ad 2. *Intelligendum de occurrentia, et concurrentia simul.*

Atque ita rescripsit, et declaravit.

Die 11. Septembris 1847.

4957. TAURINEN.

Hodiernus Praepositus Congregationis Oratorii in Civitate Taurinen. quum deprehenderit in Ecclesia suae Congregationis immemorabiles nonnullas consuetudines, quae Ecclesiasticis sanctionibus non apprime concordant, illas Sacrae Rituum Congregationi exponere censuit, ac insimul rogare ut illas permittere saltem dignaretur; nam de medio tollere difficile admodum arbitratur. Quae quidem consuetudines tribus sequentibus Dubiis exponuntur, nimirum

1. An tollerari possit usus ut tempore Sacri Adventus, et Quadragesimae in Dominicis ad Missas solemnes, et Vesperas pulsentur Organa?

2. An pariter tolerandus sit usus quod in Missis cum cantu, praetermittatur cantus Introitus, Offertorii, Communionis, et quando post Epistolam occurrit, etiam Sequentiae? Item quod in Missis defunctorum praetermittatur cantus saltem integrae Sequentiae *Dies irae*. et Offertorii, ac post easdem Missas defunctorum, quae tamen ex nulla obligatione decantantur, an praetermitti possit cantus saltem alicujus partis absolutionis?

3. Utrum itidem ferendus sit usus, ut post Vesperas Feriae quintae in Coena Domini denudatio Altarium fiat per simplicem Sacerdotem superpelli-

ceo, et Stola indutum cum duobus Clericis superpelliceo pariter indutis, non vero a Celebrante cum ministris, uti in Missali indicitur?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente me subscripto Secretario, post accuratum tum precum, tum Decretorum examen, rescripsit

Ad 1. *Quoad Organi sonitum strictim servandam esse Caeremonialis dispositionem, non obstante consuetudine.*

Ad 2. *Vel non celebrandas Missas Defunctorum, vel canenda esse omnia, quae precationem suffragii respiciant.*

Ad 3. *Servari posse consuetudinem; dommodo Sacerdos Altaria denudet Feria quinta in Coena Domini.*

Die 11. Septembris 1847.

4958. LONDINEN.

Quum ex vigente consuetudine in Civitate Londinensi a Sacris Ministris in Missis solemnibus non assumantur in Quadragesima et sacro Adventu Casulae breviores, et complicatae a Rubrica requisitae, nec spes affulgeat quod talis usus inducater iis in Ecclesiis, Sacrorum Rituum Congregationi enixae datae sunt preces, ut declarare dignaretur, num hisce temporibus iidem Ministri assumere saltem possint Dalmaticam, et Tunicellam, vel Sacerdoti celebranti solemniter, ministrare valeant induti Alba, et Manipulo, et Diaconum deferre Stolam ordinariam, non vero grandiorem, ut ipsae innuunt Rubricae? Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subscripta die coadunata in Ordinariis Comitiis, post auditam a R. P. D. Secretario fidelem relationem, ac accuratum universae rei examen rescripsit: *Consuetudinem Rubricis contrariam eliminandam, et si Casulae non adsint, quae plicari valeant in actu Missae solemnis, haec celebretur potius a solo Sacerdote sine Ministris.*

Die 11. Septembris 1847.

4959. PETROCOREN.

Ante reassumptionem Liturgiae Romanae, quae jam ex integro in Dioecesi Petrocorensi locum habet, erat in usu peculiaris quaedam benedictio pro omnibus rebus adhibita, quae in Rituali Romano caeteris non accensetur. Quum autem benedictio haec maxime desideretur ab omnibus, et perdifficile prorsus esset illam eliminare, Sacrorum Rituum Congregationem humillime rogavit Reverendissimus Petrocorensis Episcopus, quatenus Apostolica Auctoritate juxta sancitas leges roboretur, ut etiam in posterum illa uti liceat ad Fidelium votis satisfaciendum. Formula autem benedictionis haec est:

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit Coelum, et Terram.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

*Deus, cujus verbo sanctificantur omnia, bene ✝ dictionem tuam effunde super Creaturam istam* (vel *Creaturas istas*), *et praesta, ut quisquis ea,* (vel *eis*) *secundum legem, et voluntatem tuam cum gratiarum actione usus fuerit, per invocationem Sanctissimi Nominis tui, corporis sanitatem, et animae tutelam, te auctore percipiat. Per Christum Dominum nostrum.*

℟. *Amen.*

*Deinde illam* (*vel illas*) *Sacerdos aspergit Aqua benedicta.*

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinales Aedes subscripta die Ordinariis in Comitiis coadunata post auditam relationem ab R. P. D. Secretario factam rescribendum censuit: *Pro gratia, et ad Eminentissimum Praefectum cum Promotore Fidei.* Revisa propterea ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinali Aloisio Lambruschini Episcopo Portuen. Sanctae Rufinae, et Centumcellarum, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, una cum R. P. D. Andrea Maria Frattini Sanctae Fidei Promotore, supradicta Benedictionis communis formula, illam Sacra Congregatio adprobavit, atque a Clero Civitatis et Dioecesis Petrocorensis adhiberi posse permisit. Die 11. Septembris 1847.

Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. per me subscriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua benigne annuit, Rescriptumque Sacrae Congregationis confirmavit.

Die 30. Septembris 1847.

4960. ADIACEN.

Ut in sacris Caeremoniis Ecclesiasticisque Functionibus omnia ordinate fiant, rectaque methodus servetur, Reverendissimus Adjacen. Episcopus pastoralis sui muneris esse duxit Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna declaratione sequentia exponere Dubia, nimirum

1. Absente a Choro in aliqua ex sacris Functionibus prima Capituli Dignitate, thurificatio debet nec ne incipere a parte, in qua Dignitas ipsa sedere solet, vel potius an praeferendus semper sit Canonicus dignior inter Choro praesentes, nullo habito respectu ad locum, in quo ipse sedet?

2. In Caeremoniali Episcoporum articulo de Missa Pontificali legitur quod Canonici sedere debeant ad verba - *Et incarnatus est* - Quaeritur an hujusmodi praescriptio comprehendat omnes Canonicos etiam simplici habitu Chorali indutos, aut eos tantum, qui sacris Paramentis induti sunt?

3. Denegatur ab aliquibus Ecclesiasticis obligatio Crucem adspiciendi dum a Rubrica Sacerdoti celebranti injungitur in Missa oculorum elevatio. Quid dicendum de hujusmodi opinione?

4. Ab immemorabili in quadam Cathedrali in Choro unica cantatur Missa tum in Feriis, tum in Festis, et haec post Nonam semper locum habet. Hujusmodi consuetudo potest nec ne tolerari?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente me Secretario, omnibus maturo examine perpensit, rescripsit.

Ad 1. *Thurificationem esse semper incipiendam a parte, in qua sedet Hebdomadarius.*

Ad 2. *Ab omnibus, qui sunt in Choro sedendum, praeter quam in diebus Nativitatis Domini, et Annunciationis Beatae Mariae Virginis, in quibus ab omnibus est genuflectendum.*

Ad 3. *Juxta Rubricas in elevatione oculorum Crucem esse aspiciendam.*

Ad 4. *Servandas esse Rubricas, quoad numerum Missarum Conventualium juxta diversitatem dierum, et quoad horas illas celebrandi; nimirum de Festo post Tertiam, de Vigilia post Sextam, de Feria post Nonam.*

Atque ita rescripsit, declaravitque. Die 22. Julii 1848.

4961. ARIMINEN.

Quolibet intra annum Sabbato Capitulum Cathedralis Ariminen. Ecclesiae ex antiqua consuetudine, in Statutis etiam contemplata, assolet Missam Votivam

Beatae Mariae Virginis decantare. Ast quum diversa sit Capitularium opinio circa hanc ipsam Missam, quoties Pervigilium Assumptionis Deiparae incidit in Sabbato, sequens Dubium pro opportuna solutione superiore anno 1847. datum fuit Sacrorum Rituum Congregationi, nimirum - An in Pervigilio Festi Assumptionis Beatae Mariae Virginis incidente in Sabbato, praeter Missam de ipsa Vigilia, decantari etiam debeat Missa Votiva Deiparae, quae ex invecta consuetudine decantatur; seu an Missa Vigiliae votivam Missam excludat? - Hujusmodi vero Dubium per R. P. D. Secretarium propositum quum fuerit in Ordinariis Comitiis eodem superiore anno tertio Idus Septembris habitis, placuit Eminentissimus Patribus Sacris tuendis Ritibus praepositis, Informationem exquirere Reverendissimi Ariminen. Episcopi, ut certior redderetur Sacra Congregatio num vel ex Apostolico Indulto, vel ex pio Legato Capitulum Cathedralis Ariminen. adigeretur ad Missam saepe dictam Votivam Beatae Mariae Virginis. Iterum itaque ab eodem Secretario infrascripto proposito Dubio, in novis Ordinariis Comitiis ad Quirinale habitis hodierna die, una cum dilucida, numerisque omnibus absoluta Informatione Reverendissimi Episcopi Ariminen., Sacra eadem Congregatio respondendum censuit: *In casu posse cantari sola Missa de Vigilia, quum nullum adsit peculiare onus Missae votivae.*

Die 22. Julii 1848.

4962. BELLICEN.

Altare majus Sacelli juris Julii e Baronibus de Jerphanion in Castro vulgo de Epirre intra fines Dioecesis Bellicen. ex concessione sa: me: Gregorii Papae XVI. quotidiano gaudet Privilegio. Quum autem supponeret ipse Baro quod ad lucrandam Indulgentiam Altaris privilegiati omnino requiratur, ut quilibet Sacerdos in eo celebrans in sacris Paramentis adhibere debeat colorem nigrum, uti exigunt Decreta Sacrorum Rituum Congregationis, id grave admodum experiri fatetur; ac proinde Sanctissimum Dominum Nostrum Pium IX. Pontificem Maximum enixis precibus rogavit, ut Apostolicum elargire dignaretur Indultum, cujus vigore cuicumque Sacerdoti in memorato Altari celebranti liceat uti Vestibus sacris coloris Officio diei respondentis, et Plenariam quotidie Indulgentiam lucrari. Hujusmodi preces quum R. P. D. Secretarius infrascriptus retulerit in Ordinariis Comitiis ejusdem Sacrorum Rituum Congregationis ad Quirinale hodierna die habitis, Sacra ipsa Congregatio respondendum censuit: *Enunciata Decreta intelligenda esse de Missa Defunctorum, seu de Requie, quae omnino in casu dicenda est, quando a Rubrica permittitur: nam juxta Constitutiones Summorum Pontificum Romanorum Alexandri VII., Clementis IX., et Innocentii XI. Indulgentia Altaris privilegiati in Duplicibus lucratur per celebrationem Missae Officio diei respondentis, et cum colore Paramentorum conveniente cum applicatione Sacrificii.*

Atque ita rescripsit, declaravitque.

Die 22. Julii 1848.

4963. COLLEN.

Quum Reverendissimus Collen. Episcopus Sacrorum Rituum Congregationi exposuerit, quod in sua Cathedrali Officium Sanctorum Martyrum Faustini, et Iovittae recitetur sub ritu duplicis primae Classis cum Octava, insimul addidit quod Officium Cathedrae Sancti Petri Antiochenae incidens ipsa die octava, assignatum fuit tamquam in sedem propriam die XXV. Februarii. Interdum vero superveniente Quadragesima, ac cessante Octava, quum dies XXII. Fe-

bruarii libera remaneat, non una est Cleri Collensis opinio circa assignationem hujus Officii Cathaedrae Antiochensis; siquidem asserentibus aliis, quod de Cathedra Antiochensi fieri debeat cum universali Ecclesia die XXII., alii verius et rectius opinentur nec tunc removendum a designata die XXV. Februarii. Ad tollendam quocirca quamcumque dubitationem, et ambiguitatem idem Reverendissimus Collen. Antistes ipsius Sacrae Congregationis oraculum requisivit. Quae ad Quirinale in hodiernis Ordinariis Comitiis coadunata, ad relationem R. P. D. Secretarii, post diligens expositae controversiae examen rescribendum censuit: *In casu exposito dies XXV. Februarii habenda est tamquam fixa Officio Cathedrae Sancti Petri Antiochenae, non obstante citata occurrentia.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 22. Julii 1848.

4964. DUBIORUM.

Quum Sacrorum Rituum Congregatio de sententia requisita fuerit super sequentibus Dubiis a R. P. D. Secretario subscripto propositis, nimirum

1. An Religiosi utriusque sexus proprium Kalendarium non habentes, uti debeant Kalendario Dioecesano?

2. An oneri satisfaciant Divini Officii persolvendi si alio quam Dioecesano Kalendario utantur?

3. An sit servanda consuetudo penes nonnullos Regularium Ordines invecta, addendi Symbolum Nicaenum Missae insignium Patronorum Ordinis, qui non sint Institutores, Titulares, vel Patroni, etiam si de ipsis recitetur ritu duplicis secundae Classis?

Eminentissimi et Reverendissimi Patres in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Quirinale coadunati, post acceptum Votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondendum censuerunt

Ad 1. *Affirmative, additis Officiis peculiariter concessis Regularibus in illa Dioecesi commorantibus.*

Ad 2. *Provisum in praecedenti.*

Ad 3. *Consuetudinem esse abrogandam, et solum addendum Symbolum si sint vel Titulares, vel Patroni.*

Atque ita servandum mandarunt.

Die 22. Julii 1848.

4965. FLORENTIN. SEU ORDINIS MINORUM DE OBSERVANTIA.

Quum hodiernus Guardianus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, Coenobii omnium Sanctorum in Civitate Florentina, Sacrorum Rituum Congregationem enixe rogarit, ut declarare dignaretur sequentia Dubia nimirum

1. An adsit Generale Decretum permittens unicam Missam solemnem de Requie in qualibet Ecclesia, Octiduo Defunctorum perdurante?

2. An liceat in Dominicis Sacri Adventus, et Quadragesimae pulsare Organa in Missis solemnibus, praeter Dominicas a Rubrica exceptas? et quatenus hic usus in aliqua Ecclesia vigeat, an sit eliminandus?

3. Quum ex Rubricis Sabbato Sitientes velentur Sacrae Imagines Altarium, quaeritur an liceat eas detegere Feria sexta in Parasceve, et non ad Hymnum Angelicum in Sabbato Sancto, uti Rubricae ipsae praescribunt?

4. An tolerandus sit usus ut in Sabbato Sancto Praeconium decantetur ab

alio Diacono diverso ab illo, qui Missae inservit, adeo ut duo sint Diaconi alter Missae, alter vero Praeconii?

5. An pariter permitti possit ut Clericus Regularis interdum nec Tonsura initiatus, Subdiaconi officio fungatur in Missa solemni; dum alter vel Sacerdos, vel in majoribus constitutus Ordinibus adest, qui ut Subdiaconus inservire potest eidem Missae solemni?

Sacra eadem Congregatio in hodiernis Ordinariis Comitiis ad Quirinale coadunata, referente me subscripto Secretario, respondendum censuit

Ad 1. *Non adesse Generale Decretum.*

Ad 2. *Abusum esse eliminandum.*

Ad 3. *Velatas manere debere usque ad Hymnum Angelicum Sabbati Sancti juxta alias Decreta.*

Ad 4. *Usum esse contrarium Decretis.*

Ad 5. *In casu necessitatis; dummodo non sit alter; sed debere esse Clericum.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 22. Julii 1848.

4966. GANDAVEN.

Quum Reverendissimus Gandaven. Episcopus Sacrorum Rituum Congregationem humillime rogarit ut declarare dignaretur utrum Episcopus in Ordinatione Regularium in sua Dioecesi degentium dicere debeat - *Promittis Ordinario tuo obedientiam etc.*, - vel potius - *Promittis mihi etc.* - Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in hodiernis Ordinariis Comitiis ad Quirinale coadunati, me infrascripto Secretario referente, respondendum censuerunt: *Servetur clara dispositio Pontificalis Romani.*

Die 22. Julii 1848.

4967. LAUSANEN. ET GENEVEN.

Reverendissime Domine uti Frater.

Quum Amplitudo Tua mandatis Sacrorum Rituum Congregationis obsequens in novis Litteris datis Friburgii die 21. Februarii hoc ipso vertente anno clarius exposuerit factum Ordinationis Titii Presbyteri tuae Dioecesis secutae a duobus, et ultra annis, in qua quidem Ordinatione per inadvertentiam praetermissa fuit, ac postea suppleta una ex praescriptis manuum impositio, ac insimul addiderit Dubia, quae antea etiam dederat pro opportuna solutione, super omnibus fidelem relationem suam in novis hodiernis Ordinariis Comitiis ad Quirinale habitis iteravit R. P. D. Secretarius subscriptus, ut Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi vel Dubia ipsa declarare possent, vel decernere quid in facto ipso ab Amplitudine Tua agendum. Et Eminentissimi iidem Patres maturo examine singula perpendentes quae religiosissime ab Amplitudine Tua exposita fuerunt, quin Dubiis propositis aliquid directe responderent, communi in voto fuere, ut per praesentes, Litteras Amplitudini Tuae communicaretur *Ordinatum juxta exposita non esse inquietandum.* Quam quidem mentem Sacrae Congregationis Amplitudini Tuae communico, ut ab ulteriori quacumque anxietate, circa factum ipsum cesset, et diu felix, ac incolumis vivat.

Romae 22. Julii 1848.

Reverendissimo Domino uti Fratri Episcopo Lausanen. et Geneven.

4968. DUBII.

Dum superiori anno 1847. tertio Kalendas Martii Sacrorum Rituum Congregatio in una Vicariatus Ruremundensis in Hollandia ad Dubium IV. declaravit Parochum posse vel per se, vel per alium in Dominicis applicare pro populo Sacrosanctum Missae Sacrificium etiam privatim celebrando, quin teneatur applicare Missam solemnem, cui celebrationem interdum committit alii sibi beneviso Sacerdoti, super hac ipsa declaratione novum in praesentiarum proponitur Dubium, quod fundatur in declarationibus, et Decretis alias a Sacris Congregationibus Urbis latis, et a quibus omnino exigitur ut Parochus in Dominicis, Festisque pro Populo applicet. Iterum itaque Sacra Congregatio Rituum de sententia requisita, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunata, post auditam a R. P. D. Secretario fidelem relationem, ac maturum omnium examen, rescribendum censuit: *Responsionem datam die 27. Februarii 1847. intelligendam esse quoad Missam solemnem, de qua quaerebatur; nam proprius ad casum, non obstantibus alias decretis, et in facto declaratis, rescribere rata est posse quemlibet Parochum, accedente juxta, et legittima causa, adimplementum Missae pro Populo applicandae, alii Sacerdoti committere, seu per alium Sacerdotem hanc Missam celebrare facere.*

Atque ita rescripsit.

Die 22. Julii 1848.

4969. MONTIS POLITIANI.

Dum Reverendissimus Episcopus Montis Politiani ingenue exposuit in sua Dioecesi consuetudinem vigere exponendi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pro hoc vel illo defuncto quotannis, vel quibusdam diebus loco Officiorum de Requie, insimul declaravit difficile admodum esse hanc ipsam consuetudinem impedire, siquidem quatenus venia denegatur, Fideles neque expositionem Sanctissimi Sacramenti faciunt, neque Officia de Requie. Verum quum expositio ista Decretis non sit consentanea, hujus Sanctae Apostolicae Sedis oraculum requisivit Reverendissimus idem Episcopus; cujus humillimae preces quum a Sanctissimo Domino Nostro Pio IX. Pontifice Maximo transmissae fuerint ad Sacram Rituum Congregationem, haec in Ordinariis Comitiis ad Quirinale hodierna die coadunata, audita ab R. P. D. Secretario infrascripto fideli relatione, respondendum censuit: *Pro gratia speciali, non obstantibus Decretis, Episcopus pro suo arbitrio, et prudentia juxta particulares casus, et circumstantias indulgeat.*

Die 22. Julii 1848.

4970. MONTIS REGALIS.

Quum Sacerdos Xaverius Giaconia Canonicus Collegiatae Ecclesiae Sanctissimi Crucifixi in Civitate Montis Regalis Sacrorum Rituum Congregationis rogarit sententiam super sequentibus Dubiis, nimirum

1. Qualis sit color adhibendus in celebratione Festi Sanctissimi Redemptoris Jesu, qnod memorata Ecclesia instituit ritu duplicis 2. Classis?

2. Festum Sanctissimi Corporis Jesu quum a memoratae Ecclesiae Capitulo celebretur cum Octava privilegiata, uti asseritur, ad instar Epiphaniae, quaeritur num in die octava occurrente interdum in Solemnitate Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Officium debeat esse de iisdem Sanctis Apostolis cum commemoratione diei octavae Sanctissimi Corporis Christi; vel potius de ipsa die octava translato Officio Sanctorum Apostolorum?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale hodierno in Ordinario Coetu coadunata, referente me subscripto Secretario, respondendum censuit.

Ad 1. *Colorem album adhibendum.*

Ad 2. *Juxta Rubricas affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Atque ita rescripsit.

Die 22. Julii 1848.

4971. ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM.

Quum R. P. Fr. Antoninus ab Assumptione Beatae Mariae Virginis, ex Ordine Carmelitarum Excalceatorum Sacrorum Rituum Congregationem iteratis precibus rogarit, ut super sequentibus Dubiis sententiam suam elicere dignaretur, nimirum

1. An post Decretum diei 31. Julii 1821. possint amplius Sacerdotes uti Indulto jam impetrato celebrandi Sacrosanctum Missae Sacrificium in Sabbato Sancto? Et quatenus affirmative

2. An Sacerdotes ipsi Indultarii ea die celebrare possint ante quam ab Ecclesia Matrice cum festivo sonitu Nolarum gloria Resurrectionis annuncietur?

3. An idem servari possint iis in Ecclesiis, in quibus ex Apostolico Indulto una, alterave Missa celebratur?

4. An hujusmodi Missis, privatim praemittenda sit lectio Prophetiarum, et Litaniarum; an vero incipiendae sint ab Introitu?

5. An Ecclesia Parochialis omnino adigatur ad Functiones Sabbati Sancti juxta parvum Caeremoniale sa: me: Benedicti XIII. si sufficienti Clero destituantur; et an hujusmodi in casu Missa ordinanda sit ut in praecedentibus Dubiis tertio, et quarto?

Sacra eadem Congregatio ad Quirinale hodierna die in Ordinariis Comitiis coadunata, habito prius Voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, auditaque fideli relatione a R. P. D. Secretario, rescribendum censuit

Ad 1. *Servetur Decretum diei* 31. *Julii* 1821. *per se clarum.*

Ad 2. *Quum Indultum respiciat Ecclesias, affirmative post solemnem.*

Ad 3. *Jam provisum in secundo.*

Ad 4. *Juxta idem Decretum more solito, sed sine Introitu post Psalmum* – Judica me Deus - *et Confessionem.*

Ad 5. *Affirmative et servetur in omnibus solitum, juxta parvum Caeremoniale Benedicti Papae XIII.*

Atque ita rescripsit, et declaravit.

Die 22. Julii 1848.

4972. PITILIANEN. ET SOANEN.

Sacerdos Petrus Bonasera Canonicus Supranumerarius Cathedralis Pitilianen., itemque Ecclesiae Sanctae Mariae in Civitate ipsa Parochus, quum Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna declaratione exhibuerit, nimirum

1. An in funeribus, facta ab haeredibus electione, dum Orator uti Parochus advocat ad funus Cathedralis Capitulum, possit praecedentiam habere incedendo cum Stola ante Feretrum, locumque in stallo supra Capitulum assumere, cujus ipse est Canonicus supranumerarius?

2. An Parochus Canonicus supranumerarius Cathedralis, in propria Ecclesia, praesente ipsius Cathedralis Capitulo, jus habeat Missam canendi?

3. Parochus constitutus Canonicus Supranumerarius cum plenitudine juris Canonicalis, expressa voce - *Audito Capitulo* - utrum vocem habeat in Capitularibus Comitiis?

Sacra eadem Congregatio post acceptam Reverendissimi Pitilianen, et Soanen. Informationem cum Voto, auditamque a me subscripto Secretario fidelem relationem, in hodierno Ordinario Coetu ad Quirinale coadunata, omnibus maturo examine perpensis rescribendum censuit

Ad 1. *Affirmative in associatione Cadaverum: in Officio pariter affirmative si Hebdomadarii munus exerceat.*

Ad 2. *Affirmative praesente Corpore, et in diebus tertio, septimo, et trigesimo: in Anniversariis, aliisque Functionibus negative, sed spectare ad Hebdomadarium.*

Ad 3. *Vocem habere tantum quando agitur de Disciplina, vel novo honore, aut onere suscipiendis.*

Atque ita rescripsit, servarique mandavit. Die 22. Julii 1848.

4973. SANCTIMONIALIUM ORDINIS SANCTAE CLARAE.

Dum in Sacrorum Rituum Congregatione serio examine expendebantur Preces, queis Sanctimoniales Ordinis Sanctae Clarae Monasterii Civitatis Havana in Insula vulgo dicta de Cuba efflagitabant Indultum, ut deinceps nomen Sanctae Matris Clarae addere valerent *ad Confiteor*, in Officii Commemorationibus, caeterisque in Orationibus, in quibus Sancti Francisci nomen apponitur, innotuit Eminentissimis et Reverendissimis Patribus Sacris tuendis Ritibus praepositis usque ab anno 1825. sa: me: Leonem Papam XII. propria manu pro sanctimonialibus Asceterii Sanctorum Cosme, et Damiani Martyrum in Urbe signasse gratiam confirmationis consuetudinis ibi invectae, et eidem Summo Pontifici expositae, addendi nempe in Suffragiis, quoties locum habent in Divino Officio, Commemorationem Sanctae Clare, illiusque nomen exprimendi in privata non minus, quam publica confessionis - *Confiteor* - recitatione tantum. In Ordinariis quocirca Comitiis ad Quirinale coadunati subsignata die iidem Eminentissimi, et Reverendissimi Patres, audita a R. P. D. Secretario fideli relatione super omnibus, de speciali gratia annuendum censuerunt juxta memoratum Indultum a sa: me: Leone Papa XII. Sanctimonialibus Ordinis Sanctae Clarae ad Sanctos Cosmam, et Damianum Urbis concessum.

Die 22. Julii 1848.

4974. SENEN.

Usque ab anno 1843. nomine Reverendissimi Archiepiscopi Senen. Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna declaratione sequentia proposita sunt Dubia, nimirum

1. Dum eadem die occurrunt duo Officia Beatae Mariae Virginis ejusdem ritus, alterum alicui diei fixe assignatum, alterum mobile utpote alicui Dominicae affixum, quod ex utrisque praevalere debet? item quando insimul concurrunt duo ex enunciatis Festis, quomodo Vesperae ordinandae sunt?

2. Quoties in Kalendario Senensi dies octava Dolorum Beatae Mariae Virginis incidit die XXIV. Septembris, in qua occurrit sub ritu duplicis majoris Festum Beatae Mariae Virginis de Mercede, vel die XXII. ejusdem mensis, in qua Civitate Senensi Festum Patrocinii Deiparae sub pari ritu duplicis majoris agitur, quaeritur num recitari debeat de Octava vel de alterutro ex enunciatis Deiparae Festis?

3. Dum Festum Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis sub duplici secundae Classis occurrit die XXI. Septembris, cui affixum est Officium Sancti Matthaei Apostoli et Evangelistae sub ritu pariter secundae Classis, de quonam Festo persolvendum erit ea ipsa die?

4. An ferendus sit usus in Archidioecesi Senensi existens omittendi in Choro partes illas tum Divini Officii, tum Missae, quas Organi sonitus supplet?

5. An Officia etiam duplicia, quae incidunt in Dominicis, Feriisque privilegiatis, quaeve ad anni terminum locum habere nequeunt, quia dies liberi pro eorum recitatione non suppetunt, reponi possint in diebus ritus semiduplicis, adeo ut de Semiplicibus redactis ad modum Simplicis fiat commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa cum IX. Lectione historica? Et quatenus negative

6. Ad id saltem permitti possit pro iis Ecclesiis, quarum dedicationis Anniversarium incidens in Dominica Officium duplex etiam secundae Classis excludit in Anniversario ipso, et in die octava, ne Parochi aut Rectores ob inevitabiles Kalendarii Dioecesani immutationes, praegraventur onere variationes ipsas non semper Rubricis conformes compilandi?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale hodiernis in Ordinariis Comitiis coadunata post habitum Votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ac acceptam a me Secretario fidelem relationem, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Praeferendum Officium diei mensis: et in concurrentia, faciendum esse totum de Officio occurrenti, sine ulla prorsus commemoratione de sequenti.*

Ad 2. *In casu de Officio occurrenti, et nihil amplius de Octava.*

Ad 3. *Juxta alias decreta de Sancto Matthaeo Apostolo et Evangelista.*

Ad 4. *Submissa voce dicenda quae omittuntur ob sonitum Organi: quando non pulsatur, integre esse cantanda.*

Ad 5. *Negative juxta alias decreta, et de Officiis, quae supersunt, faciendam esse commemorationem in die propria etiam si sint ritus duplicis.*

Ad 6. *Negative, sed ad Kalendarii Directorem spectare particulares has additiones pro singulis Ecclesiis.*

Atque ita rescripsit, declaravit, servandumque mandavit.

Die 22. Julii 1848.

4975. SYRACUSANA.

Dum Reverendissimus Syracusan. Archiepiscopus perspexit usum inter Clerum sibi commissum vigentem, videlicet accedendi ad solemnem Supplicationem Corporis Christi cum sacris Vestibus, nimirum Casula, Stola, et Manipulo, illico deprehendit id omnino adversari Ecclesiasticis sanctionibus, ac Caeremoniali Episcoporum. Verum ad evitandas controversias maluit Sacram hanc Congregationem Rituum humillimis adire precibus, enixeque rogare, ut declarare dignaretur num in pervetusta, ac pene immemorabili exposita consuetudine Clerum ipsum relinquere possit, vel potius eumdem adigere debeat ad assumendam Casulam tantum absque Stola, et Manipulo? Et Sacra ipsa Congregatio ad Quirinale in hodierno Ordinario Coetu coadunata, post auditam a me Secretario fidelem relationem, et diligens super expositis institutum examen, rescribendum censuit: *Quoad usum Stolae in casu relinqui posse arbitrio ex consuetudine: Albam permittendam Beneficiatis, non Canonicis, qui*

*uti debent Rochetto et Casula : Manipulum vero omnino inhibendum juxta Rubricas.*

Atque ita rescripsit. Die 22. Julii 1848.

4976. TORNACEN.

Quum Sacerdos Joannes Joseph Loiseau in Seminario Tornacensi Sacrorum Canonum Professor comperiat nonnullas adhuc praebere difficultates Indultum reductionis Festorum usque ab anno 1802. ab Eminentissimo Domino Cardinale Caprara promulgatum, Sacrorum Rituum Congregationis sententiam requisivit super Dubiis, quae examinanda, diluendaque proposuit, ne hujusmodi in re ambiguitas ulla supersit. Nam quum vi ejusdem Indulti aliqua Festa in Dominicas sequentes fuerint translata, videlicet Festa Epiphaniae Domini, Sanctissimi Corporis Christi, Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Sanctorum Patronorum, cujuslibet Dioecesis, et Paroeciae, Dubium circa hanc translationem subortum tulit praelaudatus Eminentissimus responso ad Vicarium Generalem Archidioecesis Mechliniensis die 21. Junii 1804. directo, iisque verbis concepto - *Sola solemnitas praefatorum Festorum differetur ad Dominicam sequentem, in qua quidem Officium a Clero tam publice quam privatim, ac Missa celebrabitur juxta Rubricas occurrentes, seu juxta consuetum ordinem. Canetur tamen una Missa solemnis de Festis illis translatis more votivo cum unica Oratione, minime omissa in Cathedralibus, aliisve Ecclesiis, in quibus Officium publice agatur, et adsit sufficiens numerus Ecclesiasticorum, altera Missa Conventuali de Dominica*, *vel Festo occurrente.* - Ex quo Decreto plura emerserunt Dubia, nimirum

1. His verbis - *more votivo cum unica Oratione* - innixa omnia Belgii Kalendaria Ecclesiastica praescripserunt Missam solemnem in Dominica proxime sequenti cantandam esse votivam de Festo in qualibet Parochiali Ecclesia, et absque ulla commemoratione, et ita huc usque servatum est. Jam vero anno proxime elapso quidam tum hac ratione moti, quod Missa votiva ab Eminentissimo Legato praescripta non discrepet ab ea, de qua fit mentio in Rubricis Generalibus Missalis Part. 3. tit. 9. n. 14. tum Decretis innixi a Sacra Rituum Congregatione jam pridem emanatis, ac specialiter Decreto Generali diei 8. Februarii 1774. necnon et auctoritati doctissimi Gardellini ejusdem Sacrae Congregationis Assessoris, docuerunt in hac Missa solemni, si alia, nempe de Festo occurrente, in Ecclesia Parochiali non cantetur, faciendam esse commemorationem Dominicae, vel Festi occurrentis. Quaeritur ergo utrum consuetudini standum sit; vel potius utrum Missae solemni, ubi alia non canitur de Dominica, vel Festo occurrente, addenda sit Dominicae, vel Festi occurrentis commemoratio?

2. Alterum Dubium oritur ex his verbis - *Minime omissa in Cathedralibus, aliisve Ecclesiis, in quibus Officium publice agatur, et adsit sufficiens numerus Ecclesiasticorum alia Missa Conventuali.* - Quaeritur utrum illa verba intelligenda sint dumtaxat de Cathedralibus, et Collegiatis, in quibus talis Missa proprie Conventualis celebratur; an vero ad omnes Parochiales Ecclesias, in quibus adsit sufficiens numerus Ecclesiasticorum extendenda sit? Et quatenus affirmative.

3. Utrum sufficiens numerus Sacerdotum censetur, si alicui ex his Ecclesiis ultra Parochum tres, vel quatuor alii Presbyteri, tamquam Vicarii, seu Coadjutores Parochi sint adscripti?

4. An praedicta Missa votiva solemnis celebranda sit non modo in Ecclesiis Parochialibus, sed et in Oratoriis publicis?

5. An itidem in Ecclesiis Regularium, et Monialium?

Et Sacra eadem Congregatio in hodiernis Ordinariis Comitiis ad Quirinale coadunata, referente me subscripto Secretario, consideratis omnibus, et inhaerendo aliis Decretis in similibus datis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Addendas esse Commemorationes in casu.*

Ad 2. *Affirmative ad primam partem: negative ad secundam.*

Ad 3. *Provisum in praecedenti.*

Ad 4. *Affirmative; dummodo de more in Festis cantetur.*

Ad 5. *Ab unaquaque Ecclesia suam servandam esse consuetudinem.*

Atque ita rescribere rata est, et declarare.

Die 22. Julii 1848.

4977. TORNACEN.

Sacerdos Joannes Baptista Fulise ex Dioecesi Tornacen. summopere exoptans, ut uniformis sit praxis omnium Ecclesiarum in exequendis singulis Caeremoniis quae in Sacrosancto Missae Sacrificio locum obtinent, Sacrorum Rituum Congregationem enixe rogavit, ut sententiam suam proferre dignaretur super sequenti Dubio ab ipso proposito iis in terminis - An pro abluendis vino et aqua pollicibus, et indicibus in secunda purificatione post Communionem debeat Sacerdos e medio Altaris versus Cornu Epistolae recedere? - Sacra ipsa Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, audita a R. P. D. Secretario relatione, rescribendum censuit - *Serventur Rubricae pro diversitate Missae.*

Die 22. Iulii 1848.

4978. CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM SANCTI PAULI BARNABITARUM.

Quum in Ecclesia adjecta Collegio Novitiatus Clericorum Regularium Sancti Pauli Barnabitarum in Civitate Ianuen. in Nocte Nativitatis Domini nec Divina Officia, nec solemnis Missa locum habeant, id grave admodum experiens hodiernus Collegii ipsius Superior propriae, et Novitiorum pietati satisfacturus superiori anno 1847. in hac ipsa sacratissima Nocte post Matutini recitationem Missam cum cantu celebravit in Novitiatus ipsius Sacello ratus id exequi posse vi Privilegiorum Regularibus concessorum. Verum quum diversae circumferantur super facto opiniones inter Alumnos Collegii ipsius, ac ex eis aliquis contendat id omnino non licere, quia vetitum est in solemnitate illa celebrare in privatis Sacellis, et quia Sacellum istud non inservit Religiosae Familiae, sed Novitiis tantum; ut indubia habeatur declaratio, quae futuris etiam temporibus, veluti norma servetur, Sacrorum Rituum Congregatio super facto ipso de sententia rogata, in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Quirinale coadunata, ad relationem mei subscripti Secretarii, omnibus maturo examine perpensis consideratisque rescribendum censuit - *Posse juxta exposita.* -

Atque ita rescribere rata est, et declarare. Die 22. Iulii 1848.

4979. LIBURNEN.

Quum Sacerdos Hieronymus Gavi Praepositus in Cathedrali Liburnensi Ecclesia modo ad Dignitatem Episcopalem assumptus, ac renunciatus Episcopus Milten. in Partibus administrationem obtineat Dioecesis Liburnen., pro ea, qua praestat religione, veretur ne quid sibi assumat ex privilegiis, et honorificen-

tiis Episcopalibus sibi, ceu Administratori, non debitis, nam Praepositi Dignitatem adhuc retinet; neque aliquid praetermittat Episcopali characteri competens; ac proinde Sacrorum Rituum Congregationis sententiam super sequentibus Dubiis humillime requisivit, nimirum

1. An Epistolam Pastoralem sive latino, sive vulgari sermone conceptam commisso sibi in administrationem gregi dirigere possit?

2. An uti possit Mozzetta, vel potius supra Rocchettum Mantellettam tantum gestare debeat?

3. An in Pontificalibus uti unice debeat Faldistorio?

4. An dum Choro assistit uti Praepositus prima Capituli Dignitas retinere debeat primum Stallum?

5. An in Processionibus, ut suae Praebendae competentes fructus percipiat, necesse sit ut cum suo Capitulo incedat omnino occupans digniorem locum?

6. An in iisdem Processionibus possit interdum incedere post Sacerdotem deferentem Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, quin tamen de propriae Praebendae fructibus participet?

7. An umquam Missae solemni assistere possit Pluviali, vel Cappa indutus, absque tamen circulo Canonicorum, vel potius requiratur, ut cum Mantelletta assistat ad lucrandos suae Praebendae fructus? Item an in Pontificalibus celebrans possit habere Diaconos Assistentes?

8. An Episcopo Administratori liceat perficere benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, ac Fontis Baptismalis in Sabbato Sancto, quin Missam deinde celebret?

9. An habeat usum Galeri cum chordulis et floccis viridis coloris, ac hujusmodi colore possint ornari equi currus?

10. An Caudatarii opera uti possit saltem dum in sacris Functionibus peragendis solutam habere debet longiorem talaris vestis fimbriam?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, exquisito prius Voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus maturo examine perpensis, ac referente me subscripto Secretario respondendum censuit.

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad 3. *Affirmative.*

Ad 4. *Affirmative.*

Ad 5. *Affirmative.*

Ad 6. *Affirmative.*

Ad 7. *Quoad primam partem negative: quoad secundam affirmative: quoad tertiam negative.*

Ad 8. *Negative; nam id unice competit Episcopis Ordinariis; et quum Orator Praebendam retineat, necesse est ut praxi communi se conformet; nimirum, ut enunciatae benedictiones perficiantur a Celebrante.*

Ad 9. *Negative ad primam partem, et quoad secundam recurrat ad Sacram Caeremonialis Congregationem.*

Ad 10. *Affirmative in casu.*

Atque ita rescribere rata est, ac ex alias etiam Decretis declarare.

Die 23. Septembris 1848.

4980. VAPINCEN.

Quum Sacerdos Borel Cathedralis Vapincen. Ecclesiae Canonicus, ac in praesentiarum Curiae illius Episcopalis Vicarius Generalis Sacrorum Rituum Congregationem humillimis precibus rogarit, ut declarare dignaretur sequentia duo Dubia, nimirum

1. An quoties in Divino Officio locum habent Commemorationes Communes, seu suffragia Sanctorum, fieri debeat Commemoratio de Patrono loci? an de Titulari Ecclesiae? an de utroque?

2. An in Ecclesiis ubi Beatissima Virgo Maria est Titularis, sufficiat Commemoratio ipsius communis, vel potius fieri etiam debeat de peculiari Titulo, sub quo Ecclesia Deo dicata fuit in honorem ipsius Deiparae? vel saltem hoc in casu, an addenda sit commemoratio Sancti Patroni loci?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis ad relationem mei subscripti Secretarii utrique Dubio satisfaciendum censuit per generale responsum - *Serventur Rubricae, et Decreta.* - Quum enim in Breviarii Romani Rubricis Titulo XXXV. habeatur quod facienda sit commemoratio de Titulari, vel Patrono Ecclesiae, liquido apparet nil faciendum de Patrono Loci, nisi in casu quod insimul sit Ecclesiae Titularis; quod pluries Sacra ipsa Congregatio definivit, ac praesertim de anno 1690. quarto Idus Iunii in una Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia ad Dubium III., postquam ad Dubium II. declaraverat, quod pro Beata Maria Virgine Titulari, quocumque demum sub speciali Titulo Ecclesia Deo in honorem Beatae Mariae Virginis dicata sit, sufficiat Commemoratio Communis ante Completorium post Vesperas Sabbati in eodem Breviario assignata. Quae quidem Commemoratio communis Deiparae sufficit etiam quando Ecclesia nullum alium Sanctum in Contitularem habet; nam de Patrono Loci, neque hoc in casu instituenda est commemoratio.

Atque ita decernere rata est, ed declarare.

Die 23. Septembris 1848.

*Sequentia Decreta heic subiicimus, ne cui de eorum authenticitate dubium oriri possit, quae, ex oblivione omissa, praelo jam datis reliquis Decretis, in ordine suo reponi nequibant.*

4981. ORDINIS SANCTI BENEDICTI CONGR. CASSINENSIUM.

Ea est conditio Patriarchalis Ecclesiae Sancti Pauli Apostoli via Ostiensi, et adnexi Monasterii Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cassinensium, ut aestivo tempore Monachi ob aeris insalubritatem adigantur illud Monasterium deserere, et loco Hospitii se recipere ad Aedes, quae adnexae sunt Ecclesiae Sancti Callixti Papae penes Basilicam Sanctae Mariae Transtyberim. Quo tempore perdurante nonnulli ex Monachis pergunt per turnum mane tantum Officia sacrasque Functiones peracturi recensita in Patriarchali, dum vespere in Choro Sancti Callixti, caeteris cum Monachis assistunt, et hoc Vesperale Officium satisfit ac si recitaretur in Ecclesia Sancti Pauli. Quum itaque istae Ecclesiae adeo inter se sint unitae, ut una prorsus censeatur, hinc a centum et ultra annis factum est, ut in natali die Sancti Callixti Papae Martyris Titularis hujus secundae, vel Hospitii Ecclesiae, in Patriarchali de eodem sit recitatum Officium respondenti ritu primae Classis, ac Monachi, qui huic inserviunt, mane

ad sacra facienda difformes essent Vespere a caeteris in Divinis persolvendis Laudibus. Huic tamen consuetudini refragatur Decretum Sacrorum Rituum Congregationis diei 5. Octobris 1697. hactenus Monachis ipsis ignotum, propterea eidem Sacrae Congregationi humillime supplicavit Reverendissimus Abbas recensiti Monasterii, ut attenta hac centenaria consuetudine supradictis Monachis liceat praxim hanc servare quoad Officium Sancti Callixti Papae Martyris. Et Sacra Congregatio in Ordinariis Comitiis apud Vaticanas Aedes coactis die 18. Februarii anno vertente, audita relatione a me subscripto Secretario facta, rescribendum censuit - *Audiatur Magister Caeremoniarum* - Elaborato itaque super re Voto ab alterutro ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, illoque in sequenti Ordinario Sacrorum Rituum Conventu subscripta die coadunato Eminentissimis Patribus communicato, quoniam Votum non fuit praelo cusum, in communi sensu fuere remittendum esse ad Dominum Assessorem, qui videat. Omnibus propterea debito modo visis, et examinatis, iidem Eminentissimi, et Reverendissimi Patres in casu rescripserunt - *Juxta votum* - nimirum - *servari posse consuetudinem quoad Officium Sancti Callixti usque dum hoc Monasterium naturam Hospitii induat, ac restrictus sit Monachorum numerus.*

Atque ita rescripserunt, ac servari posse mandarunt.

Die 17. Junii 1843.

4982. ROMANA COLLEGII ANGLORUM.

Beatissimo Padre,

Tommaso Grant Rettore del Collegio Inglese prostrato ai piedi di Vostra Santità umilmente espone, che essendosi mosso il dubbio se la collazione della Tonsura clericale ad Edmondo Pomer Convittore del suddetto Collegio sia valida, come essendogli stati tagliati a tale oggetto i capelli non già della testa, ma della parrucca, ch'egli portava.

Supplica che Vostra Santità si degni permettere, che gli si possa conferire la Tonsura di nuovo ad cautelam, et quatenus opus sit. Che etc.

Sanctissimus, referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, attentis expositis super Tonsura peracta, benigne annuit pro sanatione, quatenus opus sit, a quocumque defectu, adeo ut nihil sit ulterius innovandum. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 25. Septembris 1846.

4983. RITUS GRAECI.

Beatissimo Padre.

Stefano Missir Arcivescovo di Irenopoli esercente i Pontificali di Rito Greco in Roma umilmente espone alla Santità Vostra, che il modo praticato dai Sacerdoti Greci nell'atto di communicare i fedeli sotto ambedue le specie miste in un comun Calice và soggetto a doppio inconveniente.

Primo, perchè dispensandosi la Comunione per mezzo di un cucchiarino senza mai tergerlo dopo ogni parziale distribuzione, si corre pericolo di profanare il Sagramento col vomito, essendo costretti i comunicandi, e particolarmente il Celebrante di assumere con ripugnanza le salive, ed altre schifezze di bocca, che necessariamente si depositano nel Calice.

Secondo, perchè in tal caso si potrebbero contrarre delle malattie di bocca, alle quali non di rado vanno soggetti alcuni fra i comunicandi.

Per ovviare a questo doppio inconveniente, i Sacerdoti delle Colonie Greche in Sicilia hanno adottato l'uso di astergere il cucchiarino dopo ogni

parziale Comunione con un purificatojo, che a tale effetto recano in mano. Quest'uso però non sembra andare esente da notabile indecenza: sì perchè potendo restare attaccate delle specie del pane al purificatojo massime ne'giorni di freqnente comunione, vi è pericolo che esse specie cadano in terra per il continuo movimento del purificatojo stesso; sì perchè questo inzuppato già delle specie del vino, si chiude nel Corporale terminata la comunione, lasciandolo sull'Altare sotto il libro degli Evangelj fino all' ultima Messa, e quindi si ripone in Sagrestia senz'altro riguardo.

L'Oratore pertanto si prende la libertà di sottoporre alla sapienza della Santità Vostra un altro modo di comunicare i fedeli sotto le due specie, che crede scevro da qualsivoglia inconveniente.

Si prepara in una Pisside una quantità sufficiente di pane fermentato, ciascun pezzo della dimensione quasi della Particola dei Latini. Fattane la consecrazione, e communicatosi a suo tempo il Sacerdote, estrae dalla Pisside tante particole, quante servono per formarne uno strato nella Patena, la quale presso i Greci è capace di contenerne un buon numero, essendo di diametro più grande, e molto più fonda, che quella dei Latini. Quindi con un cucchiarino adatto prende dal Calice tante stille di Sangue quante sono le particole nella Patena, e le pone successivamente sopra ciascuna di esse. Ciò fatto si volta verso il Popolo colla Patena in mano, e prendendone con due dita la Sagra Particola comunica.

Questo modo quanto semplice, altrettanto decente, sembra doversi costantemente adottare. Perciò l'Oratore supplica la Santità Vostra a volerlo approvare, obbligando tutti i Sacerdoti della Chiesa Greca di osservarlo nell' amministrazione del Sagramento Eucaristico. Che etc.

Quas quidem preces, cum apposita Informatione R. P. D. Secretarii Sacrae Congregationis de Propaganda Fide requisita Kalendis Septembris superiori anno 1838., quum in Ordinariis Comitiis Sacrorum Rituum Congregationis ad Quirinale habitis, retulerit iterato R. P. D. subscriptus Secretarius, Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi post maturum omnium examen, rescribendum censuerunt: *Nihil innovetur.*

Die 31. Augusti 1839.

4984. URBIS ET ORBIS.

Dilectus Deo et hominibus Sanctus Antoninus Florentinorum Antistes, quum ab ipsa pueritia sibi proposuerit Deo plenissime adhaerere, viamque mandatorum ejus alacri semper gressu percurrere ponens in Domino spem suam, morum integritate, vitaeque sanctimonia promeruit ut divinitus dirigeretur ad poenitentiam gentis, ac tollendam abominationem impietatis. Siquidem gubernans ad Dominum cor suum, optavit et datus est illi sensus ac spiritus sapientiae, omniaque bona pariter cum illa adeptus, super salutem et speciem dilexit illam, atque illius inextinguibili splendore adductus, in diebus peccatorum corroboravit pietatem. Pastorali dignitate et officio cohonestatus, quasi sol effulsit in templo Dei forma factus gregis, ex animo et sollicite attendens sibi eidemque gregi, in quo Spiritus Sanctus eum posuit Episcopum regere Ecclesiam Dei, quam humani generis Redemptor acquisivit Sanguine suo, curavit gentem suam, et liberavit eam a perditione. Propter quod vigilans, sibique concreditorum fidelium commoda et utilitates inquirens, vix dici potest quantum prudentia, pietate, charitate, ac sacerdotali zelo in hoc munere excelluerit, non gloriandi, et acquirendi cupiditate, sed obediendi et

subveniendi, et Deo placendi charitate. Nil aliud scire nisi Iesum Christum et hunc crucifixum, omnibus sive longe sive prope fuissent, evangelizavit pacem, evangelizavit bona non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, donec occurrit in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, et adeptus est coronam justitiae bono certamine legitime expleto, cursu integre consummato, ac fide sanctissima servata. Etsi insignis hujusmodi viri nomen undique inclaruerit, ac penes omnes ejus memoria in benedictione permaneat, attamen ut ejus cultus magis magisque augeatur, nonnulli Eminentissimi et Reverendissimi Domini Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales non minus quam plures amplissimi Antistites, ac in primis Reverendissimus Archiepiscopus Florentin. cum Reverendissimo Patre Magistro generali Ordinis Praedicatorum, cujus Institutum juvenis adhuc Sanctus Antoninus complexus est, Sanctissimum Dominum Nostrum Gregorium XVI. Pontificem Maximum humillimis precibus instantissime efflagitarunt, ut festum Sancti Antonini Episcopi Confessoris, quod jamdiu ab universali Ecclesia cum Officio et Missa sub ritu semiduplici instituitur, pro Clero tum Saeculari tum Regulari, non exclusis cujuscumque Ordinis Sanctimonialibus ad horas canonicas persolvendas adstrictis, ad ritum duplicis minoris de speciali gratia elevare dignaretur. Enixis hujusmodi precibus a Sanctitate Sua peramanter exceptis, referente me infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario decimo Kalendas Septembris superiori anno 1844. benigne annuit juxta petita, attamen pro Italia tantum, et Insulis adjacentibus.

Verum quum idem Reverendissimus Florentin. Archiepiscopus cum nonnullis aliis etiam exterarum gentium Praesulibus, et Religiosorum Ordinum Moderatoribus iterum supplicarit ut enunciatum Indultum Italiae et Insulis adjacentibus concessum ad universalem extendatur Ecclesiam, ac de mandato ejusdem Sanctitatis Suae novis hisce precibus actum fuerit in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis comitiis ad Quirinales Aedes habitis octavo Idus vertentis mensis et anni, Eminentissimi et Reverendissimi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: *pro gratia, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo.*

Supra quibus omnibus facta iterum Sanctissimo Domino per me Secretarium fideli relatione, ipsa Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis auctoritate Apostolica confirmans, edixit ut deinceps festum Sancti Antonini Episcopi Confessoris ab universali Ecclesia recolatur cum Officio et Missa jam concessis sub ritu duplici minori. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12. Septembris 1845.

4985. ROMANA.

Peractis in Patriarchali Vaticana Basilica a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI. novissimae Canonizationis Solemniis, pro quibus rite explendis summo labore connituntur universi Sanctae Sedis Apostolicae Caeremoniarum Magistri, hisce nihil solemnius erat quam Sanctorum singulas Imagines in grati animi ergo accipere juxta jus sancitum in nova Reformatione edita a sanctae memoriae Benedicto Papa XIV. sub die 14. mense Aprili anno 1741. Sed insperato res contra accidit; et horum Supranumerarii animadvertentes Seniores tantum, qui de numero sunt, pictis tabulis donatos a Postulatoribus fuisse, omni apud ipsos incassum adhibito studio ut a coepto desisterent, supplicem libellum porrexerunt Eminentissimo et Reverendissimo

D. Cardinali Carolo Mariae Pedicini Episcopo Praenestino, S. R. E. Vice-Cancellario, et Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, qui una simul praeerat particulari coetui ab eodem Sanctissimo Domino Nostro deputato pro dirimendis quaestionibus, quae oriri possent vel ante vel post Canonizationem, quatenus dignaretur opportune providere. Eminentissimus Cardinalis Praefectus cum facultatibus sibi attributis, Calendis Septembris superiore anno 1839. rescripsit: *et Oratores Supranumerarios juxta reformationem recensitam pictis tabulis donandos esse.* Attamen quum Postulatores hactenus moras trahant, ut scandalum de medio tollatur, et jus quaesitum sibi vindicent, Sacrorum Rituum Congregationi novas supplicationes porrexerunt ipsi Caeremoniarum Magistri Supranumerarii.

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanas Aedes subscripta die ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Praefecti, omnibus rite consideratis, unanimiter rescribendum censuit: *juxta Benedictinam Reformationem, et allatum rescriptum diei* 1. *Septembris* 1839. *Oratoribus Caeremoniarum Magistris pictas tabulas a Postulatoribus Canonizationis deberi.*

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 11. Aprilis 1840.

4986. MEDIOLANEN.

Beatissimo Padre.

Il Sacerdote Ambrogio Custodi Canonico Confessore, e Maestro di Casa nella Collegiata del borgo di Busto-Arsizio di questa Archidiocesi di anni 58. veniva nello scorso anno colpito di un attacco apopletico, che gli lasciava offesi di paralisi il braccio, e la mano destra. Restandogli però integre le facoltà mentali, libera la pronunziazione, e sufficiente sanità, egli si abilitava con l'esercizio della mano sinistra (colla quale arriva a scrivere chiaramente) a compiere le ceremonie prescritte dalle Rubriche alla celebrazione della S. Messa per modo che il Paroco Preposto locale dopo di aver assistito ad un' apposito esperimento, attestavami che i riti, e le ceremonie erano practicate con precisione, regolarità, convenienza, e decoro, e quindi che si potea accordare al medesimo Canonico la grazia di celebrare la Messa. La sola ceremonia, che non eseguivasi da esso a rigore di Rubrica, era la frazione dell'Ostia prima del *Pater noster*, poichè in vece di rompere le specie sacramentali sull' estremità della coppa del Calice, la frazione era fatta sulla Patena, dopo di che la particella dell'Ostia veniva posta regolarmente nella tazza del Calice a sensi della Rubrica del Rito Ambrosiano. Dalle quali informazioni potendo io desumere, che la paralisi del braccio, e della mano destra fosse a tal punto da permettere qualche movimento e conoscendo dal complesso delle circostanze riferite che l'irregolarità *ex defectu* non fosse che dubbia credetti concedere a quel Sacerdote piissimo di riassumere colle debite cautele la celebrazione della Santa Messa, come di fatto egli fece per circa tre mesi.

Ma come io venni, dietro più esplicite informazioni a riconoscere il di lui fisico impedimento maggiore dalla mia prima supposizione, essere cioè il braccio, e la mano destra veramente inoperosi, come lo sono anche presentemente, lo indussi a desistere dalla celebrazione della Messa, finchè si fosse ottenuta la Pontificia dispensa dalla irregolarità certa.

Ritenuto ch'è rimoto il pericolo di scandalo, stante che quelli, che assistet-

tero alla Messa celebrata dal Canonico Custodi col detto impedimento lungi dallo scandalizzarsi, rimasero edificati, come mi si attesta, nell'osservare le ceremonie esattamente eseguite, e nel vedere la divozione del celebrante, senza che mai sia accaduto alcun'inconveniente benchè minimo tanto in riguardo alle specie sacramentali, quanto rapporto alla dignità, e decoro dovuto ad azione così augusta e santa, e atteso altresì, che il sudetto Sacerdote merita i più benigni riguardi per la sua esemplare pietà, e virtù onde gode di molta stima in quel popoloso Borgo, nella mia qualifica di Arcivescovo di Milano, oso vivamente raccomandarlo alla Santità Vostra, perchè benignamente si degni graziarlo dall'esposta irregolarità *ex defectu*, onde possa aver la consolazione di poter riassumere la celebrazione della Santa Messa. Che della grazia etc.

Sanctissimus, referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, attentis expositis, ac Testimonialibus Litteris Reverendissimi Archiepiscopi Mediolanen. habitaque in scriptis sententia alterius ex Consultoribus Theologis, de speciali gratia eidem Antistiti facultates omnes necessarias, et opportunas tribuit, ut Oratorem dispensare valeat super expressa irregularitate ex defectu, adeo ut cum assistentia alterius Sacerdotis cotta induti, iterum Sacrosanctum Missae Sacrificium licite, ac libere celebrare queat, attamen in Ecclesiis loci tantum, ubi cognito infortunio scandalum removetur, dummodo post formale experimentum coram Caeremoniarium Episcopalem, vel alium Sacerdotem in Ecclesiasticis Caeremoniis apprime versatum ab ipso Sacerdote iterandum nil aliud impediat quominus Missam celebret. Contrariis quibuscumque disponentibus minime obstantibus.

Die 27. Septembris 1848.

4987. CONGREGATIONIS SANCTISSIMI REDEMPTORIS.

Beatissimo Padre.

Orazio Montalcino Sacerdote della Congregazione del Santissimo Redentore di stanza nella casa di Stilo Diocesi di Squillace nel Regno di Napoli prostrato ai piedi della Santità Vostra umilmente espone, che per i mali di podagra sofferti per molti anni gli è restata tal debolezza nel ginocchio destro, che non gli riesce star dritto in piedi: trovasi non però libero nelle braccia, e nelle mani perfettamente. Ora il supplicante, che non ha ancora compito l'anno quarantesimo ottavo di sua età a trovar conforto nel suo male, bramerebbe aver la consolazione di celebrare la Santa Messa seduto - *Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. Pontifex Maximus, referente me subscripto S. R. C. Secretario, attentis expositis, ac aliis peculiaribus circumstantiis, animum suum moventibus, de speciali gratia nullo umquam tempore in exemplum afferenda ad proximum triennium benigne annuit juxta petita; dummodo in Oratorio privato semper celebret, ac alter Sacerdos superpelliceo indutus ei omnino assistat a principio ad finem Missae.* - Contrariis etc.

Die 10. Julii 1846.

4888. SALERNITAN.

Beatissimo Padre.

Il Sacerdote Cassandro Donatore Canonico della Collegiata di Eboli Diocesi di Salerno Oratore umilissimo della Santità Vostra devotamente espone ritrovarsi in età di anni 70. quaranta de'quali ha servito la Chiesa sudetta. Trovandosi da tredici anni a questa parte confinato in casa, oppresso dai dolori di podagra e conagra in modo da non potersi alzare dal letto senza sommo do-

lore, e senza ajuto di due persone, trovandosi solo senza parenti, e senza beni di fortuna a meno di una casetta di suo sacro patrimonio di attuale sua abitazione, ottenne nel 1835. dalla sa: me: di Gregorio XVI. di poter celebrare la Santa Messa in casa, durante la sua infermità, per cui ha eretto nella sua abitazione l'Oratorio privato, ove quando ha potuto, ha celebrato per sodisfare ai Legati annessi al suo Beneficio. Non potendo però stare continuamente in piedi durante il Sacrosanto Sagrifizio, stà appoggiato ad un sgabello senza spallina, mentre non trascura alcuna delle ceremonie, e genuflessioni facendole con ogni rito, gli è venuto scrupolo di non poter ciò fare senza una particolare autorizzazione di Vostra Beatitudine; per cui supplica poter proseguire a celebrare poggiato allo sgabello suindicato, giacchè senza la celebrazione della Santa Messa, gli mancherebbero i mezzi di sussistenza sì per l'oratore, che per tre persone di servizio, che necessariamente deve tenere per accudire alla sua assistenza. Spera di essere da Vostra Beatitudine esaudito, onde non vedere esposto il povero Oratore alla miseria, nella quale si rinverrebbe senza la celebrazione della Santa Messa - *Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. Pontifex Maximus, referente me subscripto S. R. C. Secretario, et attentis potissimum expositis, benigne commisit Reverendissimo Salernitano Archiepiscopo; ut dummodo preces veritate nitantur; factoque per Ecclesiasticam personam a se deputandam experimento, Sacrum tali modo privato in Oratorio peragendum bene, et decenter se habere, Sacerdoti Oratori juxta petita indulgeat; servatis tamen de caetero servandis.* Contrariis non obstantibus.

Die 14. Augusti 1846.

4889. ORDINIS MONACHORUM CISTERCIENSIUM.

Quum Reverendissimus P. Procurator Generalis Ordinis Cistercensium iteratis humillimis precibus Sanctissimum Dominum Nostrum Pium IX. Pontificem Maximum enixe rogarit, ut instar concessionis usque ab anno 1764. tertio nonas Augusti factae Ordini Sancti Benedicti Congregationis Olivetanae, ac in sequentibus annis Camaldulensibus et Cassinensibus extensae de Apostolica benignitate indulgere dignaretur omnibus et singulis personis Ecclesiasticis Saecularibus servitio Monasteriorum, et Ecclesiarum, ac Granciarum sui Ordinis addictis, nunc et pro tempore existentibus, aliisque intra claustra eorumdem Monasteriorum assidue habitantibus, et cum Monachis conviventibus, ut donec, et quousque in servitio praedicto, seu in convictu intra claustra cum Monachis perduraverint, si Divinum Officium, horasque Canonicas recitare teneantur, absque ullo conscientiae scrupulo Officium Divinum, Horasque Canonicas juxta Ritum ipsius Ordinis Cistercensium, seu dictorum Monasteriorum, in quibus ipsi existunt, seu servitio addicti reperiuntur, non solum in Choro cum Monachis, sed etiam, si in Choro una cum aliis Monachis minime praesentes sint, seorsim, et separatim recitare possint, et valeant. Sanctitas Sua, referente me subscripto S. R. C. Secretario de speciali gratia benigne annuit pro extensione supraenunciati Indulti; dummodo tamen Sacerdotes, aliique ecclesiastici Saeculares aliquo Beneficio speciale Officium requirente non sint provisi, et consensu proprii Ordinarii sint muniti.

Die 28. Augusti 1846.

4890. ROMANA.

Beatissimo Padre.

Genuflesso ai sacri piedi della Santità Vostra il Sacerdote Simone Perco-

vih Canonico Decano dell' insigne Capitolo di San Girolamo degl'Illirici in Roma, devotamente espone, che da molti anni trovasi affetto da un' artitriole dorsale, il che viene chiaramente provato dal certificato del medico, e chirurgo curanti, si è nell' avanzata sua eta di anni sessantacinque reso quasi impotente a consumare il Preziosissimo Sangue Eucaristico a motivo dell'incurvatura del collo, che non può alzare, ne girare per alcun verso, non ostante un calice convesso appositamente fattogli. Presso un' impedimento sì evidentemente fisico, obliga in stretta coscienza l'umile Oratore per la debita riverenza di un tanto Sagramento, di ricorrere alla somma paterna clemenza della Santità Vostra per supplicarla della special grazia di poter usare del cannelluccio assorbente nella Sacra Consumazione. Che etc. *Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. referente me subscripto S. R. C. Secretario, de speciali gratia benigne commisit Eminentissimo Card. Urbis Vicario, ut quatenus Preces veritate nitantur, et Orator valeat ex propria conditione Indultum Oratorii privati assequi, eidem facultatem tribuat in ipso Oratorio tantum Sacrum faciendi cum usu Fistulae pro sumptione Calicis; constito tamen prius per legittimum documentum, et experimentum quod nihil inde vel indecentiae, vel periculi oriri possit.* Contrariis non obstantibns quibuscumque.

Die 20. Novembris 1846.

4891. NICOSIEN.

Beatissimo Padre.

Il Sacerdote Croce Bongiovanni del Commune di Leonforte Diocesi di Nicosia in Sicilia espone essere disgraziatamente attaccato da una semi-paralisi, la quale mentre ha lasciato liberi tutti i movimenti del corpo, compresa la loquela, le impedisce di poter alzare il braccio sinistro nell' elevazione della Sacra Ostia nel celebrare la S. Messa; ed è per qnesto che umilia al Trono della Santità Vostra le più umili sne preghiere, perchè si degni abilitarlo a celebrare servendosi della sola mano destra nella elevazione, ed altre ceremonie del santo Sagrifizio. Che ete. *Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. Pontifex Maximus, attentis expositis, ac referente me subscripto S. R. C. Secretario de speciali gratia benigne annuit juxta preces; dummodo privatim celebret cum assistentia alterius Sacerdotis.* Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 20. Novembris 1846.

4892. ARETIN.

Beatissimo Padre.

Il Sacerdote Giuseppe Teoni della Diocesi di Arezzo espone umilmente alla Santità Vostra, come tenendo egli colla mano sinistra un certo fuoco di artefìcio, questo esplose improvisamente, per lo che ferita, anzi totalmente guasta la mano sudetta, credettero i Professori di venirne all'amputazione per ovviare la cangrena.

Dall' epoca, in cui avvenne la fatale disgrazia a tntt' oggi, il misero Oratore altro non ha fatto che addestrarsi, onde supplire colla sola mano destra a tutte le ceremonie della Santa Messa, come gli è di fatto riuscito. Di ciò fà ampla testimonianza il suo Vescovo nell'annesso attestato, da cui risulta, che fatto privato esperimento, egli senza bisogno di altrui ajuto, si veste, e si spoglia degli abiti sacri, senza che il publico si avvegga della mancanza della mano, ed eseguisce tutte le altre funzioni.

Supplichevole pertanto egli ricorre alla somma clemenza della Santità Vostra, onde in vista di quanto ha esposto, si degni permettergli la celebrazione della Santa Messa. Che della grazia etc. *Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. Pontifex Maximus referente me subscripto S. R. C. Secretario, attentis expositis, ac praesertim Reverendissimi Episcopi testimonialibus commendatitiis litteris, de speciali gratia benigne annuit juxta preces dummodo vero Orator privatim celebret et cum alterius Sacerdotis assistentia. Contrariis.*
Die 18. Decembris 1846.

4893. MUTINEN.

Beatissimo Padre.

Luigi Reggianini Vescovo di Modena per la sua avanzata età, ed indebolita salute non potendo più pontificare nelle maggiori ricorrenze senza grave pregiudizio della medesima, prostrato al Trono della Santità Vostra, implora la facoltà d'impertire la Benedizione Papale, ancorchè assista soltanto alla Messa solenne. Che etc. *Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. Pontifex Maximus, referente me subscripto S. R. C. Secretario attentis expositis, de speciali gratia benigne annuit juxta preces, quando revera Episcopus Orator nequeat ob salutis incommoda Pontificalia exercere.* Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 15. Januarii 1847.

4894. ROMANA.

Beatissimo Padre.

Il Sacerdote Giuseppe Gasparetti da Casteldemilio Diocesi di Ancona domiciliato in Roma divotamente espone, che per serie malattie sofferte, è obligato bevere sempra l'acqua, ed è talmente alieno del vino, che non può soffrirne nè anche l'odore. Per ovviare adunque quegl'inconvenienti che potrebbero nel tempo del S. Sagrifizio sconcertarlo anche con irriverenza del Santissimo Sagramento implora l'Apostolica Dispensa di non usare il vino nelle due purificazioni della Santa Messa, e così sumere solo il Sacro Sangue, e poi usare per le purificazioni la sola acqua. Che dalla grazia etc. *Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. Pontifex Maximus, referente me subscripto S. R. C. Secretario, attentisque expositis de speciali gratia benigne commisit Reverendissimo Domino Cardinali Urbis Vicario, ut constito de veritate expositorum per authenticas probationes petitum indultum Oratori largiatur extenden. quoad eadem salutis perdurent incommoda.* Contrariis non obstantibus quibuscumque.
Die 15. Januarii 1847.

4895. REGNI SARDINIAE.

Sacerdotes Cappellani Regiae Sardiniae Marinae grave admodum quum experiantur in itineribus ut plurimum ferialibus diebus abstinere ab incruento Missae Sacrificio celebrando, nam in Festis Missam celebrare assolent in Sacellis positis in latere Navis supernatantis, ubi comitatus etiam dormit, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium IX. Pontificem Maximum proprio, et Consodalium nomine rogavit Sacerdos Aloisius Mellini, ut Apostolicum elargire dignaretur indultum cujus vigore ipsis deinceps liceat dum in itinere maritimo versantur Missam singulis diebus celebrare in proprio cubiculo, ubi de nocte dormire adiguntur. Sanctitas Sua referente me subscripto S. R. C. Secretario, de speciali gratia benigne annuit juxta preces, secluso tamen omni periculo, et dummodo debitae decentiae fuerit consultum. Contrariis.
Die 5. Martii 1847.

4896. SANCTI SEVERINI.

Quum Reverendissimus hodiernus Episcopus Administrator Ecclesiae Sancti Severini probe comperiat juxta alias Decreta a Sacra Rituum Congregatione sibi non licere in solemnibus Vesperis, ac Missis in Pontificalibus sedere in Cathedra sub Baldachino, neque ibidem assistere Missis, quae per alios celebrantur cum cantu, sed in primo casu uti debere Faldistorio, et in secundo sedere tantum in digniori Chori Stallo; ne perinde imminuatur splendor Sacrarum Caeremoniarum, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium IX. Pontificem Maximum supplex adivit, enixeque rogavit, ut de Apostolica benignitate indulgere dignaretur, ut ipse tam in Pontificalibus quam in assistentia Missis solemnibus, aliisque Ecclesiasticis functionibus praestanda sedere valeat in Cathedra sub Baldachino. Sanctissimus, referente me subscripto S. R. C. Secretario, attentis peculiaribus circumstantiis, ac praesertim quod novissimus Episcopus renunciationem Sedis emiserit, de speciali gratia in exemplum non afferenda annuit juxta Episcopi Administratoris preces. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 5. Martii 1847.

4897. CALAGURITAN.

Beatissime Pater.

Placidus Bruno de Gandraundo Sacerdos Saecularis Oppidi vulgo Manquèa in Dioecesi Calaguritan. ad Vestrae Beatitudinis pedes provolutus humillime ex gratia postulat facultatem ad faciendam cum sola aqua purificationem Calicis, et ablutionem digitorum in Sacrificio Missae propter repugnantiam ad vinum ob difficultatem digerendi illud, ob quas causas non utitur vino regulariter extra Missae Sacrificium. Et Deus etc. *Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. Pontifex Maximus referente me subscripto S. R. E. Secretario, de speciali gratia annuit; dummodo preces veritati nitantur.* Contrariis non obstantibus quibuscumque.

4898. ORDINIS CARMELITARUM DISCALCEATORUM.

Beatissimo Padre.

Il P. Domenico di San Giuseppe Commissario Generale de' Padri Carmelitani Scalzi dimorante nel Convento di Brussey in Francia prostrato ai piedi di Vostra Santità umilmente espone, che in detto Convento alcuni Sacerdoti secolari sogliono fare gli Esercizj spirituali in tutto uniformandosi all'istituto dell' Ordine, non che alla recita in Coro del Divino Officio. Affinchè i sopradetti Sacerdoti così facendo non abbiano da recitare due Officii; supplica Vostra Santità affinchè si degni dispensarli dal proprio Officio, recitando quello dell' Ordine. Che etc. *Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. Pontifex Maximus, referente me subscripto S. R. C. Secretario, de speciali gratia benigne annuit juxta preces.* Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 7. Maii 1847.

4899. ALATRIN.

Il Sacerdote Pietro Butti Canonico Teologo della Cattedrale di Alatri umilmente espone, che attesi varj incommodi di salute provenienti specialmente dalla podagra non può più reggersi in piedi. In sì penosa situazione quel che sommamente l'affligge si è il non poter celebrare la Santa Messa, per cui si fà coraggio di supplicare la Santità Vostra implorando la grazia di poter celebrare l'incruento Sagrifizio stando a sedere. Che etc. *Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. Pontifex Maximus, referente me subscripto S. R. C. Secre-*

*tario, de speciali gratia annuit juxta preces; dummodo tali modo in privato celebret Oratorio, commisitque Reverendissimo Episcopo ut videat num reddatur necessaria, assistentia alterius Sacerdotis, quo in casu illam omnino praescribat.* Contrariis.

Die 21. Maii 1847.

4900. MASSILIEN.

Beatissime Pater.

Ludovicus Meistre Canonicus ad honores Ecclesiae Cathedralis, necnon Rector Ecclesiae Sancti Vincentii a Paulo in Dioecesi Massiliensi in Gallia, ibique degens humiliter exponit Sanctitati Vestrae, quod apoplexia subito tentatus, dum concionaret, praesente populo, non potuit uno ab hinc anno Missam celebrare. Quum vero mens apud ipsum sit omnino libera, et potuerit omnia Rectoris officia adhuc implere, nisi celebrare Missam, quia manu sinistra uti libere non potest: et officia parochialia exercens teneatur Missam pro populo qualibet die Dominica offerre, et aliunde sinistra manus non sit omnino paralitica, ad Pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime ab ipsa petit ut dignetur benigne sibi concedere facultatem Missam de consensu Ordinarii celebrare adjuvante alio Sacerdote, quod absque ullo scandalo fieri potest. Quod Deus etc. *Sanctissimus, referente me subscripto S. R. C. Secretario, de speciali gratia commisit Reverendissimo Massiliensi Ordinario, ut veris existentibus narratis, factoque experimento coram Caeremoniario, ex quo constet nihil esse incongruum, et inconveniens Sacrificio: pro suo arbitrio, et prudentia Oratori indulgeat, ut cum omnimoda alterius Sacerdotis assistentia valeat in privato Sacello celebrare,* Contrariis non obstantibus.

Die 18. Junii 1847.

4901. ROSSANEN.

Beatissimo Padre.

L'Arcivescovo di Rossano Pietro Cilento prostrato al Trono di Vostra Beatitudine divotamente espone, che in diversi paesi della sua Diocesi per i detenuti vi sono le prigioni, quali sono prive di Cappelle, e suppellettili sacre, per cui i medesimi non possono adempiere gli atti di religione. Vi è disposizione Sovrana però per la costruzione di dette Cappelle interne, ma per circostanze ancora non si è mandata ad effetto. Affinchè gl'infelici racchiusi non rimangano privi della Messa ne' giorni festivi, l'Oratore prega vivamente Vostra Beatitudine volersi degnare accordargli le necessarie facoltà di poter fare erigere nella circostanza degli Altari portatili nelle dette prigioni. Che etc. *Sanctissimus referente me subscripto S. R. C. Secretario, benigne annuit pro gratia, dummodo Archiepiscopus Orator provideat vel per se, vel per suum Vicarium Generalem, vel alteram personam in Ecclesiastica dignitate constitutam decentiae loci, in quo provisorie erigendum est Altare portatile.* Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 30. Julii 1847.

4902. SOCIETATIS JESU.

Beatissimo Padre.

Giovanni Battista Rostaing Sacerdote della Compagnia di Gesù supplica umilmente la Santità Vostra a volergli benignamente concedere la facoltà di anticipare la recita di Vespero, e Compieta dopo le ore dieci del mattino, e quella del Mattutino e Laudi del dì seguente dopo il mezzo giorno anche con

un compagno. Che etc. *Sanctissimus referente me subscripto S. R. E. Secretario, de speciali gratia benigne in omnibus annuit juxta preces; sed in actu sacrarum Missionum tantum.* Contrariis.

Die 13. Augusti 1847.

4903. SOCIETATIS JESU.

Beatissimo Padre.

Giovanni Battista Rostaing Sacerdote della Compagnia di Gesù supplica umilmente la Santità Vostra a volergli benignamente concedere la facoltà di poter celebrare il Santo Sagrifizio della Messa due ore prima dell' aurora, e due dopo il mezzo dì. Che etc. *Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. Pontifex Maximus, referente me subscripto S. R. C. Secretario, de speciali gratia benigne in omnibus annnit juxta preoes, sed in actu sacrarum Missionum tantum,*

Die 13. Augusti 1847.

4904. ARETIN.

Il Sacerdote Giuseppe Teoni della Diocesi di Arezzo umilmente espone, che con venerato Rescritto del 18. Decembre 1846. li fù accordata facoltà di celebrare la Santa Messa – *dummodo tamen Orator privatim celebret, et cum assistentia alterius Sacerdotis* – e ciò per essere l'Oratore mancante della sola mano sinistra, mostruosità che viene occultata per mezzo di una mano artificiale, che chi nol sà non la distingue dalla destra illesa, e con questa sola si è reso atto ad adempiere con sicurezza, ed esattezza a tutte le ceremonie col preparare prima di andare all'Altare l'Ostia, perchè si presti a potersi dividere. Il che testificano tanto il Vicario Foraneo, che gli altri Parochi, e Sacerdoti, che hanno assistito l'Oratore in questo tempo come da Testimoniale di Monsig. Vescovo Diocesano, il quale certifica che il Teoni celebrando in publico il Divin Sagrifizio non può cagionare la menoma ammirazione degli Astanti. La difficoltà di potersi fare assistere dal proprio Parroco, ch' è l'unico Sacerdote del suo paese, e la necessità di procurarsi l'elemosina della Messa, onde vivere; in vista della menoma ammirazione, che dà agli astanti, supplica l'Oratore la Santità Vostra a concedergli la facoltà di poter celebrare in publico, e senza l'assistenza. Che etc. *Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. Pontifex Maximus, referente me subscripto S. R. C. Secretario, attentis potissimum Reverendissimi Episcopi Litteris commendatitiis, de speciali gratia benigne annuit juxta preces; dummodo tamen prius Episcopus ipse experimentum coram se instituat, quo certior fiat locum revera non esse indecentiae, et admirationi: caveatque ac stricte praecipiat ut nullimode Sacramentales species cum manu fictitia pertractentur.* Contrariis quibuscumque disponentibus minime obstantibus.

Die 27. Augusti 1847.

4905. ANCONITAN.

Beatissimo Padre.

Il Sacerdote Prospero Pichi Canonico della Cattedrale di Ancona avendo stabilito di fare un viaggio di mare, e non volendo in questo tempo restar privo della spirituale consolazione di celebrare l'incruento Sagrifizio della Santa Messa, supplica umilmente la Santità Vostra per la facoltà di poter celebrare nel Bastimento. Che etc. *Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. Pontifex Maximus referente me subscripto S. R. C. Secretario; de speciali gratia benigne*

*annuit juxta petita ; dummodo Orator omnem adhibeat diligentiam, ac curam impendat, ne Sacrosancta Mysteria in aliquo detrimentum patiantur.* Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 30. Septembris 1847.

4906. ANGLONEN. ET TURSIEN.

Beatissimo Padre.

Il Sacerdote Carlo Maria Andreassi Arciprete Curato del Commune di Amendolara Diocesi di Anglona, e Tursi devotamente espone trovarsi da più anni afflitto da sensibilissimi incommodi nello stomaco, quali quando lo affliggono vanno come una fiamma ardente a poggiarsi nell' inguina minacciandogli un' Ernia. Ha trovato l'Oratore sollievo nel mettersi immediatamente a sedere, o gettarsi sul letto. Il fatto si è che questo incommodo lo assale maggiormente nel momento della celebrazione della Santa Messa, per il che dal defonto Vescovo fu autorizzato a celebrare la Santa Messa stando a sedere. Ciò fù permesso perchè spesso nell' atto del Santo Sagifizio bisognava che accorressero de'Sacerdoti per ajutarlo. Non potendo il supplicante trascurare il Divin Sagrifizio, perchè astretto dalla qualifica di Parroco, e ad evitare i sudetti disordini, ricorre a Vostra Beatitudine, ed umilmente implora la facoltà da poter celebrare la Santa Messa stando a sedere. Che etc. *Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. Pontifex Maximus, referente me subscripto S. R. C. Secretario, de speciali gratia, attentis peculiaribus circumstantiis annuit juxta preces ; dummodo privatim, vel janauis Ecclesiae clausis celebret ; cum omnimoda in utroque casu alterius Sacerdotis assistentia, et cum facultate deputandi alium Sacerdotem, qui diebus festis celebret pro populo. super quibus omnibus benigne commisit Reverendissimo Episcopo, ut pro sui arbitrio, et prudentia provideat.* Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 10. Aprilis 1848.

Decreta in hoc volumine relata ita reperiuntur in Regestis Decretorum existentibus in Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum.

In fidem etc.

Loco ✠ Sigilli

*J. G. Fatati S. Rit. Congr. Secretarius.*

EXPLICIT TOMUS OCTAVUS.

# INDEX

## RESPONSIONUM S. R. C. QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

bus Altare determinatum, necesse est ut Altare sit consecratum 4520 ad 56. Potest tamen apponi altera imago Sancti ob eumdem finem, sed de licentia Episcopi *ibid.*

2. Non lucrantur indulgentiam Altaris privilegiati qui celebrant Missam de festo simplici vel de feria non privilegiata 4631 ad 5.
3. Pro indulto Altaris privilegiati requiritur ut Altare sit fixum 4805.
4. Pro consequenda indulgentia Altaris privilegiati dicenda est Missa de requie, diebus a rubrica permissis: reliquis diebus consequitur cum celebratione Missae de officio currenti 4962.

De Altare portatili.

In publicis carceribus Civitatis Rossanensis erigatur diebus festis Altare portatile quousque decens oratorium fuerit extructum 5001.

V. *Episcopus* n. 3.
V. *Sepultura* n. 3.

De S. Andrea Ap.

V. *Festorum celebratio* n. 20.

De S. Aniceto P. M.

V. *Missa* n. 29-123.

De S. Antonio Patavino C.

V. *Regulares* n. 3.

De S. Antonino E. C.

V. *Officium* n. 218.

De aqua benedicta.

1. Aqua benedicta in triduo majoris hebdomadae removeri potest ab Ecclesia juxta consuetudinem 4520. ad 60.
2. Aspersio aquae benedictae in Dominicis fieri debet a celebrante 4523. ad 11.
3. Celebrans pergens ad Chorum pro aspersione aquae benedictae accedat per latus Epistolae vel Evangelii juxta laudabilem consuetudinem, quae rubricis non adversetur 4825.
4. Celebrans accedens ad Chorum pro aspersione aquae benedictae, pergat per latus Epistolae, et redeat per latus Evangelii 4830 ad 1.
5. In aspersione aquae benedictae singulis Dominicis facienda, debet adhiberi stola 4941.

De Archiepiscopis.

Archiepiscopus nequit uti Pallio extra suam dioecesim et provinciam, etiam si accedat consensus Episcopi ordinarii 4609.

## B

De baldacchino et umbella.

1. Indultum pro Seminario Arborensi quod dormiri possit supra sacellum, apposito tamen baldacchino, et remoto Ss. Sacramento 4621.
2. Umbella in Processione Ss. Sacramenti permitti potest quod deferatur a Priore Confraternitatis Ss. Sacramenti, sed extra Presbyterium, et ad Episcopi arbitrium 4771 ad 2.
3. Baldacchinum seu umbella prohibetur in processionibus cum sacris Reliquiis; in ingressu vero Episcopi, et pro sacra visitatione servetur Caeremoniale 4941 ad 1.

V. *Sancti Patroni* n. 5.
V. *Reliquiae* n. 4.

De Baptismi sacramento, et fonte baptismali.

1. In infusione sacrorum Oleorum in aquam baptismalem servetur Rituale Rom. 4474 ad 5.
2. Consuetudo benedicendi aquam baptismalem extra vas baptisterii retineri poterit 4536 ad 1.
3. Super adultum valide baptizatum si supplendae sint caeremoniae, adhibeantur

illae quae pertinent ad baptismum infantium 4631 ad 3.
4. Si supplendae sint caeremoniae super adultum ab haereticis baptizatum, servandae erunt illae quae sunt pro baptismo adultorum 4631 ad 4.
5. Ecclesiae filiali conceditur facultas erigendi fontem baptismalem sine praejudicio Ecclesiae matricis 4649.
6. In aquam baptismalem infundi debent Olea sacra nondum renovata si attentis omnibus temporum circumstantiis difficulter recipi possint Olea noviter consecrata 4672 ad 1.
7. In casu praedicto Baptisma conferri debet cum aqua recens consecrata licet in ipsam infusa sint olea praecedentis anni 4672 ad 2.
8. Aqua sic benedicta in sabbato sancto, debet servari usque ad vigiliam Pentecostes, in quo benedicitur fons cum novis oleis, si sint recepta 4672 ad 3.
9. Infantes in casu praedicto ungendi sunt cum oleis anni praeteriti 4672 ad 4.
10. Benedictio fontis facienda est etiam in Vigilia Pentecostes, et quaevis contraria consuetudo declaratur abusus 4847.
11. Fontis benedictio in Ecclesia Collegiata spectat ad Canonicum hebdomarium 4876.

De S. Barnaba Ap.

V. *Officium* n. 5-44-45.

De Basilicis minoribus.

Declaratio privilegiorum quae competunt Basilicae minori 4632.

De Beatis.

Nequit consecrari Ecclesia, cujus Titularis sit Beatus nondum canonizatus 4744.

De S. Benedicto Ab.

V. *Officium* n. 60.

De Benedictionibus.

1. Benedictio cum indulgentia plenaria in articulo mortis impertienda est pueris qui ob defectum aetatis Sacram. Eucharistiae nondum perceperunt 4474 ad 6.
2. In benedictionibus Candelarum, Cinerum, Palmarum, et similium in aspersione et thurificatione serventur rubricae et praxis communis 4520 ad 38.
3. Reprobatur *collectio benedictionum* auctore Bernardo Sannig. 4532 ad 5.
4. Superior Ordinis S. Joannis de Deo nequit dare facultatem benedicendi paramenta pro usu Ecclesiarum sui ordinis 4576 ad 1.
5. Prohibentur benedictionum formulae a S. Sede non approbatae 4599 ad 9.
6. Episcopus benedicens populo cum reliquia S. Crucis debet deponere mitram et pileolum 4665 ad 7. si benedicat cum reliquia alicujus Sancti mitram deponit *ibid.*
7. Potest servari consuetudo qua Sacerdos manu benedicat populo post litanias et preces, dicendo *Benedicat vos etc.* 4633. ad 4.
8. Missa in sabbato Sancto et sabbato Pentecostes, in festo Purificationis B. M. V. fer. IV. Cinerum, et dominica Palmarum celebranda est a Sacerdote qui benedictionem fontis, candelarum, cinerum, et palmarum peregit 4692.
9. Benedictio *ad omnia* pro Dioecesi Petrocorensi approbata 4959.

V. *Concio* n. 6.
V. *Baptisma* n. 2. 10. 11.
V. *Matrimonium* n. 2.
V. *Sabbatum sanctum* n. 1-5-10.

De Benedictione Apostolica ab Episcopis impertienda.

1. Si post Missam Pontificalem impertiatur benedictio Apostolica, Episcopus abstineat ab elargienda absolutione et be-

De Chori Servitio.

1. De diminutione servitii choralis pro Ecclesia Bovensi, attenta Ecclesiae humiditate maxima, et praebendarum tenuitate 46-68.
2 Sarvitium chori pro Cathedrali Derthonensi 4777.

De S. Clara Virg.

V. *Officium* n. 192.
V. *Moniales* n. 3.

De Clero.

1. Clerus debet Episcopo obedire si quid demandet circa functiones sacras, funera etc. 4677.
2. In principatu Carrariensi subiecto Episcopo Massensi non est inquietandus Clerus qui loco superpellicei rocchettum adhibet 4919.
3. Ecclesiastici saeculares Doctoris gradu decorati nequeunt uti annulo in functionibus 4889. ad 6.
V. *Missa* n. 87-88.
V. *Biretum.*
V. *Defuncti* n. 66. 67.
V. *Ss. Sacramentum.*
V. *Officium.*

De Coadjutoribus.

V. *Praecedentia* n. 11.

De concentu musico.

Locus pro concentu musico in Processionibus 4667-4835.

De Concione vel Concionatore.

1. Stolam in concionibus adhibere possunt Episcopi, et Presbyteri extra Urbem. 4520 ad 21.
2. Indulgentia quomodo concedi soleat Concionatori ab Episcopo intra Missarum solemnia? 4520 ad 13.
3. Canonici in propria ecclesia concionem habentes induere possunt vestes chorales, non sic extra propriam ecclesiam 4520 ad 26.
4. Canonicus gaudens rocchetto et mozzetta, in concionibus in propria ecclesia illis uti potest 4534 ad 1. Si vero tempore aestivo adhibeatur superpelliceum supra rocchettum, hoc habitu indutus poterit in propria ecclesia concionem habere 4534 ad 2.
5. Canonici Ecclesiae Collegiatae quoad habitum in concionibus 4792.
6. Benedictio ante concionem petenda est solummodo ab Episcopo ordinario, qui praesens sit concioni, et nullimode a Celebrante etiamsi sit Parochus et celebrans gaudeat usu pontificalium 4853-4889 ad 1 et 2.
7. Archipresbyter Vetrallae prima Dignitas Capituli et Parochus, in concionibus intra Collegiatam adhibere debet tantummodo superpelliceum et stolam. 4902 ad 10.
V. *Feria V. in Coena Domini* n. 10.
V. *Feria* VI. *in Parasceve* n. 13.
V. *Ss. Sacramentum.*

De Confraternitatibus.

1. Cappellano Confraternitatis licet incedere cum stola in processionibus 4476-4447-4641-4647-4659.
2. Confraternitas Ss. Sacramenti praecedit reliquas Confraternitates in processionibus Ss. Sacramenti. 4564.
V. *Feria* 5 *in Coena Domini* n. 5.
V. *S. Patroni* n. 8.
V. *Processiones* n. 4-5.
V. *Defuncti.*
V. *Ss. Sacramentum.*
V. *Parochus.*

De Congregatione Missionis.

Indulta nonnulla quae concessa sunt domui tyrocinii Congregationis Missionis in civitate Neapolitana. 4644 ad 1.
V. *Officium* n. 106.

De Congregatione Ss. Redemptoris.

V. *Officium* n. 178.

De Cong. Scholarum Piarum.

V. *Officium* n. 182.

De S. Corde D. N. J. C.

V. *Officium* n. 5-44-45-52-53-98-102-108.
V. *Missa* n. 52.
V. *Decreta particularia* n. 1.
V. *Ss. Sacramentum* n. 32.

De Cruce.

V. *Tempus Passionis.*
V. *Fer.* 6. *in Parasceve.*
V. *Defuncti.*

De Officio S. Crucis.

V. *Officium* n. 43.

# D

De Decretis S. Rit. Cong.

1. Decreta S. R. C. derogant consuetudini contrariae, et obligant conscientiam 4941 ad 16.
2. In dubiis super sensu concessionum audiatur S. Rit. Congregatio 4953 ad 1. et 2.

Decreta particularia.

1. Decretum pro conclusione hymnorum in festo S. Cordis Jesu pro civitate Venetiarum 4696 ad 8.
2. Decreta pro calendario dioecesis Mechliniensis 4763.
3. Rubricae Breviarii Romano-Seraphici reformentur declarando quod Officium de Dedicatione Ecclesiae non est festum Domini, et quod in die 2 Novembris reponi possunt duplicia translata 4827.
4. Decreta pro Cathedrali Mandelensi relate ad Missam conventualem 4874 ad 1. 2. et 3.
5. Decreta pro officiis Passionis D. N. J. C. in antiqua ditione Veneta recitandis 4880 ad 1-2-3-4 et 5.
6. Decreta ad instantiam Rmi P. Magistri Gen. Ord. Praedicatorum pro officio Immac. Conceptionis B. V. in eodem Ordine celebrando 4905.
7. Decreta particularia, quibus dantur indulta specialia pro Missae celebratione Sacerdotibus infirmis etc. requirantur sub num. 4861-4986-4987-4988-4990 4991-4992-4994-4997-4999-5000-5004-5006. Item celebrandi Missam in mari 4995-5005. Anticipandi Missam et Officii recitationem tempore sacrarum Missionum 5002-5003.

*Plura reperiuntur sub respectivis titulis.*

De Defunctis.

§. 1. *De Cadaveris ad Ecclesiam asportatione.*

1. Confraternitatum Cappellano licet incedere cum stola in Cadaverum associatione. 4466-4477-4647-4659.
2. Crux in cadaveris associatione elevanda est ab Ecclesia tumulante 4524. ad 1.
3. Si in Cadaveris associatione adsint plures Parochi, debetur praecedentia Parocho defuncti, qui stola indutus cadaver asperget aqua benedicta antequam e domo efferatur, et antiphonam *Exultabunt Domino* intonabit. 4524 ad 2.
4. In cadaveris associatione debetur praecedentia illi qui stolam induit. 4546 ad 1 et 2.
5. In funeribus, seu cadaveris ad Ecclesiam deductione si adsit Capitulum Collegiatae, debetur praecedentia Capitulo supra Parochum defuncti 4730 ad 1.
6. Crux elevanda est in funeribus, ab Ecclesia ad quam funus defertur, nisi adsit Capitulum Collegiatae, cui, in casu, hujusmodi jus spectat 4730 ad 2.
7. Crux unica defertur in funeribus sub qua procedunt omnes de clero tum saeculari tum regulari 4730 ad 3.

8. Capitulo Collegiatae debetur praecedentia in funeribus dummodo vel a Parocho, vel ab haeredibus defuncti sit invitatum. 4819 ad 3.

9. Crux unica in funeribus elevanda, eaque Capituli si ad funus accedat. 4819 ad 4.

10. Regulares ad funus acciti possunt e suo coenobio egredi, praecedente propria Cruce, dummodo non deferatur in pompa funeris, in qua incedere debent sub unica Cruce elevanda cui de jure. 4841.

11. Archipresbyter Dignitas Capiluli in funerum deductione debet uti superpelliceo et stola tantum 4902 ad 6.

12 Archipresbyter Capituli Dignitas in funerum associatione potest incedere cum Capitulo indutus insigniis canonicalibus, dummodo incedat sine stola 4902 ad 7.

13. In associatione cadaveris e domo ad Ecclesiam, Parochus stolam supra superpelliceum tantummodo induet, sine aliis paramentis, et sine ministris paratis cum dalmatica et tunicella 4904 ad 10.

14. Diaconus nequit cum pluviali associare cadavera loco Parochi, et sepulturam benedicere de licentia Parochi 4901 ad 12.

15. Mansionarius qui vices agat Parochi debet incedere cum stola in funeribus 4946 ad 2.

16. Canonicus supranumerarius simul Parochus in funeribus praesente Capitulo si procedat cum stola digniorem locum habet 4972 ad 1.

17. Confraternitates in funeribus nequeunt deferre Crucem sine velo appenso. 4747.

§. 2. *De Officio pro Defuncto.*

18 In officio defunctorum servari debent rubricae, ideoque nequit omitti ultimum responsorium cum precibus et oratione 4446 ad 4.

19 In recitatione Officii pro defunctis serventur rubricae. 4523 ad 15.

20 In ℟. *Libera me Domine* quae verba sint repetenda in duplici asterisco? 4599 ad 8. 4760.

21. Quando in anniversariis unum nocturnum recitatur, an sit dicendum invitatorium? 4740.

22 Cantato officio et Missa supra defuncti cadaver, permitti potest ubi viget consuetudo ut iterum cantetur officium tantum sine alia Missa 4904 ad 13.

23. Diebus ritus dupl. etiam majoris recitari potest officium pro aliquo defuncto ad piam voluntatem petentium 4904 ad 15.

§. 3. *De Missis solemni et privatis in obitu defuncti.*

24. Missa solemnis Defunctorum praesente cadavere nequit celebrari diebus solemnibus 4511.

25. Diebus festis, et duplicibus non possunt celebrari Missae privatae de requie etiam praesente cadavere 4570.

26. Missa solemnis defunctorum praesente cadavere prohibetur diebus festis solemnioribus, et hoc intelligitur tam in ipso die festi, quam in Dominica ad quam ipsa solemnitas solet amandari pro populi commoditate iis in locis, in quibus ex indulto Apostolico nonnulla festa sunt abrogata 4597 ad 14.

27. Missae privatae de requie etiam praesente cadavere nequeunt recitari diebus quibus juxta rubricas hujusmodi celebratio impeditur 4599 ad 6.

28. Diebus impeditis quando non adest cadaver nequit celebrari Missa de requie. 4633 ad 9.

29. Missa solemnis in die obitus licite cani potest quamvis ob rationabiles causas cadaver fuerit tumulatum 4674 ad 1.

30. Haec autem Missa solemniter cani

potest etiam in Dominica in Palmis 4674 ad 2.

31. Missa in die obitus potest decantari quamvis cadaver non sit praesens 4694 ad 1,

32. Pro Missa solemni in dies obitus in Hetruria servetur decretum alias latum 25 Aprilis 1781-4713 ad 7.

33. Missa solemnis Defunctorum ut licite valeat diebus impeditis celebrari praesente cadavere, requiruntur saltem ministri parati 5713 ad 7.

34. Missa in die obitus an possit decantari quando cadaver non adest? 4742.

35. Missa unica supra defuncti pauperis cadaver an celebrari possit sine cantu? 4745.

36. Ubi adest consuetudo recitandi Missam lectam defunctorum in obitu pauperis defuncti, retineri potest 4750 ad 1.

37. Idem tolerari potest, ubi usus invaluit 4774 ad 6.

38 In sepultura cadaveris nequit celebrari Missa privata de requie in Dominicis, aliisque festis 4822 ad 1.

39. Pro sepultura cadaveris seu in die obitus celebretur Missa solemnis cum cantu ut locum habeat diebus impeditis 4822 ad 2.

40 In duplicibus primae classis prohibentur Missae de requie praesente corpore 4839 ad 12.

41. In funere defuncti una Missa solemnis cantanda est supra cadaver: permitti potest ut repetatur officii defunctorum recitatio pro consuetudine 4904 ad 13.

§. 4. *De Missis solemnibus et privatis diebus tertio septimo tricesimo et anniversario ab obitu aut depositione: ac etiam a consanguineis vel haeredibus requisitis.*

42. Anniversaria, et exequiae diebus tertio septimo et trigesimo persolvi possunt etiam occurrentibus duplicibus majoribus 4496 ad 7.

43. Anniversarium pro defunctis alicujus communitatis nequit celebrari si occurrat officium duplex. 4520 ad 55.

44. Anniversaria a testatore non praescripta absolvi possunt diebus duplicibus si adsit indultum 4545. ad 1.

45. Quibus diebus et quo ritu celebrandae sunt Missa solemnes et privatae in levamen defunctorum, pro quibus oblata est stipes a fidelibus in concione habita tempore Quadragesimae? 4616.

46. In Missa solemni pro aliquo defuncto celebrata potest dici unica oratio cum Sequentia 4665 ad 11.

47. Quae Missa et quae orationes dicendae sint in Missa pro defuncto Sacerdote celebrata? 4665 ad 11.

48. In anniversario alicujus communitatis serventur rubricae quoad orationem Missae 4818 ad 4.

49. Missa solemnis pro defuncto ad instantiam consanguineorum ipsius defuncti nequit cantari diebus ritus duplicis 4926 ad 1.

50. In anniversario pro defunctis confratribus, si habeatur indultum, cantatur Missa solemnis cum unica oratione *Deus veniae largitor*. 4950 ad 10.

§. 5. *De Absolutione post Missam pro defunctis sive in eorum generali commemoratione, sive aliis temporibus.*

51. Antiphona cum psalmo *De profundis* omittantur post absolutionem ad tumulum in commemoratione omnium fidelium defunctorum. 4543.

52. Responsorium *In Paradisum* potest decantari pro consuetudine licet cadaver ad tumulum minime deferatur. 4545 ad 2.

53. Antiphona et psalmus *De profundis* debet recitari post absolutionem dum regreditur ad sacristiam 4545 ad 3.

Vvv

54. Non licet post Missam de festo cantare circa tumulum Resp. *Libera me Domine.* 4553.
55. In absolutione quae fit sine tumulo super pannum ante gradus altaris extensum servetur Caeremoniale Episcoporum 4665 ad 11.
56. Absolutio facienda est expleta Missa. 4665 ad 11.
57. In exequiis Sacerdotum canenda sunt in absolutione responsoria et preces juxta Rituale 4904 ad 12.
58. In commemoratione generali omnium defunctorum in absolutione cauetur ℟. *Libera me Domine*, et non alia. 4904 ad 14.

§. 6. *De Missis quotidianis pro defunctis.*

59. In Missis quotidianis defunctorum potest variari secunda oratio. 4633 ad 7. 4665 ad 11.
60. De Missa defunctorum diebus ritus semiduplicis et ferialis 4750 ad 7.

§. 7. *De Missa defunctorum pro prima die mensis non impedita.*

61. Defunctorum Missa celebranda prima die mensis est praeceptiva pro Cathedralibus, et Collegiatis 4910 ad 1. debet pro benefactoribus generatim applicari 4910 ad 2. Dicenda est cum tribus orationibus ut in Missis quotidianis 4910 ad 3. Tempore Adventus, Quadragesimae, et Paschae est omittenda 4910 ad 4.

§. 8. *De Missa solemni pro defunctis quoad horae celebrationem.*

62. Missae defunctorum solemnes cum assistentia Capituli celebrandae sunt post Primam 4708 (1).

§. 9. *De precibus et orationibus pro defunctis.*

63. Oratio *Inclina Domine* pro defuncto recitanda est sine nomine. 4538.
64. In choro recitari possunt aliquae preces pro Defunctis post Primam exceptis duplicibus primae classis 4858 ad 3.
65. In cantu Responsorii pro defunctis non est adhibenda stola. 4941 ad 3.

§. 10. *De Cadaveribus Episcoporum, Sacerdotum, et aliorum sacrorum ministrorum sacris vestibus induendis.*

66. Cadavera Episcoporum, Sacerdotum aliorumque ecclesiasticorum exponenda sunt induta sacris paramentis cuique ordini competentibus; et si adsit consuetudo sic induta sepeliantur 4520 ad 25.
67. Potest retineri consuetudo ponendi calicem in manibus Sacerdotis defuncti 4904 ad 11.

§. 11. *De oratione in laudem defuncti.*

68. In oratione in laudem defuncti sermocinaturus nequit uti stola (extra Urbem) tam in Cathedralibus quam in aliis ecclesiis 4865 ad 1 et 2.

§. 12. *De Missa solemni pro Defunctis ab Episcopo celebrata.*

69. In Missa solemni pro Defunctis ab Episcopo celebrata praeter ministros Altaris induunt quoque sacras vestes reliqui Canonici juxta Caeremoniale 4665 ad 13.

§. 13. *De Absolutione pro defunctis ab Episcopo peragenda.*

70. In absolutione ab Episcopo facienda,

(1) Confer rubricam Missalis tit. *de hora celebrandi Missam* n. 3.

quando non adsit cadaver, faldistorium pro Episcopo absolvente statuatur ad caput tumuli 4665 ad 13.

§. 14. *De Anniversario pro Episcopo praedefuncto.*

71. Faciendum est anniversarium illius Episcopi qui decessit cathedram tenens, licet alter ei successerit qui ad aliam Ecclesiam sit translatus 4520 ad 18.

72. Pro anniversario Episcopi praedefuncti servetur dispositio Caeremonialis Ep. 4523 ad 14.

§. 15. *De octiduo pro Defunctis in eorum generali commemoratione juxta morem pluribus in locis receptum.*

73. Defunctorum octiduum quomodo instituendum in Ecclesia Parochiali Oppidi *Fratta* Dioecesis Eugubinae? 4943.

74. Pro Missa una de requie in octiduo defunctorum non adest indultum 4965 ad 1.

§. 16. *De Juribus in funeribus.*

75. Quarta funeraria debetur Ecclesiae tumulanti 4852 4877.

76. Si defunctus sepeliatur in Ecclesia Sodalitatis sita intra limites Paroeciae, functiones omnes supra cadaver spectant ad Parochum. 4544 4643.

77. Pro cantandis Missis de requie requiritur in Ecclesiis parochialibus vel succursalibus consensus Parochi, in aliis vero consensus rectoris 4573.

78. Canonicus supranumerarius qui sit Parochus, in funeribus si cum stola procedat, digniorem locum habet; quod servetur etiam quoad stallum in choro in officio pro defuncto 4972 ad 1. Idem canere potest Missam solemnem supra defuncti cadaver; non autem diebus tertio, septimo, trigesimo, et anniversario, quod pertinet ad Canonicum hebdomadarium 4972 ad 2.

§. 17. *De adnotandis pro Missa defunctorum.*

79. In Missa defunctorum cani debent tum ℣. *Absolve* tum Sequentia. 4930.

80. In Missa de requie non sunt recitanda verba *Per Evangelica dicta etc.* post Evangelium 4950 ad 12.

81. In Missis defunctorum canenda sunt omnia quae suffragium respiciunt. 4957 ad 2.

V. *Altare privilegiatum.*

V. *Sepultura.*

V. *Ss. Sacramentum.* n. 10-17-25-27.

V. *Sabbatum Sanctum.* n. 18.

De Dignitatibus.

1. Primicerio seu primae dignitati Collegiatae tenentur Canonici ministrare in Missa solemni 4478.

2. Archipresbytero Primatialis Ecclesiae Pisanae ampliantur privilegia 4547.

3. Praeposito Ecclesiae Anagninae non competunt paramenta nobiliora et pretiosiora 4630.

4. Archipresbyter seu Dignitas Capituli tenetur cum reliquis Canonicis audire concionem tempore Adventus et Quadragesimae in scamnis ad hoc paratis, quin sibi parari faciat locum distinctum et divisum a reliquo Capitulo 4710.

5. Praeposito Collegiatae Maceraten. quae competant in functionibus 4712.

6. Prima Dignitas tenetur cantare Missam diebus solemnioribus impedito vel absente Episcopo 4901.

7. Archipresbyter intra Collegiatam tantum induere potest rocchettum, et reliqua insignia choralia 4902 ad 1.

8. Eadem insignia adhibere potest Archipresbyter in processionibus, dummodo incedat cum Capitulo, et sine stola 4902 ad 8.

9. Si in privilegiis alicui Collegiatae concessis, in indulto non nominetur Archi-

9. Post communionem benedicendus est populus manu dextera a Sacerdote, et non cum Sacramento 4599 ad 1. et 2.
10. De communione in Missis Defunctorum 4604-4665 ad 3.
11. In casu necessitatis potest ministrari Communio a Sacerdote vestibus missalibus induto, qui in alio Altare Missam celebravit 4628 ad 12.
12. Stola in communione adhibenda, debet esse coloris officio convenientis 4628 ad 13.
13. In Communione extra Missam recitandum ℣. *Domine exaudi etc.* ante orationem, juxta Rituale 4801 ad 3.
14. In Communione extra Missam decet quod bursa cum corporale deferatur a Sacerdote 4804 ad 3.
15. Non licet sine necessitate post communionem Missae celebratae in oratorio privato deferre Ss. Sacramentum ad infirmum in eadem domo decumbentem: at si urgeat necessitas fiat expleta Missa 4856.
16. In communione extra Missam semper adhibenda est bursa cum corporale 4915 ad 1 et 2 et Rubrica Ritualis Romani pro hoc praxi est praeceptiva *ib.* ad 3, neque sufficit palla super Altare posita, loco corporalis *ib.* ad 4.
17. Potestne ministrari Communio cum particulis praeconsecratis in Missa defunctorum celebrata cum paramentis violaceis? 4665 ad 3. 4950 ad 11.
18. Nequit negari Communio fidelibus extra Missam 4838.

§. 3. *De Viatico seu communione infirmorum.*

19. Viaticum licite potest ministrari intra Missam in xenodochiis licet celebretur cum paramentis nigris 4502 ad 1 et 2.
20. Consuetudo benedicendi populum cum Ss. Sacramento extra portam civitatis, quando defertur ad infirmos in agris, potest retineri 4536 ad 2.
21. Viaticum deferri debet per montes inaccessos a Parocho qui equitabit retinens pileum in capite, cum socio qui laternam accensam deferat 4890.
22. In ministrando Viatico Mexicanis infirmis standum est peculiari dispositioni circa Fidei professionem ab infirmo emittendam 4941 ad 10.
23. Parochus etiam absente indultario potest in casu necessitatis celebrare in oratorio privato ut Viaticum ministret infirmo 4633 ad 8.

§. 4. *De expositione.*

24. In expositione Sanctissimi Sacramenti permitti potest ut detegatur aliqua insignis imago 4490 ad 1 et 2 dummodo expositio non fiat pro oratione XL horarum *ibid.* ad 3.
25. In expositione Sanctissimi Sacramenti tolerari potest quod recitentur aliquae preces pro defunctis 4496 ad 5.
26. In expositione Sanctissimi Sacramenti non est adhibendum velum humerale si in eodem altare existat tabernaculum, in quo asservatur 4499 ad 2.
27. Missa solemnis defunctorum non est cantanda, si in Altari laterali sit expositum Sanctissimum Sacramentum 4501.
28. In expositione Sanctissimi Sacramenti pallium Altaris semper debet esse coloris albi 4503.
29. Quomodo genuflectendum a sacerdote celebrante ad Altare in quo est expositum Sanctissimum Sacramentum? 4520 ad 51 et 53. - Quomodo debeat manus lavare? *ib.* ad 52. - Quid servandum a ministris in Missa solemni *ib.* ad 54.
30. In casu peculiari permittitur unius Missae privatae celebratio in Altare in quo est expositum Ss. Sacramentum,

dummodo non ministretur fidelibus communio 4528.

31. Tempore expositionis Ss. Sacramenti adsint orantes duo Sacerdotes vel saltem duo clerici cum superpelliceo 4565 ad 2.

32. In Missa Sac. Cordis Jesu celebrata in Altare in quo est exposita sacra Eucharistia omittatur commemoratio Sanctissimi Sacramenti 4582.

33. In expositione Ss. Sacramenti pro oratione XL horarum ad quatuor dies protracta, Episcopus assignet diem et Missam die media decantari solitam 4595.

34. Nequit exponi sacra Pyxis in throno 4599 ad 4.

35. Regulares nequeunt exponere Ss. Sacramentum sine licentia Episcopi ordinarii 4628 ad 7.

36. Tempore expositionis tantum, dicenda est in Missis oratio Ss. Sacramenti 4632 ad 6.

37. In altare in quo est expositum Ss. Sacramentum nequit Missa celebrari 4662

38. Quando Ss. Sacramentum est expositum sed velatum non licet concionatori caput tegere 4665 ad 4.

39. Quando est exposita sacra Pyxis facienda est genuflexio utroque genu 4665 ad 5.

40. Exposita Reliquia alicujus Sancti, de quo festum agitur, nequit exponi in eodem altare per breve tempus sacra Pyxis donec aliquae preces recitentur 4683.

41. In expositione Ss. Sacramenti nequit de eo dici Missa votiva solemnis, nisi fiat expositio pro oratione XL horarum 4750 ad 6.

42. In festo S. Cordis Jesu si celebretur Missa solemnis coram Ss. Sacramento exposito potest permitti ejus commemoratio ad modum collectae 4774 ad 2.

43. Preces pro Defunctorum suffragio an permittendae coram Ss. Sacramento exposito? 4812.

44. Sacerdos in Missa coram Ss. Sacramento exposito dum dicit *Flectamus genua*, versus librum genuflectit 4816.

45. Diaconus sive alter qui in expositionibus Ss. Sacramenti deponit e throno Ostensorium non adhibeat velum humerale nec umbellam licet accedendum sit post Altare 4858 ad 4.

46. In Vesperis celebratis coram Ss. Sacramento exposito, hebdomadarius ad *Magnificat* incensat Sacramentum genuflexus super Altaris suppedaneo 4910 ad 5.

47. In expositione Ss. Sacramenti, celebrans sive is qui officium facit, nullam reverentiam exhibet Episcopo praesenti neque in accessu ad Altare, neque dum ad Altare ascendit pro benedictione 4910 ad 6.

48. Exposito Ss. Sacramento pro oratione XL horarum in Ecclesia subterranea, possunt in Ecclesia superiori celebrari exequiae supra cadaver cum officio et Missa solemni defunctorum, ac etiam anniversaria occurrentia 4933 ad 1.

49. In Missis privatis celebratis in eadem ecclesia superiori addi potest juxta rubricam commemoratio Ss. Sacramenti 4933 ad 2.

50. Diaconus potest Ss. Sacramentum exponere, et recondere 4941. ad 11.

51. Diaconus et non Sacrista debet ministrare Celebranti qui Ss. Sacramentum reponit in ostensorio 4941 ad 17.

52. In expositione Ss. Sacramenti cum ostensorio non debet omitti thurificatio praescripta 4951.

53. In ostensorii summitate ponenda est crux 4951.

54. Episcopo Montis-politiani fit facultas ut pro suo arbitrio indulgeat Ss. Sacramenti expositionem in defunctorum levamen 4969.

§. 5. *De Processionibus.*

55. Permittitur sodalitati Ss. Sacramenti

oppidi *di Comunanza* ducere processionem extra ecclesiam singulis tertiis Dominicis mensis cum interventu Parochorum 4525.

56. Processio in festo Ss. Corporis Christi potest duci intra limites alterius paroeciae non petita Parochi venia 4695.

57. Regularibus licet ducere Processionem Ss. Corporis Christi extra claustra sine licentia Episcopi et Parochi 4705 ad 1 et 2.

58. In Processione Ss. Sacramenti in festo Corporis Christi Sacerdos officium faciens debet semper per se deferre Sacramentum contra quamlibet consuetudinem 4715 ad 1 et 2.

59. In Processione Ss. Corporis Christi non est deferendum Ss. Sacramentum per plures Sacerdotes successive 4780.

60. In Processione Ss. Sacramenti nequeunt deferri figurae veteris Testamenti 4848.

61. In Cathedrali Syracusana permittitur Beneficiariis ob immemorabilem consuetudinem induendi paramenta super albam in processione Ss. Corporis Christi, dimissis tamen stola et manipulo. Canonici vero induant paramenta supra rocchettum sicut Caeremoniale praescribit 4975.

62. Processiones duae in eodem loco et eodem tempore in festo Corporis Christi non peragantur si ita videatur Episcopo, et opponatur legibus synodalibus 4704.

§. 6. *De Benedictione.*

63. In benedictione cum Ss. Sacramento nullus versiculus decantari debet: tamen permitti potest quod decantetur post benedictionem 4548-4711 ad 3.

64. Benedictio cum Ss. Sacramento non est impertienda ad ℣. *Sit et benedictio* 4599. ad 3.

65. Ministri qui assistunt Episcopo vel Celebranti in benedictione Ss. Sacramenti debent genuflectere in infimo gradu 4665 ad 3.

66. An danda sit benedictio cum sacra Pyxide? 4665 ad 5.

67. Ante benedictionem Ss. Sacramenti quolibet die etiam ritus classici possunt recitari aliae orationes cum oratione Ss. Sacramenti, excepta solemnitate Ss. Corporis Christi et per octavam 4665 ad 6.

68. Sacra Pyxis in benedictione debet cooperiri extremitatibus veli humeralis 4698 ad 5.

69. Canonici assistentes Episcopo in benedictione Ss. Sacramenti debent genuflectere 4711 ad 5.

70. In benedictione cum Ss. Sacramento servetur Rituale Romanum quoad thurificationem tempore benedictionis 4944.

71. Dum benedicitur populus cum Ss. Sacramento non praescribitur thurificatio 4950 ad 9.

72. In benedictione cum sacra Pyxide potest omitti thurificatio praescripta 4951.

73. In benedictione Ss. Sacramenti cum ostensorio non debet omitti thurificatio praescripta 4951.

De extremae unctionis sacramento.

1. Extrema unctio ministrari debet cum superpelliceo et stola juxta Rituale Rom. 4474. ad 2.

2. In administratione extremae unctionis nihil innovetur circa modum unctionis in pedibus, quae idcirco fieri poterit vel in parte superiori vel in parte inferiori pedum 4631 ad 1.

## F

De feria IV. Cinerum.

1. Sacerdos celebrans privatim expleta Missa potest distribuere cineres adstantibus 4558 ad 5.

2. Sacerdos qui privatam Missam celebrat

fer. IV. Cinerum nequit sibimet Cineres imponere 4558 ad 5.

V. *Missa* n. 10.

V. *Benedictio* n. 2.

De Feria V. in Coena Domini.

1. Altaria sunt denudanda post Vesperas fer. 5. maj. hebd. et non post Mandatum 4523 ad 7.
2. Non licet apponere velum album pendens e magna Cruce quo cooperiatur capsula in qua Ss. Sacramentum reconditur 4617 ad 1.
3. Omnes de clero tenentur Communionem recipere de manu celebrantis fer. 5. in Coena Domini 4665 ad 1.
4. Feria 5. in Coena Domini non potest celebrari Missa privata in iis ecclesiis in quibus non peraguntur reliquae functiones 4724 ad 1. Potest tamen superior regularis Missam lectam celebrare privatim et janujs clausis ut suos subditos communicet pro praecepto Paschali *ib.* ad 2.
5. Clavis capsulae, in qua reconditur Ss. Sacramentum, non est tradenda Priori Confraternitatis 4771 ad 1-4776.
6. Nequit apponi sigillum in ostiolo capsulae in qua asservatur Ss. Sacramentum 4840 ad 1.
7. Reposito Ss. Sacramento, nequit cantari responsorium *Sepulto Domino etc.* 4840. ad 3.
8. *Sepulchrum* juxta consuetudinem potest appellari expositio Ss. Sacramenti 4840 ad 2. (a).
9. Clavis capsulae in qua Ss. Sacramentum asservatur tradenda est Canonico vel alteri in crastinum celebraturo 4840 ad 4.
10. Pulpitum in quo haberi solet concio post Mandatum debet esse nudum 4868 ad 3.
11. Clavis capsulae in qua reconditur Ss. Sacramentum tradatur Sacerdoti in crastinum celebraturo, et nullimode viro laico, licet sit prior sodalitatis, non obstante quavis consuetudine 4884.
12. Consuetudo denudandi Altaria post Vesperas a Celebrante stola et cotta induto servari poterit 4957 ad 3.

De Feria VI. in Parasceve.

1. Processio cum Ss. Sacramento in nocte fer. 6 in Parasceve reprobatur 4498.
2. Diaconus deponat Ss. Sacramentum e capsula feria 6 in Parasceve 4499 ad 1.
3. Crux adoranda in Missa fer. 6 in Parasceve, sit juxta rubricas 4520 ad 59.
4. Eliminetur abusus reponendi in Ecclesia Ss. Sacramentum fer. 6 in Parasceve 4628 ad 4.
5. Non licet fer. 6 in Parasceve post Missam Praesanctificatorum exponere reliquiam S. Crucis, eamque expositam retinere usque ad Missam Sabbati Sancti 4628 ad 5.
6. Canonici fer. 6 in Parasceve nequeunt paramenta induere nisi celebret Episcopus 4654 ad 1.
7. In adoratione Crucis possunt Canonici de consensu Episcopi dimittere extremitatem vestis 4654 ad 2.
8. In ritibus qui alicubi servari solent fer. 6 in Parasceve in benedicendo populum cum reliquia S. Crucis servetur consuetudo 4665 ad 14.
9. Diaconus et Subdiaconus in adoratione Crucis pro consuetudine deponant calceamenta 4665 ad 14.
10. Preces pro Imperatore in orationibus fer. 6 in Parasceve sunt omittendae 4714-4726-4839 ad 6-4867 ad 3.
11. Celebrans fer. 6 in Parasceve genuflectit Cruci postquam fuerit detecta 4720 ad 2.

(a) A vulgo minus recte appellatur Sepulchrum expositio Ss. Sacramenti, quae fit feria 5 in coena Domini in memoriam institutionis ven. Eucharistiae.

De festorum celebratione.

De S. Francisco Caracciolo C.



De S. Francisco de Paula C.



De S. Francisco Xaverio C.



De functionibus Pontificalibus.

## G

De S. Georgio M.



De Graecorum ritibus.



De S. Gregorio VII. P.C.



De S. Gregorio Thaumaturgo E. C.



## H

De hymnis, precibus, et orationibus.



(a) Confer Caeremoniale Episcoporum lib. I cap. 20 num. 2 et op. Horatii Christiani Praxis pontificalis etc. sect. VII. cap. I.

# I

De S. Jacobo Ap.



De Sacris Imaginibus.



De Indulgentiis.



De S. Joachim.



De S. Joanne Baptista.



De S. Joanne Gualberto Ab.



De S. Josepho.



De Ss. Innocentibus.



De S. Irenaeo E. M.



# K

De S. Kevino.



# L

De Libris liturgicis.

3. Decretum generale pro conditionibus servandis in editione librorum liturgicorum juxta Pontificias Constitutiones 4581.
4. Responsio super usu librorum liturgicorum, in quorum editione non fuerunt servatae conditiones ab Apostolicis Constitutionibus requisitae 4811-4913.

De Litaniis majoribus et minoribus seu de Processionibus in festo S. Marci, et in triduo ante festum Ascensionis D.

1. In Rogationibus celebretur Missa de festo si non fiat Processio 4520 ad 37.
2. Missa in litaniis majoribus qualis dicenda? 4529 ad 2.
3. In festo S. Marci, et triduo Rogationum post Processionem decantanda est Missa de feria 4597. ad 12.
4. Litaniae sunt de praecepto recitandae in festo S. Marci, et in Rogationibus 4628 ad 9.
5. Missa de feria est de praecepto decantanda post Processiones in festo S.Marci et Rogationibus 4628 ad 10.
6. In Missa Rogationum servetur consuetudo quoad sonitum organi 4713 ad 9.
7. In festo S. Marci occurrente festo Patroni praecipui dicatur post Processionem Missa de Patrono vel Titulari cum commemoratione feriae 4929 ad 1. Item servetur in Ecclesiis quarum Patronus est S. Marcus *ib.* ad 2.
8. Conopaeum et pallium Altaris in Ecclesiis ad quas divertire solent processiones Rogationum debent esse coloris officii currentis 4950 ad 8.
9. Ubi ex peculiari concessione festum S. Marci incidens infra octavam Paschae transfertur ad fer. 4 post Dominicam in albis, si hac feria occurrat festum Ss. Philippi et Jacobi Apostol. vel Inventionis S. Crucis, processio et abstinentia protrahatur ad feriam 5. sequentem. Si autem hac feria 5 occurrat festum Patroni praecipui, abstinentia et processio, ut supra, transferatur ad fer. 6. sequentem 4954 ad 1.

V. *Matrimonium* n. 1.

De Litaniis.

1. S. Bernardus non est reponendus inter Doctores in Litaniis 4516.
2. Litaniae quae assignantur pro Sabbato sancto, et Sabbato Pentecostes, nequeunt aliis temporibus recitari 4565 ad 1.
3. In Litaniis Lauretanis prohibentur additiones post ℣. *Regina Sanctorum omnium* 4711 ad 3.
4. In Litaniis recitari debent ℣℣. *A peste, fame, et bello. A flagello terraemotus*, post ℣. *A fulgure etc.* 4950 ad 1.

## M

De Magistratu.

1. Magistratus tenetur adamussim servare Caeremoniale quoad praecedentiam in recipiendis candelis, cineribus, et palmis, officium faciente Episcopo 4554.
2. Magistratus excipiendus est ad portam Ecclesiae ab alterutro ex Canonicis 4645 ad 1.
3. Sedile pro Magistratu debet esse ligneum et sine suppedaneo, ornatum panno, et pulvinis laneis instructum 4645 ad 2.
4. Capitulum procedens ad Altare capite detecto salutare debet Magistratum 4645 ad 3.
5. Celebrans et ministri salutare debent Magistratum capite tecto 4645 ad 4.
6. Magistratus in processionibus nullimode debet incedere post celebrantem 4645 ad 5.

seu oratoriis publicis regularium quem ritum sequi debet? 4496 ad 1. et 2. 4497.

2. Qua ratione Missa concordare debet cum officio? 4520 ad 31. - 4696 ad 7.
3. Quando Sacerdos Missam celebrare debet juxta ordinem officii? 4602 ad 1.
4. Parochus saecularis in ecclesia regularium quomodo Missam debet ordinare? 4615.
5. Missae de Communi assignatae in Proprio Sanctorum nequeunt variari arbitrio Celebrantis 4784. ad 1 et 2.
6. Tractus in Missa *Vultum tuum* de Communi Virginum incipiendum est a versu *Quia concupivit* 4790.
7. Missa respondere debet officio dummodo conveniat color cum officio Ecclesiae in quo celebratur: permittitur tamen Missa votiva si ritus Ecclesiae id siuat 4955 ad 3.

§. 2. *De orationibus in Missa.*

8. In oratione *A cunctis* qui Sanctus est nominandus? 4520 ad 31. Quid si jam fuerit nominatus? *Ibid.*
9. Orationes in festis *s. Juliani*, *s. Fidelis*, *s. Bernardini*, *s. Hieronymi Aemiliani*, *s. Joannae Franciscae;* postcommunio in festis *s. Joannis Nepomuceni*, *s. Ianuarii*, et *octavae Passionis* D. N. J. C. et *oratio pro Vesperis* fer. IV post Dom. 2. Quadragesimae concludantur more solito, idest non debet dici *in unitate ejusdem Spiritus*, sed *in unitate Spiritus*. 4520. ad 49. Idem servetur in oratione S. Camilli 4839.... ad 9.
10. In oratione *super populum* quid agere debet Sacerdos? 4558 ad 7. (1).
11. Si adsit oratio *Deus refugium* a superiore imperata, Dominica XXII post Pentecosten, quaenam oratio erit substituenda? 4597 ad 1.
12. Si praecipiatur a superiore oratio pro Papa, tertio loco dici debet oratio pro Ecclesia 4597 ad 1.
13. Collectae a Superiore praescriptae quando omittendae? 4597 ad 1.
14. Oratio *Fidelium* quo loco recitanda in Missis sive conventuali sive privata? 4597 ad 1.
15. Ab oratione S. Joannis Gualberti expugnendum est cognomen *Gualberti*. 4597 ad 3.
16. Conclusio orationum in Missa si plures sint, quomodo debent ordinari? 4598 ad 1 et 2.
17. In oratione *A cunctis* nominandus est Titularis Ecclesiae 4665 ad 10.
18. In Missa solemni dup. 2. cl. omittitur commemoratio simplicis 4732.
19. In oratione *A cunctis* quis Sanctus nominari debet? 4750 ad 2.
20. Quid agendum si in officio et Missa sint eaedem orationes? 4762 ad 1.
21. Permittitur FF. Ord. Ss. Trinitatis addendi nomen vel S. Jacobi, vel S. Agnetis in oratione *A cunctis* dummodo constet de indulto, et in Missa votiva Ss. Fundatorum. 4818 ad 3.
22. Commemoratio omnium Ss. Apostolorum et omnium Ss. Martyrum ubi est indulta, dicenda est in Missa sub sua conclusione. 4903 ad 1.

§. 3 *De Epistola, de Evangelio et de Passione.*

23. Passio quo loco cantanda a Celebrante? 4628 ad 2.
24. In Missa cantata Celebrans legit Pasionem in cornu Epistolae 4628 ad 3.
25. Epistola et Evangelium Graeco idio-

(1) In Quadragesima.... Sacerdos stans in eodem loco ante librum dicit *Oremus: humiliate capita vestra Deo* caput inclinans, et extensis manibus subjungit eadem voce orationem *super populum* ibidem positam Rubric. Missal. tit. de Ritu celebrationis §. 11 n. 2.

mate inhibetur in Missis pontificalibus Archiepiscopi Barensis 4709.

26. Evangelium quod aliquando in Proprio Sanctorum assignatur sumendum ex alia Missa, nequit variari arbitrio Celebrantis. 4784. ad 2.

27. Epistola *Viduas honora* legenda est quando assignatur a rubricis Missalis 4784 ad 5.

28. Pro Sanctis translatis a tempore Paschali, in ordinanda Missa sumatur regula ex oratione et Evangelio 4784 ad 7.

29. Evangelium *Si quis vult* in Missa S. Aniceti extra tempus Paschale. 4789.

§. 4. *De Symbolo.*

30. In festo titularis alicujus sacelli nequit recitari Symbolum in Missa 4520. ad 56.

31. Festa tantum Fundatorum Ordinis habent symbolum in Missa 4623 ad 3.

32. Patronus praecipuus tantum habet Symbolum in Missa 4623 ad 4.

33. Si alicubi celebretur Missa pro sponso et sponsa cum cantu non est addendum Symbolum 4723.

34. In festis secundariis quae Symbolum non admittunt, nequit recitari nisi adsit insignis Reliquia 4731 ad 2.

35. Sacerdos celebrans Missam in ecclesia, cujus calendarium non sequitur, quomodo se gerere debet circa Symboli recitationem? 4731 ad 6.

36. S. Joseph in Patronum electus habet Symbolum in Missa 4842 ad 1.

37. Credo in Missa recitatur ubi habentur insignes reliquiae 4854 ad 2.

38. Symbolum dicendum est in festis S. Joseph, et S. Joannis Baptistae ubi sunt Patroni: si vero sint Titulares in Ecclesia propria tantum, 4886.

39. Symbolum in Missa a Regularibus dicendum est tantummodo in festis Patroni vel Titularis proprii Ordinis 4964. ad 3.

§. 5. *De Missis solemnibus.*

40. Nequeunt cantari duae Missae de eodem festo 4628 ad 8.

41. Permittitur in quadam Collegiata celebratio Missae de feria vel de vigilia sine cantu 4733.

42. Duae Missae solemnes de eodem sancto nequeunt celebrari 4911 ad 18.

43. In Cathedralibus plures Missae juxta rubricas horis statutis sunt cantandae 4960 ad 4.

§. 6. *De hora celebrandi Missam solemnem.*

44. Missa solemnis in choro canenda est post horas a rubricis statutas 4520 ad 27.

45. Missae conventuales in choro celebrandae sunt post horas a rubricis praescriptas 4711 ad 1.

§. 7. *De Missa in Ecclesiis Monialium.*

46. Quid servari debet in Ecclesiis Monialium a Sacerdotibus exteris qui inibi Missam celebrant? 4736.

47. Sacerdotes celebrantes in Ecclesiis Monialium, quam Missam celebrare debent? Quomodo celebranda sit Missae conventualis in earum Ecclesiis? 4859.

§. 8 *De Missis votivis.*

48. Occurrente festo B. M. V. in diem pro qua indulgetur Missa votiva solemnis de eadem B. V. celebretur Missa solemnis de festo tamquam non votiva 4521 ad 1.

49. Idem observetur si celebretur Missa votiva solemnis de B. V. ex consuetudine quando occurrit cum aliquo festo ejusdem B. V. 4521. ad 2.

50. Nequit Sabbato Pentecostes cantari Missa de Vigilia sine prophetiis loco votivae ea die incidentis 4611.

51. Missa votiva solemnis pro re gravi

celebrari potest diebus Dominicis, et in dupl. 2 cl. 4657 ad 1.

52. De Tractu in Missa votiva Sac. Cordis Jesu 4693 ad 3.

53. In Missis votivis B. V. debet dici *Gloria* solummodo in Sabbatis 4701 ad 1.

54. Missa votiva ex legato nequit cantari in Vigilia Pentecostes 4702 ad 1.

55. In Missa votiva de B. V. semper adhibendus est color albus 4721.

56. De Missis votivis celebrandis in diebus ritus semiduplicis vel in feriis 4750. ad 7.

57. Ubi in Sabbatis solet decantari Missa votiva de B. V. ex devotione, incidente Vigilia Assumptionis B. V. in Sabbato, cantetur Missa tantum de vigilia 4961.

§. 9. *De Missa in anniversario Creationis et Coronationis Summi Pontificis, et electionis seu consecrationis Episcopi.*

58. Recurrente anniversario Consecrationis Episcopi, dicenda est oratio in Missa per totam dioecesim, et post Nonam in Cathedrali et Collegiatis cantanda est etiam Missa solemnis post nonam 4597 ad 7.

59. Oratio pro Summo Pontifice, recurrente anniversario Creationis et Coronationis ejus, de praecepto recitanda est in Missa 4628 ad 9.

60. Anniversarium Consecrationis proprii Episcopi celebrandum est die et mense, quo accidit 4751 ad 1. Missa solemnis debet esse de Anniversario Consecrationis Episcopi 4751 ad 2. Quid si accidat in Dominicis primae vel secundae classis? 4751 ad 3.

61. Recurrente anniversario Consecrationis Episcopi in Missa solemni solummodo dicitur *Credo* 4764 ad 1.

62. Commemoratio pro Anniversario Consecrationis Episcopi quando recitanda, et quando omittenda? 4764 ad 3.

63. Non sunt recitandae Missae privatae de electione vel consecratione Episcopi 4764 ad 2.

64. Oratio pro Creatione et Coronatione Summi Pontificis dici debet in omnibus Ecclesiis: sed in dupl. 2. cl. recitatur sub unica conclusione, et in dup. 1. cl. omittitur 4782 ad 8.

§. 10. *De loco celebrandi Missam.*

65. Missa nequit celebrari extra Ecclesiam ob coucursum populi, qui ibi confluit certis diebus 4639.

66. Datur facultas celebrandi in Sacello extructo in mansione militari, quamvis adsint lectuli pro militibus in cubiculo superiori 4748.

67 In Oratorio publico denegatur facultas celebrandi Missam diebus festis ne fideles avocentur a concione et ceteris parochialibus exercitiis 4870.

§. 11. *De paramentorum qualitate.*

68. Fratribus minoribus S. Petri de Alcantera inhibetur usus tunicellarum 4707.

69. In Missis de tempore in Quadragesima et Adventu adhibendae sunt casulae ante pectus plicatae a ministris sacris? 4958. (a)

(a) In diebus jejuniorum (praeterquam in Vigiliis Sanctorum) et in Dominicis et feriis Adventus, et Quadragesimae, ac in Vigilia Pentecostes ante Missam (exceptis Dominica *Gaudete* et Dominica *Laetare*, Vigilia Nativitatis Domini, Sabbato sancto in benedictione cerei et in Missa, ac quatuor temporibus Pentec.) item in benedictione Candelarum et Processione in die Purificationis B. Mariae, et in benedictione Cinerum, ac benedictione Palmarum et Processione: in Cathedralibus ac praecipuis Ecclesiis utuntur planetis plicatis ante pectus quam planetam etc. In minoribus autem Ecclesiis, praedictis diebus

§. 12. *De paramentorum colore.*

70. Color paramentorum debet respondere Missae quae celebratur 4576 ad 2.
71. An liceat celebrare Missam defunctorum in paramentis violaceis ut ministretur Communio cum particulis praeconsecratis? 4665 ad 3.
72. In Missa votiva de B. V. semper adhibendus est color albus 4721.

§. 13. *De Altare, et sacris vasis.*

73. Quando licet in Altare portatili Missam celebrare? 4656.
74. Calix et patena denuo auro obducta decet quod iterum consecrentur 4866.
75. Quaenam Altaria habere debent baldacchinum? 4898.
V. *Baldacchinum* n. 1.
Plura vide sub tit. *Altare.*

§. 14. *De materia sacrificii.*

76. Hostiae pro Missae sacrificio quando sunt renovandae? 4474 ad 1.
77. An in hostia consecranda deceat quod sit sculpta imago Crucifixi? 4574.

§. 15. *De organo.*

78. Fratribus minoribus S. Petri de Alcantera inhibetur usus organi 4707.
79. In Missis Rogationum servetur consuetudo quoad sonitum organorum 4713 ad 9.
80. Potest servari consuetudo pulsandi organa in responsione ad *Ite Missa est* 4941 ad 6.
81. Tempore Adventus et Quadragesimae quoad sonitum organi in Missis de tempore strictim servetur dispositio Caeremonialis 4957 ad 1.
82. Organa abusive pulsantur in Missis de tempore Adventus et Quadragesimae 4965 ad 2.
83. Officii vel Missae partes omissae ob sonitum organi recitandae sunt submissa voce: quando organum non pulsatur integre sunt decantandae 4974 ad 4.

§. 16. *De mottectis.*

84. Permitti potest quod tempore Canonis canetur in Missa solemni infra octavam Ss. Corporis Christi rythmus *Divinum mysterium*, dummodo non omittatur cantus Trisagii 4690 ad 2.

§. 17. *De prima Missa novi Sacerdotis.*

85. In prima Missa solemni Neo-sacerdotis quaenam munia spectant ad patrinum? 4658.

§. 18. *De ministris Missae solemnis, et privatae.*

86. Urgente necessitate potest mulier respondere Sacerdoti celebranti 4633 ad 10.
87. Tollendus est abusus quod laici uxorati sine stola et manipulo, sed sacris vestibus induti ministrent Sacerdoti celebranti in defectu Diaconi et Subdiaconi 4942.
88. Clericus prima tonsura initiatus potest tantummodo in casu necessitatis inservire Missae solemni supplendo vicibus Subdiaconi 4965 ad 5.

§. 19. *De caeremoniis Missae solemnis.*

89. Subdiaconus servet cujusque loci consuetudinem in recitatione *Sanctus* cum celebrante 4520 ad 32.
90. Post elevationem debet cantari ℣. *Benedictus qui venit* 4520 ad 33.
91. Celebrans capite detecto procedit e scamno ad Altare in Missa solemni, et

jejuniorum, alba tantum amicti ministrent: Subdiaconus cum manipulo, Diaconus etiam cum stola ab humero sinistro pendente sub dexterum.
Rubr. Missal. tit. *de qualitate paramentorum* n. 6. 7.

caput detegat, quando rubrica praecipit inclinandum esse caput 4523 ad 13.

92. In Missis ferialibus adhibendi sunt ceroferarii et incensum 4867 ad 1.

93. Diaconus et alii qui Pacem recipiunt debent se invicem amplexari 4904 ad 9.

94. Missa quae immediate post Nonam juxta rubricas canitur, inchoanda est post ℣. *Fidelium animae* omissa Antiphona finali B. V. 4932 ad 4.

95. Dum a Celebrante legitur ℣. *Communio*, Chorus sedere debet 4941 ad 5.

96. In secunda et tertia Missa solemni in Nativitate Domini patena sustinenda est de more a Subdiacono 4950 ad 6.

97. Sequentia in Missa solemni quae cantatur a Choro, legi debet voce submissa a solo Celebrante 4950 ad 7.

98. Ad ℣. *Et incarnatus* omnes qui sedent dum cantatur, non genuflectunt exceptis Missis solemn. Nativitatis D., et Annunciationis B. V. 4960 ad 2.

§. 20. *De caeremoniis Missae privatae.*

99. Capitis inclinatio facienda est quando a rubrica praescribitur 4520 ad 28.

100. Item quando profunda, quando mediocris, quando simplex, apparet ex rubricis 4520 ad 29.

101. Serventur rubricae cum Sacerdos juxta illas debet Crucis signum facere 4520 ad 30.

102. Sacerdos signans se cum Hostia et Calice debet caput inclinare ad verba *Jesu Christi* 4804 ad 1.

103. Sacerdos post sumptionem Sanguinis an debeat parumper immorari in meditatione Sacramenti ? 4804 ad 2.

104. Episcopo paralysi laboranti permittitur quod Hostiam frangat supra patenam 4861.

105. In Canone ad nomen Papae Celebrans caput inclinat 4904 ad 6.

106. Ad verba *Et incarnatus* in symbolo facienda est genuflexio sine capitis inclinatione 4904 ad 8.

107. Sacerdos nequit Calicem cum vino ante Missam praeparare in Altare, aliaque praestare contra communem usum 4941 ad 14.

108. Sacerdos in Missa, dum elevat oculos, aspiciat Crucem 4960 ad 3.

109. In digitorum ablutione serventur rubricae 4977.

§. 21. *De praecepti adimplemento.*

110. In oratoriis intra septa domorum religiosarum erectis, satisfaciunt praecepto qui ibi Missam audiunt diebus festis 4775.

111. Obligatio audiendi sacrum in provincia Latii a die 27 Octobris ad sequentem Dominicam transfertur 4783.

§. 22. *Decreta particularia quae Missam respiciunt.*

112. In Hispaniis additur symbolum in Missa *S. Vincentii Martyris* ex privilegio 4638 ad 1.

113. Quaenam Missa dicenda in festo *S. Anastasii Mart.*? 4638 ad 2.

114. Si ob elevationem festi dividantur Officia, quaenam Missa legenda erit ? 4638 ad 3 et 4.

115 Indultum speciale pro Ecclesia S. Susannae de Urbe addendi orationem de Spiritu Sancto in Missa celebranda occasione vestitionis aut professionis monialium 4663.

116. Congregationi agonizantium civitatis Cospicuae indulgetur in propria Ecclesia oratio pro confratribus *infirmis vel morti proximis* dum graviter laborant 4670.

117. Episcopo cuidam indulgetur facultas addendi in Missa quamlibet collectam de iis quae prostant in Missale 4706 ad 2.

118. In festo *S. Francisci Caracciolo* habetur Missa propria 4713 ad 5.

119. Sodalitati bonae mortis erectae in Ecclesia S. Bartholomaei a Gagliano permittitur collecta *pro infirmo morti proximo* 4734.

120. Praefatio propria in festo *S. Eliae* reiicitur 4754. ad 2.

121. In festo *S. Petri Chrysologi* versiculus Communio in Missa erit *Domine quinque talenta* 4757 ad 1.

122. In festo *S. Gregorii VII.* habetur Missa propria in Missali assignata 4774 ad 5.

123. In Missa *S. Aniceti* extra tempus Paschale legendum est Evangelium *Si quis vult* 4789.

124. In oratione *S. Petri Coelestini* addatur nomen *Coelestinum* 4839 ad 9.

125. In oratione *S. Joannis Gualberti* expungatur cognomen *Gualberti* 4839 ad 9.

126. In versiculo Communio *Assumptionis* B. V. non est inclinandum caput ad verba *optimam partem sibi elegit Maria etc.* 4839 ad 11.

127. *S. Joseph* in Patronum electus admittit symbolum in Missa 4842 ad 1.

128. In festo *S. Francisci de Paula* utriusque Siciliae Regni Patroni recitetur Missa assignata in Missali Romano 4872 ad 1 et 2.

129. In festo *Ss. Redemptoris* adhibendus est color albus 4970 ad 1.

§. 23. *Decreta pro Regularibus.*

130. Alumni alicujus ordinis qui sine habitu addicti sunt servitio alicujus ecclesiae, nequeunt uti Missali Ordinis, sicut ad id cogi nequeunt Sacerdotes saeculares ad eas ecclesias confluentes 4675 ad 1 et 2.

131. Regulares Missam celebraturi accedant ad Altare capite cooperto cum amictu 4873.

132. Regulares ob publicas perturbationes a coenobiis ejecti si alicui Ecclesiae inserviant pro Sacramentorum administratione teneantur ad officium juxta Calendarium Ordinis, sed in festis sequantur Calendarium Dioecesis in Missa pro populo applicanda 4904 ad 5.

§. 24. *De plurium Missarum celebratione.*

133. Duae vel plures Missae nequeunt a Parocho eadem die celebrari sub praetextu commoditatis Parochianorum 4768.

134. In festis abrogatis nequeunt Parochi duas Missas celebrare sub praetextu devotionis fidelium 4786.

V. *Ss. Sacramentum.*
V. *Oratorium privatum.*
V. *Magistratus* n. 5.
V. *Presbyter assistens.*
V. *Aqua benedicta.*
V. *Dominica in Palmis.*
V. *Episcopus* n. 7.
V. *Fer. 4. Cinerum* n. 1 - 2.
V. *Fer. 5 in Coena Domini* n. 4.
V. *Festorum celebratio.*
V. *Litaniae majores et minores.*
V. *Matrimonium* n. 1.
V. *Ss. Martyres* n. 1.
V. *Nativitas Domini.*
V. *Palmatoria* n. 2.
V. *Pileolus* n. 2.
V. *Parochus* n. 1-7.
V. *Paramenta.*
V. *Reliquiae* n. 3 - 12.
V. *Sacerdos coecutiens* n. 1-2.
V. *Sepultura* n. 1-2-3.
V. *Sabbatum sanctum* n. 6-9-14-15.
V. *Defuncti.*

De applicatione Missae.

1. Celebrante Episcopo quomodo satisfieri debet oneri applicandi Missam pro benefactoribus? 4520 ad 20.

2. Si Missae celebrentur ex contractu inter Parochum et Parochianos pro horum commoditate, si nihil certum fuerit in fundatione statutum circa Missae applicationem, Parochus poterit pro se vel pro aliis applicare 4869 ad 2.

V. sequens tit. *de Missa pro populo.*

De Missa pro populo.

1. Episcopus tenetur applicare Missam pro populo post adeptam possessionem 4520 ad 22.
2. Vicarii capitulares non tenentur applicare Missam pro populo 4520 ad 23.
3. Cappellani Monialium non tenentur ad applicationem Missae pro populo 4842 ad 4.
4. Parochus, qui ex necessitate celebrat duas Missas diebus festis, unam tantum applicet pro populo 4869 ad 1.
5. Parochi solum qui primariam curam habent animarum tenentur applicare Missam pro populo, ac etiam in festis abrogatis 4869 ad 3.
6. Parochus potest per se vel per alium Missam pro populo applicare, neque requiritur quod haec Missa cum cantu celebretur 4926 ad 4.
7. Missam pro populo debet per se Parochus applicare: Si vero sit legitime impeditus alteri sacerdoti debet celebrationem committere 4968.

De Monialibus.

1. De Monialium velatione juxta ritum Pontificalis Romani 4527.
2. Moniales tenentur ad Calendarium Ordinis, cui addere debent officia Patroni, Dedicationis Cathedralis, et reliqua concessa utrique Clero Dioecesis 4618 ad 6.
3. Moniales Ordinis S. Clarae in officio addere possunt nomen S. Clarae ad *Confiteor*, et commemorationem facere in suffragiis 4973.

V. *Missa* n. 46-47-115.
V. *Ecclesia* n. 12.
V. *Missa pro populo* n. 3.

## O

De divino Officio.

§. 1. *De antiphonis.*

1. In tertia antiphona primi nocturni de Communi Virginum legendum est *Sunamitis* 4784 ad 10.

*De antiph. majoribus vid. n.* 226. *hujus tituli.*

§. 2. *De Calendario seu directorio pro officii recitatione.*

2. In dubio an error irrepserit in calendario, standum est ipsi calendario 4597 ad 2.

§. 3. *De capitulis.*

3. In capitulo de Communi Confes. non Pont. legendum *in pecunia et thesauris* 4784 ad 9.

§. 4. *De commemorationibus.*

4. De ordine commemorationum in officio 4568 ad 3.
5. Commemoratio omnium Ss. Apostolorum die 29 Junii, et omnium Ss.Martyrum die 26 Decembris facienda est ubi fuit concessa 4597 ad 14.
6. Commemoratio omnium Ss. Apostolorum et omnium Ss. Martyrum est tantum facienda ubi fuit concessa 4757 ad 1.
7. Occurrente festo Ss. Petri et Pauli in die octava Ss. Corporis Christi, commemoratio octavae debet praecedere commemorationem omnium Ss. Apostolorum 4899.

§. 5. *De concurrentia.*

8. Vesperae in die octava festorum Do-

mini, quomodo ordinandae erunt? 4520 ad 46 - 4535 ad 2 - 4568 ad 4.

9. Vesperae Dedicationis Basilicae Ss. Salvatoris, et alterius Basilicarum Ss. Petri et Pauli si concurrant cum officio duplici sunt dimidiandae 4678.

10. Concurrentibus secundis Vesperis Dedicationis Ecclesiae, cum primis Vesperis Patroni praecipui, Vesperae sunt dimidiandae 4684.

11. Concurrentibus Vesperis festi secundarii D. N. J. C. cum Vesperis Patroni minus principalis, quomodo Vesperae ordinandae erunt? 4713 ad 6.

12. Vesperae de festo duplici minori cum magno apparatu et concursu celebratae possunt recitari integrae si concurrant cum alio duplici minori 4731 ad 1.

13. In concurrentia duorum officiorum quae idem mysterium respiciunt, quomodo erunt Vesperae ordinandae? 4731 ad 7.

14. Concurrentibus secundis Vesperis Dedicationis Ecclesiae cum primis Vesperis festi B. V. quae est Titularis Ecclesiae, quomodo erunt Vesperae ordinandae? 4753 ad 4.

15. Concurrentibus Vesperis S Cordis Jesu et S. Barnabae Ap. ejusd. ritus, Vesperae sunt integrae de S. Corde Jesu 4774 ad 1.

16. Concurrentibus Vesperis Dedicationis et Patroni, Vesperae sunt integrae de Dedicatione 4839 ad 5.

17. Festa secundaria Domini, et beatae Virginis in concurrentia aequalis ritus gaudent praecedentia 4885 ad 2.

18. Concurrentibus Vesperis de duplici majore cum die octava, Vesperae erunt de duplici majore 4955 ad 2.

19. Festum Patrocinii S. Joseph si concurrat cum festo S. Marci, Ss. Philippi et Jacobi, et Inventionis S. Crucis numquam praefertur his officiis 4956.

20. Concurrentibus duobus officiis B. Virginis ejusdem ritus, faciendum est totum de occurrenti sine ulla commemoratione sequentis 4974 ad 1.

§. 6. *De hymnis.*

21. Hymnus historicus si non recitatus fuit in Vesperis, uniatur hymno Matutini 4520 ad 47.

22. Conclusio propria hymnorum ad horas minores admittitur solummodo in festis Domini et B. Virginis 4520 ad 57.

23. Si nequeat recitari in Vesperis hymnus historicus, jungatur hymno Matutini. Si in secundis Vesperis adsit hymnus proprius, et non possit recitari, recitandum est ad Laudes. Si quod Officium habeat hymnum proprium pro primis Vesperis, idem hymnus recitetur etiam in secundis 4597 ad 8.

24. Concurrentibus secundis Vesperis octavae Ascensionis cum primis Vesperis alicujus festi B. V. ad Completorium hymnus terminatur cum stropha de octava Ascensionis 4597 ad 9.

25 Hymnus Matutini in festo expectationis partus B. V. quomodo concludendus? 4597 ad 13.

§. 7. *De lectionibus.*

26. In duplicibus minoribus nisi adsit speciale indultum lectiones primi nocturni sunt de Scriptura occurrente 4520 ad 48-4638 ad 6-7-8-9.-4703 ad 1.

27. In primo nocturno lectiones festorum occurrentium tempore Quadragesimae sumantur ex communi, si non habeantur propriae 4597 ad 4.

28. Initia librorum S. Scripturae in primo nocturno resumenda sunt die sequenti si impediantur die propria 4597 ad 5.

29. Octava lectio jungatur nonae si lectio sit historica, et omitti deberet ob occursum 9. lectionis de homilia 4597 ad 6-4618 ad 2.

30. Quae lectiones legendae sunt in die octava alicujus festi, de quo nunquam recitatum est officium infra octavam? 4638 ad 5.

31. In officiis quae habent responsoria propria, lectiones primi nocturni sunt de communi 4638 ad 10.

32. In festo S. Venceslai legenda est homilia in Breviario assignata. 4781. ad 4.

33. Pro lectionibus primi nocturni standum est concessionis verbis 4911 ad 2.

34. Servetur peculiaris rubrica pro lectionibus tertii nocturni in die octava S. Joannis Baptistae 4911 ad 3.

35. Idem servetur in die octava Dedicationis Ecclesiae 4911 ad 4.

§. 8. *De Martyrologio.*

36. Officia votiva et translata sunt annuntianda in lectione Martyrologii 4618 ad 4 et 5.

37. Martyrologium legendum est prout jacet: potest tamen annuntiari officium quod recitatur 4839 ad 10.

§. 9. *De Occurrentia.*

38. Si in festo Visitationis B. M. V. occurrat aliud festum ejusdem B. V. sub alio titulo, faciendum est officium de Visitatione 4642.

39. Qua ratione instituenda sunt festa Ss. Petri et Pauli, et S. Rumoldi Patroni Ecclesiae Mechliniensis si occurrant eadem die? 4693 ad 1.

40. Occurrentibus festo Patroni, et festo Ss. Redemptoris ejusdem ritus, transferendum est festum Ss. Redemptoris quia secundarium 4696 ad 4.

41. Occurrentibus festo secundario D. N. J. C. cum officio Patroni minus principalis de quo fiet officium? 4713 ad 6.

42. Occurrentibus festo Ss. Innocentium cum Dedicatione Ecclesiae faciendum est officium de Ss. Innocentibus 4713 ad 8.

43. Occurrentibus festis Ss. Redemptoris, et Patrocinii S. Joseph cum festis S. Marci Ss. Philippi et Jacobi, ac Inventionis S. Crucis de his recitandum erit Officium 4713 ad 12-4952 ad 1.-4956.

44. Festo Ss. Petri et Pauli translato in Gallis ad Dominicam proximam, occurrente cum festo S. Cordis Jesu, de quo agendum erit? 4751. ad 3.

45. Occurrentibus festis S. Barnabae Ap. et S. Cordis Jesu, ejusdem ritus, faciendum est de S. Barnaba, quia est festum primarium 4774 ad 1.

46 Occurrentibus festo Patroni, et festo alterius sancti ejusdem ritus cum magna pompa et apparatu celebrato, celebrandum est festum Patroni. 4791.

47. Occurrente festo S. Vitalis M. et festo Patrocini S. Joseph ejusdem ritus faciendum est de S. Vitale 4846 ad 1.

48. Occurrente officio Patroni minus principalis, et altero officio aequalis ritus sed dignitate majoris, transferendum illud Patroni 4885 ad 1.

49. Occurrentibus festis Pretiosiss. Sanguinis, et S. Joseph, utroque ritus dup. 1 cl. faciendum de S. Joseph, translato altero officio intra Quadragesimam tantum juxta rubricas 4931 ad 1.

50. In festo Ascensionis occurrente aliquo officio quod non possit reponi, facienda est de eo commemoratio in utrisque vesperis et laudibus cum IX lectione historica 4931 ad 2.

51 Occurrente festo solemni in aliqua die octava facienda semper est de ea commemoratio in utriusque vesperis, in laudibus, et in Missa 4931 ad 3.

52. Occurrente aliquo festo ritus dup. maj. feria 6. post octavam 4. Corporis Christi, transferatur festum S. Cordis Jesu ubi sub hoc ritu concessum est 4953 ad 5.

53. Occurrente festo Commemorationis S. Pauli Ap. cum festo S. Cordis Jesu, transferatur festum S. Pauli Ap. 4953 ad 7.

54. Occurrente festo Ss. Nominis Jesu in Dominicam Septuagesimae reponatur in die 28 Januarii translato juxta rubricas officio ea die assignato 4955 ad 1.
55. Occurrentibus duobus officiis B. Virginis ejusdem ritus, alterum diei mensis affixum, alterum pro Dominica vel feria assignatum, faciendum est de officio diei mensis 4974. ad 1.
56. Occurrente die octava festi B. V. cum altero festo ejusd. B. V. alicui Dominicae assignato, omittendum est officium de die octava, et faciendum de occurrente. 4974 ad 2.
57. Occurrentibus festo Dolorum B. V. rit. dup. 2. cl. cum festo S. Matthaei Ap. faciendum est de S. Matthaeo. 4974. ad 3.

§. 10. *De Octavis.*

58. Octava Ss. Trinitatis est privilegiata pro Ordine Ss. Trinitatis Redempt. captivorum 4531.
59. Infra octavas privilegiatas faciendum est officium de altera die octava intra eas occurrente 4623 ad 2.
60. Infra octavam S. Benedicti pro Dioecesi Derthonensi non privilegiatam, possunt recitari alia officia 6585.
61. Festa quae habent octavam si transferantur amittunt octavam 4696 ad 5.
62. Dies octava incidens in feriam IV. cinerum omittitur. 4753 ad 1.
63. In Ecclesiis Ss. Nomini Mariae dicatis faciendum est in die octava de festo Dolorum, omisso officio diei octavae 4753 ad 2.
64. In Quadragesima non est celebranda octava Annunciationis B. M. V. licet sit Titularis Ecclesiae 4756.
65. Cessante octava Nativitatis B. M. V. in sabbato ob festum Ss. Nominis Mariae potiori ritu cum octava celebrando, in die octava Nativitatis admittendum est officium translatum 4864 ad 3.
66. In Dioecesi Melitensi in qua celebratur octava privilegiata conversionis S. Pauli Apostoli, die 28 Januarii celebretur festum Ss. Nominis Jesu. Occurrente autem octava S. Publii Ep. et Mart. cum officio Ss. Nominis Jesu, serventur rubricae, seu celebretur festum Ss. Nominis Jesu 4885 ad 4.
67. In die octava occurrente aliquo festo solemni facienda est semper commemoratio diei octavae in utrisque vesperis, laudibus, et Missa 4934.
68. Si festum Ss. Corporis Christi gaudeat octava privilegiata ad instar Epiphaniae; superveniente festo cessant reliquae octavae ante festum inchoatae 4945.
69. Semiduplicia non sunt reponenda intra octavas, sed transferenda post octavas ipsas 4952 ad 2.
70. Ubi festum Ss. Corporis Christi celebratur cum octava ad instar Epiphaniae, in die octava faciendum est de Ss. Petro et Paulo, si horum festum incidat in illam diem 4970 ad 2.

§. 11. *De responsoriis.*

71. Responsorium quod habet duplicem asteriscum quomodo repetendum? 4568 ad 5-4584-4839 ad 7.

§. 12. *De suffragiis.*

72. De Patrono Paroeciae vel Titulari Dioecesis non est facienda commemoratio in suffragiis 4665 ad 10.
73. In suffragiis debet fieri commemoratio de Patrono Civitatis 4750 ad 3-4762 ad 2.
74. In suffragiis facienda est commemoratio tum de Patrono Dioecesis tum de Patrono loci 4925.
75. In suffragiis non est omittenda commemoratio Titularis 4818 ad 1.
76. Ubi titularis est B. M. V. sufficit commemoratio communis in suffragiis 4980 ad 2.

§. 13. *De translatione.*

77. Officia semiduplicia nequeunt transferri infra octavas non privilegiatas 4517-4952 ad 2.
78. Nequeunt celebrari officia semiduplicia ad instar simplicium, ut eorum loco celebrentur duplicia translata 4635 ad 3.
79. Officium S. Patroni si occurrat die impedita transferendum est juxta rubricas 4579.
80. In translatione officii de Transfixione B. V. fer. 6. post Dom. Passionis servetur peculiaris rubrica 4605.
81. Quo casu transferri potest officium duplex ad diem 2. Novembris? 4622-4703 ad 3.
82. Duplicia et semiduplicia, quorum translationi deest locus ob dierum deficentiam, quo ritu gaudent? 4661
83. In officiorum translatione serventur rubricae 4665 ad 12.
84. Occurrentibus festo Patroni, et festo Ss. Redemptoris ejusdem ritus transferendum est officium Ss. Redemptoris quia secundarium. 4696. ad 4.
85. Die 30. Decembris reponi potest officium translatum quando non fit officium de Dominica. 4703 ad 4-4801 ad 2.
86. Occurrentibus festis Ss. Innocentium, et Dedicationis Ecclesiae transferendum est officium Dedicationis. 4713 ad 8.
87. In translatione Patroni, et Dedicationis, de quo prius faciendum est officium? 4750 ad 5.
88. Semiduplex occurrens in Dominicam infra octavam transferri debet in feriam secundam sequentem si dies sit libera juxta rubricas 4753 ad 3.
89. Officium Ss. Nominis Jesu transfertur ad diem 28 Januarii solummodo quando hoc festum impeditur ob occursum Septuagesimae 4774 ad 3.
90. Officium Conceptionis B. V. occurrens in Dominicam 2. vel 3 Adventus transfertur ad primam diem liberam juxta rubricas 4774 ad 4.
91. Officia Passionis possunt transferri sed intra Quadragesimam tantum 4782 ad 6-4953 ad 4.
92. De Sanctis translatis a tempore Paschali fiat officium de Communi, retentis iis quae sunt propria. Attamen in hoc casu pro officio ordinando regula sumatur ex Evangelio et oratione 4784 ad 6 et 7.
93. In translatione officiorum S. Josephi Patroni loci, et Annuntiationis B. V. praeferendum est officium Annuntiationis 4842 ad 2.
94. In translatione officiorum serventur rubricae, neque licet omittere alicujus officii recitationem quia officium illud reperitur in altera parte Breviarii 4842 ad 6.
95. Officium cum octava alicui Dominicae assignatum si impediatur a festo majoris ritus, transferri potest ad diem octavam, scilicet ad Dominicam sequentem 4846. ad 2.
96. In dubio an officium alicui feriae affixum sit ad libitum vel de praecepto, si aliquando impediatur, non erit transferendum 4887 ad 6.
97. Officia affixa feriis determinatis nunquam transferuntur. 4953 ad 3.
98. Officio S. Cordis Jesu in translatione competit praecedentia ob dignitatem 4953 ad 6.
99. Commemoratio S. Pauli Apostoli si transferatur non erit reponenda infra octavam, si adsit aliud officium dup. maj. pariter translatum 4953 ad 8.
100. Commemoratio S. Pauli Ap. gaudet praecedentia supra dup. min. in translatione facienda tam intra octavam quam extra octavam 4953 ad 9.
101. In translatione Commemorationis S. Pauli Ap. ordinetur officium sicut

praescribitnr a rubrica pro Ecclesia propria 4953 ad 10.

102. Si Commemoratio S. Pauli Ap. incidat in octavam Ss. Corporis Christi, vel festum S. Cordis Jesu, reponitur infra ipsum octavam juxta rubricam peculiarem, dummodo tamen non sint reponenda alia officia majoris ritus 4954. ad 2 et 3.

103. Rubrica pro translatione Commemorationis S. Pauli Apostoli respicit tantnm festum ejusdem et non officium dup. maj. translatum 4955 ad 4.

104. Officia dnplicia translata pro quibns non supersuut dies in fine anni, non sunt transferenda ad dies officii semiduplicis, sed celebranda die propria sub ritu simplici 4974. ad 5.

105. Officia quae in fine anni snpersunt non sunt transferenda ad annum sequentem 4713 ad 4.

V. *Festa.*

V. *Indulgentia.*

§. 14. *De Vesperis.*

106. In die octava S. Vincentii a Paulo in qua festum celebratur cum magna pompa, permittitur domui tyrocinii Congr. Missionis in civitate Neapolitana ut primae Vesperae recitcntnr de hoc festo licet concurrant cnm 2. Vesp. S. Jacobi Ap. 4644 ad 5.

107. In Ecclesia S. Laurentii in Paneperna de Urbe possunt cantari Vesperae de S. Birgitta ratione concursus popnli, recitatis tamen in choro Vesperis de S. Francisco Solano 4787.

108. Officium S. Cordis Jesu gaudens ritu 2. cl. babet integras primas Vesperas 4623 ad 1.

§. 15. *De Psalmis gradualibus, et poenitentialibus, de officio parvo B. M. V. et de officio defunctorum.*

109. Pro recitatione officii parvi B. V. officii defunctorum, et psalmorum gradualium et poenitentialiam adest obligatio in choro tantum, et ubi viget consnetudo 4481-4728 ad 3.

110. Officia et Psalmi praedicti nequeunt anticipari, quia sunt onus diei 4728 ad 3.

§. 16. *De officiorum assignatione.*

111. Nullum officium assignetur pro die tertia Februarii 4597 ad 15.

112. In assignatione diernm pro novis officiis nequennt haec anticipari, si desit locns 4635 ad 1.

113. Nequennt assignari nova officia diebus in quibus celebranda sunt officia semiduplicia 4635 ad 2.

114. Nullum officium debet assignari pro die secunda Novembris 4801 ad 1.

115. Quomodo sunt assignanda dies novis officiis, si in illis quae in concessione designantur, alterum officium reperiatur? 4839 ad 4.

116. Officinm perpetuo translatum cui assignata sit dies, si pro hac die concedatur novum officium, nequit removeri officium assignatum, sed novum officium reponendum est in primam diem non impeditam tamquam in sedem propriam 4881 ad 1. et 2.

117. In dubio an bene assignati fuerint dies officiis perpetuo translatis nihil innovetur. 4887 ad 7.

118. In celebratione officii cum octava, officinm occnrrens in diem octavam perpetno transfertur in diem assignatam. Si vero aliquando neqneat perfici octava, superveniente Quadragesima, officium perpetuo translatnm recitetur in die assignata et non in die octava 4963.

§. 17. *De officiis quae sunt certis diebus assignata.*

119. Officia alicui dici assignata si impediantur ab alio officio majoris ritus omittuntur 4520 ad 39-4596 ad 2.

120. Officium Puritatis B. V. Dominica tertia Octobris a Clero Urbis celebrandum si aliquo anno praepediatur a festo majoris ritus, omittatur 4620.

121. Officia particularia Dominicis affixa nequeunt transferri 4633 ad 11-4696 ad 6.

122. Officia Dominicis affixa non transferuntur sine speciali indulto 4713 ad 1-2-3 et 4.

123. Officia Maternitatis et Puritatis B. M. V. Dominicis affixa non possunt transferri 4953 ad 11.

§. 18. *De officiorum concessione seu acceptatione.*

124. Officium Dolorum B. M. V. concessum fuit pro Dom. tertia Septembris 4533. ad 1. Si aliqua Dioecesis suscepit officium illud quoad ritum, non potest amplius immutari, quamvis prius illi concessum fuerit ritu majori 4533 ad 2.

125. An valeat recitari officium de cujus concessione non constat, praecipue si accedat populi devotio, et celebretur ritu classico? 4568 ad 2.

126. Officium de translatione Reliquiarum alicujus Sancti conceditur solummodo pro Clero illius loci, in quo translatio peracta fuit 4718.

127. Festum Patroni Ecclesiae in quo antiquitus extabat quoddam monasterium per plura tempora solemniter celebratum, indulget S. C. ut celebretur ritu 2. cl. cum octava 4752.

128. Capitulo Civitatis Cerinoliensis fit facultas vel sequendi Calendarium Ecclesiae Lateranensis juxta antiquum indultum, vel sequendi Calendarium Dioecesis 4809.

129. In officiis legenda sunt tantum ea quae concessa sunt, licet adsint nonnulla pro aliis locis concessa 4836.

130. Officia, de quibus non constat legitima concessio, sunt omittenda, licet per plures annos fuerint recitata 4896 ad 5.

§. 19. *De officii obligatione et recitatione*

131. Officium particulare non debet praeferri officio Ecclesiae universalis quod pro eadem die jam fuerat concessum 4520 ad 40.

132. Beneficiarius debet recitare officium suae Ecclesiae: simplex sacerdos potest se conformare Calendario loci in quo moratur 4520 ad 50.

133. Sacerdotes manentes ad tempus in aliqua pia domo, debent recitare officium juxta proprium Calendarium 4526.

134. Ad officia praeceptiva tenentur Clerici in seminario degentes, secus non tenentur sed possunt se conformare 4597 ad 10.

135. Officia Dominicis affixa computanda sunt juxta annum civilem 4597 ad 11.

136. Officium quomodo cum Missa concordare debet? 4696 ad 7.

137. Dominica prima mensis pro aliquo officio recitando assignata non est computanda juxta calendas, sed juxta annum civilem 4802.

138. Officia propria alicujus Ecclesiae debent solummodo recitari ab iis qui sunt illi adscripti ratione beneficii 4839 ad 1.

139. Officium Dominicae tertiae post Epiphaniam a Septuagesima impeditum, recitandum est prima die post octavam Epiphaniae, quae non sit impedita ab officio duplici 4849.

140. Clerici saeculares degentes in Monasteriis Cisterciensium possunt officium persolvere juxta ritum monasticum, dummodo ad particulare calendarium non adigantur ratione beneficii, et habito consensu proprii Episcopi 4989.

141. Sacerdotes attendentes ad spiritualia

exercitia in coenobio Carmelitarum loci *Brussey* in Galliis, possunt in officii recitatione se conformare Calendario illius Ordinis 4998.

§. 20. *De officiis votivis.*

142. Officium hebdomadale nequit recitari si eo die reponi possit aliquod officium licet semiduplex 4720 ad 1.

143. Officia votiva quando et quomodo sunt celebranda? 4782 ad 7.

144. Officia votiva pro aliquibus feriis concessa omitti debent si in eis sint reponenda officia 4935 ad 1.

145. Officia votiva si ex indulto celebrari possunt in Adventu, Quadragesima, aliisque feriis principalioribus, sunt omittenda si reponi debeant in eis officia translata 4935. ad 2.

§. 21. *De Officiis Patroni, Titularis, et Dedicationis Ecclesiae pro Clero tam saeculari quam regulari.*

146. Iis in locis in quibus non habetur Sanctus Patronus celebrari potest officium Patroni Dioecesis sed sine praecepto audiendi Sacrum, et abstinentia a servilibus 4520 ad 41.

147. Clerus Paroeciae non adscriptus nequit recitare officium de Dedicatione Ecclesiae Parochialis 4520 ad 36.

148. Regulares quomodo celebrare debent officium sancti Patroni loci in quo morantur? 4580. ad 1 et 2-4795 ad 8.

149. Officium Dedicationis Ecclesiae incipiendum est ab hora in qua expletur consecratio, et recitari debet a Clero Ecclesiae adscripto 4593 ad 1.

150. Officium anniversarii dedicationis omnium Ecclesiarum pro aliquo ordine indultum non debet repeti quando recurrit anniversarium peculiare cujuslibet Ecclesiae consecratae 4600.

151. Lectiones 2 et 3 Nocturni in die octava S. Patroni Ecclesiae sumantur ex octavario Romano. 4618 ad 1.

152. Moniales tenentur ad Calendarium Ordinis, cui addi debent officia Patroni, Dedicationis cathedralis, et alia concessa utrique clero dioecesis 4618 ad 6.

153. Parochi nequeunt recitare officia Titularis et Dedicationis Ecclesiarum filialium 4634.

154. De Patrono Paroeciae vel Titulari Dioecesis nequit fieri commemoratio in suffragiis 4665 ad 10.

155. Officium Dedicationis omnium Ecclesiarum alicujus ordinis faciendum est quoque in iis Ecclesiis quae non sunt consecratae 4673 ad 1. et 2.

156. Ad uniformitatem obtinendam in Dioecesi Mechliniensi praescribitur modus celebrandi Dedicationem Cathedralis et omnium Ecclesiarum Dioecesis 4693 ad 2.

157. Officium Patroni celebrandum est a regularibus sine octava 4695 ad 3-4770. Intelligendum tamen est de Sancto Patrono praecipuo qui legitime sit electus, et a S. Sede electio sit approbata 4887 ad 5-4918 ad 2. quamvis Clerus saecularis alia officia solemniter celebret ex devotione 4918 ad 2.

158. Regulares qui aliquam Ecclesiam administrant, sed eidem non sunt addicti, nequeunt recitare officium Titularis ritu 1. cl. cum octava 4696 ad 9. et 10.

159. Quomodo celebrandum est officium Titularis et Dedicationis in iis Ecclesiis in quibus non adest Clerus? 4698 ad 1.

160. In Ecclesiis seu oratoriis Paroeciae subiectis non sunt celebranda ritu classico et cum octava officia Titularis et Dedicationis ipsius Paroeciae 4698. ad 8.

161. Officium Contitularis est celebrandum ritu 1. cl. cum octava 4703 ad 2.

162. Officium Dedicationis omnium Ec-

clesiarum Dioecesis Burgensis eadem die est celebrandum 4750 ad 4.

163. Patronus Paroeciae non est colendus ritu 1. cl. cum octava 4762 ad 2.

164. In duabus Dioecesibus unitis conceditur ex gratia qnod festum Patroni et Titularis alterius Dioecesis celebretur sub ritu dup. min. ob uniformitatem 4771 ad 2.

165. Regulares qui celebrant Dedicationem omnium Ecclesiarum ordinis ad certum diem, non tenentur celebrare anniversarium omnium Ecclesiarum Dioecesis in qua morantur 4795 ad 1. Quid tamen sit servandum a Regularibus in Hibernia, degentibus vide hoc idem decret. ad dub. 2-3-4.

166. Parochns qui praeest duabus Ecclesiis unitis debet recitare officium de utroque Titulari sub ritu dup. 1. cl. cum octava 4803.

167. Regulares in suffragiis praeter commemorationem S. Fundatoris, debent addere cemmemorationem S. Titularis Ecclesiae 4818 ad 3.

168. Commemoratio propria in suffragiis Ss. Joannis de Mata, et Felicis Valesii pro FF. Ord. Ss. Trinitatis 4818 ad 2.

169. Regulares tenentur ad officium S. Patroni principalis dioecesis vel loci 4896 ad 1.

170. Regulares habitantes prope civitatem in qua residet Episcopns tenentur ad officinm Patroni civitatis, et Dedicationis Cathedralis 4896 ad 2.

171. Parochus tantum tenetur ad officinm Sancti Titularis Paroeciae 4904 ad 3.

172. Cappellani addicti Paroeciae, et degentes in aliqua Ecclesia Paroeciae subiecta, ut in ea Sacramenta administrent, nequeunt recitare officium Titularis suae respectivae Ecclesiae 4904 ad 4.

173. Nequit celebrari festum de titulo et de consecratione Ecclesiae dirutae, ubi postea in eodem loco sub alio titulo altera Ecclesia fuit aedificata 4918 ad 1.

174. Regulares pro officio Patroni principalis loci servare debent decreta quae respiciunt tum ritum tnm electionem 4955 ad 5.

175. Pro Ecclesiis parochialibus in quibus Parochus tenetur ad officium titularis et dedicationis provideatur ab extensore Calendarii dioecesani de respectivis variationibus 4974 ad 6.

### §. 22. *De officiis quae Regulares respiciunt.*

176. Moniales Episcopo subiectae possunt sequi Calendarium proprii instituti 4537.

177. FF. Ord. S. Joannis de Deo tribuitur facultas addendi nomen S. Fundatoris ad *Confiteor*, sed in officio tantnm 4562.

178. Patribus Congregationis Ss. Redemptoris degentibus in Dominiis Austriacis datur facultas celebraudi quaedam officia pro illis regnis indulta 4696 ad 1. et 2.

179. Regulares ad alternm coenobinm translati per breve tempus quomodo officium debent ordinare? 4728 ad 1.

180. Regulares qui extra coenobium morantnr tempore Quadragesimae qnale officinm debent recitare? 4728 ad 2.

181. Regulares non tenetur ad Octavas privilegiatas concessas Clero saeculari 4864 ad 1.

182. Officinm votivum Ss. Nomin. B. M. V. neqnit recitari a PP. Congr. Scholarum piarnm in Adventu, Quadragesima et sabbatis quatuor temporum. 4864 ad 2.

183. Decretum pro concessione Officii facta ad instantiam Rm̃i P. Magistri generalis Ordinis Praedicatorum 4878 ad 1-2-3- et 4. Aliud decretnm instante Rm̃o P. Magistro generali Ord. Praedicatorum pro officio Immac. Conceptionis B. M. V. in eodem Ordine celebrandum 4905.

184. Regulares in Dioecesi Arianensi tenentur celebrare festum S. Francisci de Paula sub die 2 Aprilis sed sine octava 4887 ad 1.

185. Officium Ss. Nominis Jesu quando a Min. Observantibus celebrandum si perpetuo impediatur a festo Patroni civitatis? 4886 ad 2.

186. Ubi Dominica 2 Novembris celebratur festum Patroni vel Dedicationis Cathedralis, Regulares in celebratione officii de Patrocinio B. M. V. se conforment clero saeculari 4887 ad 3.

187. Pro Min. Observant. adest facultas transferendi officium Maternitatis et Puritatis B. V. 4887 ad 4.

188. Regulares qui antiquo coenobio relicto aliud incolunt non tenentur ad officia Ecclesiae annexae antiquo coenobio, etiamsi patronatum illius retineant 4896 ad 3.

189. Regulares qui aliam Ecclesiam habuerunt, loco antiquae dirutae, non possunt sine speciali indulto recitare officium titularis antiquae Ecclesiae 4896 ad 4.

190. Regulares ob publicas perturbationes a coenobiis ejecti si alicui Ecclesiae inserviant pro Sacramentorum administratione tenentur sequi Calendarium ordinis, sed in festis sequantur Calendarium dioecesis in Missa pro populo celebranda 4904 ad 5.

191. Regulares in aliqua dioecesi commorantes si non habent proprium Calendarium, officia persolvant juxta Calendarium dioecesis additis officiis pro regularibus in dioecesi indultis 4964 ad 1. et 2.

192. Moniales ordinis S. Clarae possunt addere ad *Confiteor* in officio nomen ejusdem S. Clarae 4973.

193. Officium S. Callixti P. M. quo ritu celebrandum a Monachis Cassinensibus Monasterii S. Pauli extra Urbem? 4981.

§. 23. *De Officiis peculiaribus.*

194. *S. Petri Damiani* officium pro universa Ecclesia 4489.

195. Officium Conversionis *S. Catharinae Fliscae* reiicitur 4495.

196. *S. Joachim* officium pertinet ad classem Confessorum 4502 ad 4.

197. *Ss. Redemptoris* officium qua die persolvi debet a Clero Urbis? 4514.

198. *Ss. Trinitatis* octava privilegiata pro FF. Ord. Ss. Trinitatis 4531.

199. Quinam versiculi dicendi sunt in officio *Translationis almae Domus Lauret. B. M. V.?* 4613.

200. Officium *S. Gregorii Thaumaturgi* est ritus semiduplicis 4657 ad 2.

201. Officium *S. Alphonsi de Ligorio* pro universa Ecclesia 4729.

202. Officium *S. Veronicae de Julianis* pro statu Ecclesiastico 4746.

203. Officium *Ss. Nominis B. M. V.* nequit quater in anno a Carmelitis calceatis recitari. 4754 ad 1.

204. Officium *Patrocinii S. Joseph* ubi est Patronus celebratur ritu 1. cl. cum octava 4757 ad 2.

205. Officium *S. Irenaei* celebratur in Dioecesi Baltimorensi die 28 Junii. 4782 ad 1-2-3-4. Idem officium celebrandum prima die non impedita ubi occurrit octava S. Aloisii Gonzaga 4782. ad 5.

206. In festo *S. Venceslai* est legenda homilia in Breviario assignata 4784 ad 4.

207. Officium *S. Georgii* extra tempus Paschale quomodo est ordinandum? 4784 ad 8.

208. *S. Kevini* officium in Dioecesi Dublinensi an celebrandum sit a regularibus? 4795 ad 6.

209. *S. Birgittae* officium in provincia Lagenlae celebrandum est ritu dup. 2. cl. 4795 ad 9.

210. Officium *S. Aloisii Gonzaga* extenditur ad Ecclesiam universam 4796.

211. *S. Pauli Apostoli Commemorationis* officium quo ritu gaudet in propria Ecclesia? 4839 ad 8.

212. De officio *Pretiosis. Sanguinis et Quinque Plagarum* in ditione Veneta 4854 ad 7-4880 ad 1-2-3-4 et 5.

213. Officium *S. Francisci de Paula* utriusque Siciliae Regni Patroni persolvatur juxta Breviarium Romanum 4872 ad 1. et 2.

214. In officio *Apparitionis S. Jacobi Apostoli* pro regno Hispaniarum, responsoria etiam tempore Paschali sunt de Communi extra temp. Pasch. additis *Alleluja* 4892.

215. Nihil innovetur vel immutetur in officio *S. Agnetis* licet fiat pro majori claritate 4911 ad 1.

216. Officium *Patrocinii S. Joseph* extenditur ad universam Ecclesiam 4937.

217. Die 13. Novembris recitetur in Patriarchalibus Urbis officium *S. Nicolai P. C.* assignata prima die non impedita officio *S. Stanislai Kostka* 4949.

218. *S. Antonini* officium pro universa Ecclesia conceditur 4984.

219. Decreta peculiaria pro Calendario Dioecesis Mechliniensis 4763.

§. 24. *De ritibus et caeremoniis servandis in Divini Officii celebratione seu recitatione.*

220. Stola nequit deferri ab hebdomadario etiam in Vesperis solemnibus 4495 ad 3-4950 ad 1. Item in officio solemniter celebrato 4882.

221. In recitatione privata officii divini quid servandum quando occurrunt verba *tibi Pater et te Pater in Confiteor ?* 4520 ad 42.

222. In recitatione officii Divini quoad signa Crucis, inclinationem capitis etc. serventur rubricae 4520 ad 43.

223. In choro tantum genuflectendum est ad preces feriales, et ad antiphonas finales de B. V. 4520 ad 44.

224. Antiphona finalis B. V. in primis vesperis sabbati, et die Dominico semper stando recitatur, etiamsi persolvatur officium vel sabbati, vel feriae secundae sequentis 4520 ad 45.

225. Si officium Dominicae recitetur post Solis occasum Antiphona finalis B. V. dicitur stando 4520 ad 45.

226. Antiphonae majores intonari debent ab hebdomadario in officio feriali 4521 ad 3.

227. Consuetudo qua tempore IX lectionis et hymni *Te Deum* ab aliquibus Cappellanis recitantur laudes, ceu abusus declaratur. 4523 ad 5.

228. In solemnitatibus quo ritu laudes sunt decantandae ? 4523 ad 3. et 4.

229. Quae disciplina in choro servari debet quoad ordinem standi, sedendi, et genuflectendi? 4529 ad 1.

230. Quo habitu, et a quo debeat decantari homilia in Matutino. 4523 ad 1.

231. Stola nequit adhiberi ab hebdomadario in choro. 4549.

232. Sexta et Nona recitanda est in choro post Missam conventualem, neque adimpletur obligationi si aliter fiat 4550.

233. Superior Ordinis S. Joannis de Deo nequit in Vesperis praecedere hebdomadarium et assistentes paratos, neque primam antiphonam intonare 4569 ad 2.

234. Lector in lectionibus ad officium potest tenere manus vel super legile vel junctas ante pectus 4618 ad 3.

235. In Vesperis non est adhibenda alba, cingulus, et stola a Sacerdote qui officium facit 4637.

236. Abusus in divinis officiis sunt tollendi, videlicet recitandi Sextam et Nonam tempore Missae: producendi apposite cantum musicum post meridiem: distribuendi emolumenta pro anniversariis iis qui non sunt praesentes: et apponendi vas prunarum in choro tempore hyemali 4687.

237. Canonicus aut Dignitas in minoribus ordinibus constitutus nequit officium intonare et orationem recitare 4698 ad 6.
238. In Vesperis Dom. 3. Adventus et 4. Quadragesimae servetur consuetudo quoad sonitum organorum. 4713 ad 10.
239. Antiphona *Haec dies* in octava Paschali intonanda est ab hebdomadario 4950 ad 4.
V. *Episcopus* n. 5-6.
V. *Nativitas Domini.*
V. *S. Petrus Damianus* n. 1-2.
V. *Seminarium* n. 2-5.
V. *Defuncti.*
V. *Synodus.*
V. *Missa* §. de Organo.

De Officiis in Nativitate Domini.

1. In celebratione matutini, primae Missae, et laudum in Nativitate Domini serventur rubricae quoad horam 4507.
2. Laudes in nocte Nativitatis Domini sunt decantandae non obstante immemorabili consuetndine 4523 ad 1.
3. De cantn Martyrologii in Vigilia Nativitatis Domini 4523 ad 21.
4. Ob aëris inclementiam conceditur Cathedrali Atrien. indultum legendi Laudes in nocte Nativitatis Domini, et celebrandi secundam Missam post solis ortnm 4681.
5. Missam cum cantn celebrari post Matutini recitationem in nocte Nativitatis Domini permittitur in superiori sacello domus probationis Clericorum Regularium S. Pauli in civitate Jannensi 4978.
V. *Missa* n. 96.

De Oleis sacris.

1. Olea sacra servanda sunt in Ecclesia 4474. ad 3.
2. Sacrorum oleorum distributio nequit differri ad Dominicam in albis 4474 ad 4.
3. Servetnr Rituale Romanum pro custodia et delatione sacrorum oleorum 4474 ad 5.
4. In sacrorum oleorum consecratione quae servanda sunt ab Archidiacono? 4523 ad 17.
5. Oleis sacris addi potest pars modica olei non benedicti urgente necessitate; hoc autem faciendum est quando deficiunt, et non quando distribuuntur post consecrationem 4854 ad 4.
6. Cardinali Archiepiscopo Hispalensi attentis gravissimis circumstantiis suae et aliarum dioecesuum conceditur facultas conficiendi privatim et sedendo sacra Olea 4817.
V. *Baptisma* n. 1-6-7.

De Oratoriis publicis.

1. Sancti titulares oratoriorum publicorum nullo speciali ritu coli debent 4520 ad 34.
2. Titulares Oratoriorum seu Cappellarum publicarum non sunt colendi ritu 1 cl. cum oct. 4839 ad 2.
3. De Titulari Cappellae pnblicae quamvis adnexa sit Paroeciae non est celebrandum officium 4926 ad 2.

De Oratoriis privatis.

Missae in oratoriis privatis prohibentur tantum in die festo, et non in Dominica ad quam solemnitas transfertur 4597 ad 14.
V. *Ss. Sacramentum* n. 15.

De orationibus.

V. *Hymni* n. 3.
Vide etiam *Missa* n. 9 et seq.

De sacra Ordinatione seu de ritibus et caeremoniis quae Ordinum collationem respiciunt.

1. Ordines minores et majores conferri possnnt in festis abrogatis 4520 ad 1 - 4807.
2. Ordinatio ad minores ordiues fieri po-

test extra tempora et extra Missam, sed in festis, et de mane 4857.

3. Ordines minores conferri possunt in festis de praecepto, vel in festis abrogatis 4559.

4. Ordines minores conferri possunt vel in diebus Dominicis vel diebus festivis de praecepto 4602 ad 4.

5. Mandatum Apostolicum legendum est quando conferuntur Ordines sacri extra tempora 4602 ad 5.

6. Tonsurandi vocari possunt ab Archidiacono, qui poterit uti formula *Accedant qui promovendi sunt ad tonsuram* 4520 ad 2.

7. Tonsurandi una cum Episcopo proferunt verba *Dominus pars etc.* dum tondentur 4520 ad 3.

8. De tonsura collata super fictam comam 4982.

9. Archidiaconus dimittit ordinatos dicens *Ad loca vestra* vel similia 4520 ad 4.

10. Non est necesse quod Ostiarius claudat ostium Ecclesiae vel Cappellae cum clavibus quae illi traditae sunt in actu ordinationis 4520 ad 5.

11. In fine formularum quilibet ordinandus respondet *Amen* 4520 ad 6.

12. Amictus ab ordinatis ad Subdiaconatum dimittendus est super scapulas postquam illis impositus fuit ab Episcopo 4950 ad 2.

13. Unus ex ordinatis in quolibet ordine potest offerre candelam Episcopo 4520 ad 7.

14. In ordinatione generali sufficit ut unus ex ordinatis in quolibet ordine offerat Episcopo cereum accensum 4854 ad 5.

15. In ordinatione privata Subdiaconus vel Diaconus legunt Epistolam aut Evangelium cum Episcopo 4520 ad 9.

16. In ordinatione Presbyterorum imponenda est tantummodo manus ad orationem *Oremus fratres charissimi* juxta praxim Ecclesiae Romanae 4806.

17. Si ordinatio fiat cum cantu, Presbyteri legunt in Missa praefationem et alia quae ab Episcopo cantantur 4520 ad 11.

18. Diaconi et Subdiaconi in communione dicunt *Confiteor* post Presbyterorum communionem 4520 ad 10.

19. In Communione ordinatorum ad minores ordines, Episcopus debet dicere formulam *Corpus ..... custodiat te in vitam aeternam* 4520 ad 16.

20. Episcopus deosculari debet dexteram genam Presbyteri ordinati in fine ordinationis 4520 ad 17.

21. Episcopus in ordinatione Regularium suae dioecesis debet dicere *Promittis Praelato etc.* 4966.

22. Ordinati ad Presbyteratum dicunt Evangelium ultimum cum Episcopo 4520 ad 12.

23. In ordinatione privata possunt accendi quatuor cerei super Altare, in publica vero ardere debent septem candelae ut in Missa pontificali 4520 ad 8.

24. In ordinatione sine cantu celebrata, quae paramenta induere debent Canonici Episcopo assistentes? 4583.

25. Canonici teneturne assistere Episcopo qui ordinationem habet extra Cathedralem? 4591.

26. Quomodo supplendum si quid omissum fuerit in ordinatione? 4664-4781-4967.

27. Episcopus qui confert ordines debet etiam Missam celebrare 4671.

28. Missae ab Episcopo novis Sacerdotibus injunctae celebrari debent diebus a rubrica permissis 4731 ad 5.

29. Ob gravissimas calamitates in quibus versatur Regnum Hispaniarum conceditur Cardinali Archiepiscopo Hispalensi faciendi Ordinationes sedendo 4817.

De Ordine S. Joannis de Deo.

V. *Officium* n. 177.

tamen fuit postea concessus quando collegialiter procedunt 4765.

5. Parochus nullum jus habet in functionibus quae fiunt in Ecclesia Confraternitatis sita intra limites paroeciae 4855.
6. Rector Ecclesiae non parochialis pro functionum celebratione non tenetur exquirere consensum Parochi 4879.
7. In Paroeciis minoribus in quibus non adest Clerus, tenetur Parochus celebrare functiones solemniores juxta memoriale rituum s. m. Benedicti XIII 4904 ad 1.
8. Pro Ecclesiis parochialibus in quibus solus Parochus tenetur ad officia S. Titularis, et Dedicationis, extensor Calendarii variationes opportunas respective in ipso Calendario adiiciat 4974 ad 6.

V. *Missa* n. 4.
V. *Missae applicatio* n. 2.
V. *Missa pro populo*.
V. *Praecedentia* n. 1-14-16.
V. *Canonici*.
V. *Processiones* n. 2.
V. *Defuncti*.
V. *Ss. Sacramentum*.

De Paroeciis.

1. Paroccia antiquo statui restituta in omnibus juribus est redintegranda 4480.
2. In Paroeciis minoribus servetur parvum Caeremoniale Benedicti XIII pro functionibus solemnioribus 4971 ad 5.

V. *Oratorium publicum* n. 3.

De tempore Passionis.

Cruces et imagines tegi debent in primis vesperis Dominicae de Passione 4520 ad 36.

De Officiis Passionis D. N. J. C.

V. *Officium* n 49-91-212.
V. *Decreta particularia* n. 5.

De paramentis et sacra suppellectile.

1. Quid attendendum in paramentis pretiosis quoad colorem? 4504.
2. Paramenta plurium colorum prohibentur 4506-4520 ad 54.-4535 ad 1.-4665 ad 8.
3. Paramenta flavi coloris prohibentur 4520 ad 54.-4535 ad 1.-4665 ad 8.
4. Color flavus et caeruleus in sacris vestibus prohibetur 4558 ad 4.-4701 ad 2.
5. Sub laciniis albarum nequit apponi sericum rubri coloris 4569 ad 5.
6. Casulae non comprehenduntur in decreto generali quo prohibetur usus gossypii in sacra suppellectile 4601.
7. Sacra suppellex ex gossypio interdicitur 4625.
8. Paramenta quae non sint sericea non admittuntur 4665 ad 8.
9. Nihil innovetur quoad usum apponendi stemma gentilitium in sacris paramentis 4843.
10. Si ob Ecclesiarum paupertatem non possint haberi paramenta distincta, recurrendum ad Episcopum pro facultate utendi planetis plurium colorum 4904 ad 7.
11. Paramenta facta ex vitrea textura prohibentur 4938.

Alia require sub tit. *Missa* n. 68-69-70.

De Ss. Petro et Paulo Ap.

V. *Officium* n. 39-44-70.
V. *Festorum celebratio* n. 19,

De S. Paulo Apostolo.

V. *Officium* n. 53-66-99-100-101-102-103-211.
V. *Festorum celebratio* n. 15.
V. *S. Patroni* n. 1.

De Ss. Philippo et Jacobo Ap.

V. *Officium* n. 43.

De Poenitentiae Sacramento.

1. In administratione Sacramenti Poenitentiae adhibenda est stola violacea 4569 ad 3-4854 ad 3.
2. In formula absolutionis sacramentalis quoad verbum *deinde* nihil innovetur 4660-4936 ad 1.
3. In confessionibus frequentioribus omitti possunt tum formula *Misereatur* et *Indulgentiam*, tum alia *Passio Domini nostri etc.* 4936 ad 2.
4. Confessarius administrans Poenitentiae Sacramentum in Ecclesia debet uti stola violacea 4946 ad 1.

De S. Petro Caelestino P. C.

V. *Missa* n. 124.

De S. Petro Chrysologo E. C. D.

V. *Missa* n. 121.

De S. Petro Damiano E. C. D.

1. S. Petri Damiani Ep. Card. descriptio in Martyrologio Romano 4486.
2. Elogium S. Petri Damiani legendum in Martyrologio sub die 23 Februarii. 4839 ad 10.

V. *Officium* n. 149.

De Pileolo.

1. Pileolus non est adhibendus in processionibus Ss. Sacramenti. In reliquis processionibus permittitur 4665 ad 9.
2. Pileolus nequit retineri a Dignitatibus vel Canonicis qui Missas et Vesperas celebrant, aut assistunt Episcopo in sacris functionibus 4725.
3. In functionibus non permittitur usus pileoli sine speciali indulto 4889 ad 4.

V. *Functiones pontificales* n. 18-19-20-21-22.

De usu Pontificalium.

1. Indultum celebrandi pontificalia pro certis diebus nequit extendi ad alios in indulto non comprehensos 4492.
2. Abbates Ordinis S. Benedicti quamvis benedictionem Abbatialem receperint nequeunt pontificalia exercere extra propriam Ecclesiam sine indulto Apostolico, et in hoc casu habita licentia ab Ordinario 4889 ad 3.
3. Visitatori generali Ordinis S. Basilii datur facultas coercendi Abbates ad observantiam decretorum circa usum pontificalium. Praeterea si aliquis Abbas indultum obtinuit a Sede Apostolica cebrandi pontificalia extra propriam Ecclesiam id non fiat sine licentia Ordinarii 4908.
4. De usu pontificalium pro Abbate Collegiatae S. Spiritus in civitate Beneventana 4912.
5. Canonicus gaudens usu Pontificalium stare debet privilegiis 4717 ad 2.
6. Mitrae usus pro Canonicis, redigendus est ad tramites Constitutionis s. m. Pii VII 4932 ad 1.
7. In Processione Ss. Corporis Christi Canonici qui gaudent usu mitrae, eam manu deferant sine ullo ministro 4932 ad 2.

V. *Concio* n. 6.

De precibus.

V. *Hymni* n. 1-6.

De Praecedentia.

1. De Parochorum praecedentia in Collegiatis Urbis 4479.
2. De praecedentia inter Beneficiatos clericos, et Beneficiatos Sacerdotes 4481.
3. De praecedentia inter Canonicum Presbyterum possessionis recentioris, et inter Canonicum Clericum possessionis antiquioris, qui tamen postea Presbyteratum suscepit 4494.
4. Beneficiatus cui negatum fuit stallum in choro, manutenendus est in suo or-

De Praelatis Domesticis.



De Presbytero assistente.



De Privilegiis



De Processionibus.

et sodales quinque Plagarum in civitate Pontiscurvi? 4797-4813.

5. In quaestione inter Confraternitates Casalis Lucae Meliten. dioeces. circa jus deferendi fanalia in Processione Sancti Patroni, donec dubium solutum non fuerit, ipsa fanalia deferantur a Clericis 4862.
6. Collegiata potest Crucem erigere in Processionibus. Si vero incedere velit sub Cruce Cathedralis quinam locus ei competit? 4875. (a).

V. *Fer.* 6. *in Parasceve.*
V. *S. Patronus* n. 5.
V. *Reliquiae.*
V. *Confraternitas.*
V. *Magistratus* n. 6.
V. *Praecedentia.*
V. *Concentus musicus.*
V. *Dignitates.*
V. *Litaniae majores, et minores.*
V. *Feria* 6 *in Parasceve* n. 1.
V. *Imagines* n. 5.
V. *Pileolus* n. 1.
V. *Seminarium* n. 1-4-6.
V. *Ss. Sacramentum.*
V. *Baldachinum.*

De Protonotariis

Protonotarius honorarius nequit excedere limites Constitutionis s. m. Pii VII pro usu privilegiorum 4648.

De S. Publio E. M.

V. *Officium* n. 66.

## R

De Ss. Redemptore.

V. *Officium* n. 197-40-43-84.
V. *Missa* n. 429.

De Regularibus.

1. Regulares nequeunt recitare officium Dedicationis Ecclesiae quae non fuit consecrata 4539. ad 1.
2. Capitulum generale non habet facultatem variandi diem pro festo Dedicationis Cathedralis 4539 ad 2.
3. FF. Conventuales manutenendi sunt in possessione celebrandi festum S. Antonii Patavini 4577.
4. Regulares Doctoris gradu decorati, quomodo hujusce honore frui possunt? 4889 ad 5.

V. *Processiones* n. 1-3-4.
V. *Sabbatum Sanctum.*
V. *Missa.*
V. *Officium.*
V. *SS. Sacramentum.*

De sacris Reliquiis.

1. Reliquiae pretiosiss. Sanguinis D. N. J. C. exhibeatur cultus praescriptus pro Reliquia verae Crucis 4485.
2. Reliquiae dum exponitur non est supponenda palla. 4531. ad 4.
3. Celebrans post Missam privatam potest Sanctorum reliquias deosculandas praebere 4558 ad 5.
4. Nequit deferri sub umbella Reliquia S. Patroni licet adsit consuetudo immemorabilis 4561-4578.
5. Reliquiae Sanctorum Martyrum ex arenariis Urbis effossae possunt exponi de consensu Episcopi 4566 ad 4.
6. Qui ritus servandi sunt quando super Altare est exposita Reliquia S. Crucis? 4594 ad 1 et 2.
7. An in benedictione impertienda cum Reliquia S. Crucis cani possit ℣. *Benedicat nos Deus etc.* 4594 ad 3.
8. Super tabernaculum in quo asservatur Ss. Sacramentum nequit exponi reliquia S. Crucis aut alterius ex instrumentis Dominicae Passionis 4628 ad 1.

(1) Confer Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 33 n. 5.

De Rubricarum et Rituum observantia



De S. Rumoldo. E. C.



## S

De Sabbato sancto.



De Sacerdote caecutiente.

B. V. an possint celebrare tres Missas in Nativitate Domini? 4731 ad 4. (1)

2. Sacerdos coecutiens gaudens indulto Missae votivae, in festis B. V. non tenetur ad Missam de festo 4941 ad 8.

De Sacerdote imperito.

Sacerdos imperitus debet suspendi quoadusque habilis fiat. 4700.

De Sacramentorum administratione.

1. Canonici in Sacramentorum administratione induere debent superpelliceum et stolam juxta Rituale Romanum 4515.
2. Canonicorum vestes in administratione Sacramentorum 4520 ad 26.
3. Sacramenta administranda sunt cum superpelliceo et stola 4523 ad 22.
4. In Sacramentorum administratione adhibenda est cotta et stola a Canonicis etiam in propria Ecclesia 4534 ad 1.
5. Stola adhiberi debet in Sacramentorum administratione 4575.
6. In Sacramentorum administratione sequi debent ritus a Rom. Rituali praescripti 4779 ad 3.
7. Canonici quoad vestem choralem in Sacramentorum administratione 4792.
8. In administratione Sacramentorum Canonici etiam intra Collegiatam induere debent cottam est stolam 4902 ad 3.
9. Archipresbytero Vetrallae qui curam animarum exercet permittitur usus cottae et stolae supra rocchettum in administratione Sacramentorum 4902 ad 4.

De Salutatione Angelica.

Preces pro salutatione Angelica recitandae erunt in choro vel stando vel genuflectendo ut indulgentia assequatur 4941. ad 2.

De Sedibus pro Episcopo, Clero, et Magistratu.

1. Sedes seu cathedra fixa pro Episcopo nullatenus retineri debet in Collegiatis 4571.
2. Chorus seu stalla pro Canonicis non debent cooperiri cortinis sericeis in diebus solemnioribus 4585 (2).
3. Sedes cameralis loco scamni consueti pro Celebrante prohibetur etiam FF. Ord. Praedicatorum 4617 ad 2.
4. Sedes pro Magistratu debet esse lignea, sine suppedaneo, et cum panno ac pulvinis laneis 4645 ad 2.
5. Gradus sedis Episcopalis et stallorum Canonicalium reducendi sunt juxta Caeremoniale 4759.

De Seminario.

1. Seminarii locus in Processionibus 4512 ad 1-4518.
2. Clerici Seminarii ad officii recitationem obligati, quae officia recitare debent? 4597 ad 10.
3. Clerici seminarii thurificandi sunt per modum unius 4711 ad 4.
4. Clerici Seminarii in processionibus gaudent praecedentia supra clericos adventitios 4778.
5. Professores et Alumni Seminarii tenentur ad octavam Titularis Ecclesiae Seminario adnexae, ac de eodem Titulari facere commemorationem in suffragiis 4962 ad 3. et 5.
6. An Seminarii professores locum habeant in processionibus, reliquisque functionibus? 4512. ad 2 et 3.

De Sepulturis.

1. Ob cadaveris sepulturam prope Altare, non impeditur in eo Missae celebratio 4831.

(1) Vide Decretum in *Corduben* 12 Novemb. 1686 ad 5 (n. 4351)
(2) Confer Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 12 n. 7.

2. Sepulchrum gentilitium distare debet ab Altare spatio trium cubitorum 4900.
3. Altare portatile non immineat sepulchro licet in eo non sit celebrandum 4941 ad 7.

De Synodo.

Synodi provinciales vel dioecesanae non possunt elevare ritum officii 4795 ad 9.

De solis occasu.

Solis occasus pro antiphona finali etc. comprehendit etiam crepusculum vespertinum 4520 ad 45.

De S. Stanislao Kostka.

V. *Officium* n. 217.

De usu Stolae.

1. Stola nequit deferri ab hebdomadario etiam in Vesperis solemnibus 4496 ad 3.
2. Stolam adhibere possunt Episcopi et Presbyteri in concionibus 4520 ad 21.
3. Stola nequit adhiberi ab hebdomadario in choro 4549.

V. *Concio* n. 1. 7.
V. *Processiones* n. 2.
V. *Parochi* n. 4.
V. *Sacram. Poenitentiae* n. 1. 4.
V. *Aqua benedicta* n. 5.
V. *Defuncti* n. 68.

## T

De Thurificatione.

1. Episcopus cappa indutus stare debet sine bireto dum incensatur 4520 ad 14.
2. In thurificatione Episcopi suffraganei vel extranei servetur consuetudo 4854. ad 6. (1).
3. Thurificatio semper incipienda est a parte hebdomadarii. 4960 ad 1.

V. *Episcopus* n. 3.
V. *Magistratus* n. 8.
V. *Seminarium* n. 3.

De Triduo majoris hebdomadae.

In Dioecesi Baltimorensi permittitur in Monialium ecclesiis Missa una privata in triduo majoris hebdomadae quoadusque desit copia clericorum ut functiones peragi possint juxta parvum Caeremoniale s. m. Benedicti XIII. 4691.

V. *Aqua benedicta* n. 1.

De Ss. Trinitate.

V. *Officium* n. 198-58.

## V

De S. Venceslao.

V. *Officium* n. 32-206.

De S. Veronica de Julianis.

V. *Officium* n. 202.

De Vicario generali.

1. Vicario generali nullimode competit usus tapetis et pulvinarium in pontificalibus 4513 ad 1.
2. Non est associandus a Canonicis 4513 ad 2.
3. Aspersorium non est ei ministrandum ad fores Ecclesiae 4513 ad 3.
4. Vicarii generalis habitus. 4815.
5. Vicarius generalis habitu vicariali indutus praecedit omnes Dignitates et Canonicos dummodo non sint vestibus sacris induti, praeter hebdomadarium paratum 4923.

De Vicario capitulari.

1. Vicarius capitularis non tenetur applicare Missam pro populo 4520 ad 23.

(1) Confer Caeremoniale Episcoporum lib. 1 cap. 23 num. 27 et seq.





